This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lc 37.455

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

Lc 37.455

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

Marcus Tullius

M. TULLII CICERONIS

2161

EPISTOLAE SELECTAE,

AC

TEMPORUM ORDINE DISPOSITAE.

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

August (Heinrich)

AUG. MATTHIAE.

PARTUM EDIDIT, TEXTUM EX ORELLII RECENSIONE CONSTITUIT,

NOTAS AUXIT

Friedrich Hieronymus

F. H. MUELLER.

LIPSIAE, 1849.

SUMPTIBUS FRID. CHRIST. GUIL. VOGEL.

72

e3? 455/1880, May 1.
Gift of
Samuel A. Green, M.D.
of Boston.
(H.U. 1857.)

PRAEFATIO.

Ciceronis epistolarum ut novum delectum facerem, hoc me imprimis impulit, quod in iis, quae vulgo feruntur, editionibus neque epistolas eas, quae iuventuti scholasticae prae ceteris accommodatae videbantur, satis severo iudicio selectas, neque secundum temporum ordinem dispositas, quod unum ad eas recte intelligendas plurimum valet, et vel nullis plane vel iusto uberioribus notis instructas videbam. Non omnes enim epistolas cum adolescentibus, qui in scholis inferioribus litterarum studia aemulantur, tractari posse, quippe quarum plurimae vel nimis difficiles sint ad intelligendum, vel nulla delectatione aetatem illam allicere ac retinere possint, omnes confitentur; in seligendis vero alii eas, quae ad vitam Ciceronis explicandam spectarent, alii, quae illorum temporum historiam complecterentur, alii aliud consilium secuti sunt. Ego eas seligendas duxi, quae prae ceteris dilucide, eleganter, copiose scriptae essent, sive res ea aetate gestas, sive sententias de vita et publica et privata regenda explicarent. Has si nulla annotatione instruxissem, timebam, ne adolescentes, nullis fere subsidiis explicandorum auctorum veterum, nisi lexico et grammatica, muniti, quum se, etsi verba intelligerent, rerum tamen, de quibus ageretur, naturam vel nexum perspicere non posse viderent, in iis, quae mox in scholis ipsis accuratius explicanda sunt, praevia meditatione cognoscendis defatigarentur, et hoc modo maxima institutionis scholasticae utilitas, quae in exercendis et confirmandis ingenii viribus posita est, magna ex parte interiret. Itaque in notis subiectis explicavi fere tantum ea, quae ad historiam et antiquitatem spectant; nam etsi eum, qui ad has epistolas legendas accedit, ea iam historiae romanae cognitione imbutum esse oportere intelligo, ut rerum conversiones et summa momenta probe teneat, tamen multa in iis interiorem et accuratiorem totius antiquitatis scientiam requirunt,

quam quae a pueris postulari possit. Eodem consilio in calce libelli *memorabilia vitae Ciceronis*, ex editione Schützіana, nonnullis tamen mutatis, contractis vel amplificatis, petita adieci. Argumenta seu summaria addere epistolarum maximam partem brevium, praesertim quum res ipsae iam in notis vel in memorabilibus illis illustratae essent, inutile duxi. Nonnunquam locorum quorundam difficiliorum sensum aperire studui, imprimis eorum, in quibus viros doctos haesisse videbam, ut ep. VII, 6. XXXV, 19. 21. XXXVII, 15. CXXXIX, 5. CL, 5., nonnunquam constructiones impeditiores explicavi, vel ea monui, quibus recepta scriptura ab emendandi libidine vindicaretur, ut IX, 25. XI, 7. XIII, 84. XXX, 3. XXXII, 1. XXXV, 3. 5. XLIX, 6. LVI, 6. 17. LXXV, 2. LXXXVIII, 20. CXXVIII, 5. CXXXI, 1. 11. CLIV, 6. CLV, 2. CLXI, 6. Ad Ciceronem vel defendendum vel excusandum adscripsi quaedam initio ep. XXXV, quae miror adhuc praeteriisse interpretes. Ab explicandis iis, quae tirones, modo animum et ingenium intendere velint, per se intellecturi esse viderentur, sedulo cavi. In notis autem ipsa superiorum interpretum verba servavi, quum non doctrinae, si qua est, ostentandae, sed studiorum iuventutis scholasticae adiuvandorum causa hanc operam susceperim.

Sed non defuturos esse existimo, qui has epistolas scholarum inferiorum alumnis omnino non praelegendas esse contendant, auctoritate maxime Martyni-Lagunae permoti. Is enim vir doctissimus in praeclara illa praefatione Ciceronis epistolis praeposita disputat, epistolas istas ab institutione puerili alienissimas esse, quum a pueris vix mediocriter intelligi possint, et periculosissimum sit, primae puerorum ac iuvenum aetatulae tot astutiae, perfidiae, aliorum vitiorum exempla proponere. Ex his illud, quod prius positum est, de plurimis Ciceronis epistolis, imprimis illis, quae ad Atticum scriptae sunt, verum esse, libenter concedo, de omnibus, nulla excepta, valere, experientia edoctus nego. Nam equidem quum adhuc hanc fere rationem tenerem, ut discipulos meos alternis annis in Ciceronis oratione aliqua et in his ipsis epistolis, quas hoc volumine complexus sum, interpretandis exercerem, tantum abfuit, ut epistolae taedio essent pueris, ut etiam plerique eas, quae propter temporis angustias in scholis ipsis legi non potuerant, suo Marte deinde tractarent, seque non mediocrem ex iis voluptatem cepisse faterentur. Sive enim res gestae narrantur, nihil adolescentium animos magis tenere potest, quam rerum alicuius momenti simplex et dilucida et a causis quaeque suis

repetens expositio, ut ipsa *illa subitarum conversionum in civitate maxima momenta, illae occultae et summis fecundae vitiis rerum publicarum labes, illi gravissimi summorum ac sapientissimorum virorum in re publica casus* (p. XXVI) non mediocrem iis delectationem afferant; sive de rebus ad vitam et mores, ad officia patriae et civibus praestanda, ad rationem, quam in re publica tractanda sequaris, pertinentibus eleganter et graviter disputatur, his qui non moveatur adolescens quindecim vel sedecim annorum, eum ego non ad litterarum studia excitandum, sed ad artes illiberales ac sordidas detrudendum existimem. Refert enim, quibus pueris epistolas illas cognoscendas tradas; si iis, qui adhuc in primis linguae elementis discendis haerent, id quod in nonnullis scholis fieri non ignoro, nihil nec ego ineptius atque imprudentius suscipi posse existimo; sin iis praeleguntur, quorum iam satis confirmatae sunt vires, ut, quum in Caesaris commentariis, Cornelii Nepotis vitis, Iustini historiis non magnopere titubent, iam ad Livium, Horatii odas, Ciceronis orationes gustandas admitti possint, ii, non intelligo, quidni ea, quae ad mores formandos, ad rerum humanarum ac vitae rationem cognoscendam, ad ingenium alendum atque acuendum utilissima in his epistolis insunt (p. XXIII sq.), magna ex parte cum fructu et voluptate tractaturi sint. At viris scriptae sunt illae epistolae, non pueris. Verum; neque ego ullum opus antiqui scriptoris novi, quod pueris, ac non viris, scriptum sit. Neque tamen, si non eodem modo in legendis libris antiquorum afficiuntur pueri et viri, idcirco illi prorsus non afficiuntur; nec, si aliud in epistolis Ciceronis legunt homines in gravissimis negotiis publicis versati, aliud nos, qui docti dicimur, nobis earum lectione interdicendum est. At periculosissimum est, *primae puerorum ac iuvenum aetatulae quotidianis lectionibus tot calliditatis, simulationis, astutiae, libidinis, ambitionis, perfidiae, avaritiae, levitatis, alia blandientium vitiorum exempla in summis ac principibus viris ad cognoscendum proponere.* Quid igitur? num verendum erit, ne Curionis, Clodii, Antonii, Caesaris similes fieri velint ii, qui loco, genere, vitae conditione longissime ab iis se distare intelligunt, et in civitatibus vivunt, longe alias leges atque instituta sequentibus? an timendum erit, ne, quae illi in re publica callide, ambitiose, perfide fecerunt, ea pueri nostri ad vitae communis negotia transferant? Nimirum imitamur proximos quosque, et vitae splendore aut munerum amplitudine non nimium a nobis remotos, eosque in iis quae non certo vitae generi propria, sed omnibus

communia sunt, ut plus periculi afferre moribus unam Plauti vel Terentii fabulam, quam omnes Ciceronis epistolas, persuasum habeam. Quodsi nihil pueris et adolescentibus proponendum est, nisi quod sincerae virtutis ac probitatis exempla contineat, ne historia quidem regnorum ac populorum huic aetati tradenda est, abiiciendae sunt Iustini, Livii, Sallustii historiae; nisi forte quis dicat, narranda quidem esse, quae gesta sint, sed quibus causis ac momentis ea effecta sint, dissimulandum, et enumerandos quidem reges ac populos, qui a Romanis subacti sint, sed perfidiane, calliditate et malis artibus Romanorum, an fati quadam necessitate ea eventum habuerint, non exquirendum esse, quod ipsum quam prave fiat, nemo melius docuit Martyni-Laguna Praef. p. XXVIII sq. Itaque equidem in ea adhuc sententia sum, ut Ciceronis epistolas, modo delectus earum adhibeatur, adolescentibusque praelegantur in linguae latinae cognitione iam aliquantum provectis, non minus commode in scholis explicari posse existimem, quam Tusculanas disputationes, vel de amicitia ac senectute libros, qui ipsi quantam antiquitatis, historiae, philosophiae scientiam postulent, non ignotum est, commodius etiam, quam Oratorem, quo libro haud scio an nullus eiusdem scriptoris difficilior sit. Scr. Altenburgi, Cal. Ianuar. 1816.

Quod nuper Vir doctissimus Ed. Wunderus in praefatione libri, Varias lectiones ex Cod. Erfurtensi enotatas complectentis, p. XCVI — CX monuit, ubicunque in Ciceronis epistolis *quum* causalis sequente indicativo legatur — legitur autem tantum in undecim libris posterioribus, nunquam in quinque prioribus, excepto loco l. V. ep. 20. p. 135. ed. Ern. — ibi a Codicibus MSS. suppeditari *quoniam* vel *quando*, id ego codice Gudiano bibliothecae Guelpherbytanae, in quo excutiendo nunc maxime occupatus sum, omnibus locis comprobatum inveni . . Eum codicem iam contulit Ernestius, qui Gu. I. vocat, sed negligentissime; est autem litteris nitidissimis accuratissime scriptus in membrana pura et laevigata. In eo *quum* ubique scribitur cū ut in aliis, sed pro *cum* seu *quum* habet qñ i. e. *quoniam* Ep. V, 20. p. 135. (Wunder. p. XCVII.) VI, §. 11. VII, 2. p. 173. IX, 16. p. 255 = 105, 2. X, 25. p. 302, ibid. 30. p. 306. XI, 28. p. 341 = 153, 3. XIII, 26 = 122, 5. ibid. 30 p. 408. 71. p. 429. Contra qñ i. e. *quando*

(ut ecqñ, *ecquando* VIII, 15. aliqñ, *aliquando* I, 7) scriptum exhibet VI, 4. p. 144 = 130, 5. bis. VII, 6. p. 179. VII, 18. p. 189, 30. p. 201. 31. p. 201. 32. p. 202 et p. 203. VIII, 9. p. 222. IX, 1. p. 237 = 99, 2. ibid. 7. p. 243. 13. p. 250. 14. p. 252 = 149. 16. 16. p. 257 et 259 = 105, 2. et 12. 18. p. 261. bis. 22. p. 265. X, 26. p. 303. XI, 2. p. 317. 16. p. 331. 28. p. 342 = 153, 10. XII, 3. = 162, 2. XIII, 1. p. 380. = 48, 10. 4. p. 383. = 143, 10. 6. p. 385. 7. p. 387. = 144, 9. 18. p. 397. = 119, 4. 54. p. 419. 56. p. 420. 61. p. 422. 65. p. 425. = 59, 2. 66. p. 426. 75. p. 431. XIV, 1. p. 435. tum in locis iis omnibus, quos Wunder. a p. XCIX. usque ad CIII. adscripsit. Plene scriptum est *quando* VI, 8. p. 154. 13. p. 162 = 111, 6. VIII, 8. p. 221. *) X, 1. p. 272. = 160, 4. XII, 14. p. 359. XV, 10. p. 465. qño vel qūo (n enim et u ita inter se similes sunt, ut vix distinguas) est VI, 6. p. 149. = 115, 12. 7 in. 11. p. 158. VII, 6. p. 179. VIII, 11. (in cod. est ep. 4.) p. 227. X, 30. p. 306. XVI, 21. p. 496. Hoc siglo significari *quando* videtur, quia virgula est supra q, quod fieri solet, quum intermedia omissa sunt. VI, 6. p. 148. pro *quum ipso consule* scriptum est q° mo *ipso c.* i. e. quo modo i. Denique VII, 24. p. 195. (Wund. CX) est q̃ uellem i. e. *quam*, ut etiam XIV, 10. p. 444. (Wund. p. CIII) V, 18. autem (Wund. p. CIX) *quique* pro *quumque*, VII, 15. p. 186 (ib. p. CX) *quod* pro *quum*. Nunquamne Cicero *quando* pro *quandoquidem* dixerit, et semper apud eum pro *quando* causali scribendum sit *quoniam*, quod Wundero placet, mihi quidem nondum liquet; sed illud tamen intelligitur, quam infirmo fundamento nitatur ratio eorum, qui *quum* causalem etiam cum indicativo iungi posse docent; nec dubito, quin simili modo error convincatur praecipientium, quando *sunt qui dicant* scribendum sit, et quando *sunt qui dicunt*.

*) Haec epistola bis scripta est in cod. libro VIII. usque ad verba *L. F. An. Capito*, tum lib. IX. post epist. 7. ubi integra exstat.

PRAEFATIO
EDITIONIS QUARTAE.

Quum mihi a librario mandatum esset, ut hasce Matthiaei epistolas selectas, divenditis priorum editionum exemplis, denuo edendas curarem, speravi, fore, ut brevi opus absolverem. Neque enim id agebam, ut post Orellii curas in Ciceronis verbis edendis temere quidquam mutarem, neque in notis addendis doctrinam, si qua esset, eram iactaturus, sed tironum modo utilitati prospiciendum putabam.

Quod consilium secutus nusquam ab Orelliana textus recensione recessi, nisi in perpaucis locis aperte corruptis, ubi in libro a discipulis versando vel coniecturas in textum recipere non dubitavi. Neque plures, quam ab initio visum erat, notas adieci, superiorum interpretum verbis plerumque servatis, ita tamen, ut quidquid in hac editione accessit, asterisco notaretur.

Itaque non consilium editionis mutatum, sed ingens illa rerum civilium perturbatio, quae animum a studiis saepissime avocabat, effecit, ut non quo tempore me opus absoluturum promiseram librario, ad finem perducerem.

Matthiaei notas integras servavi, etiam quibus locis ab illius iudicio recedendum videbatur, ne tanti viri auctoritati meam praeferrem.

Scr. Portae, Idibus Iun. 1849.

ELENCHUS EPISTOLARUM.

ORD. VULG.			HUI. EDIT.
ad Div.	I,	7. Ep.	XXXVI.
		9.	XLI.
	II,	1.	XLII.
		4.	XLIII.
		6.	XLV.
		7.	LVII.
		13.	LXV.
		16.	XCII.
		18.	LXVI.
	III,	2.	XLVI.
		3.	XLVII.
		5.	XLIX.
		6.	LII.
		7.	LXIII.
		8.	LVI.
		9.	LXIV.
		10.	LXVII.
		13.	LXX.
	IV,	1.	XC.
		2.	XCI.
		3.	CVIII.
		4.	CXIV.
		5.	CXXXIII.
		6.	CXXXVI.
		7.	CX.
		8.	CXII.
		9.	CXIII.
		10.	CXXIX.
		12.	CXXXVII.
		13.	CIX.
		14.	CXXV.
	V,	1.	IV.
		2.	V.
		4.	XXXI.
		5.	VI.
		7.	III.
		12.	XXXV.
		13.	CXXXIV.
		14.	CXXXVIII.
		15.	CXXXIX.
		16.	CXVII.
		17.	XLIV.
		19.	XCIII.
		21.	CIII.

ORD. VULG.			HUI. EDIT.
ad Div.	VI,	1. Ep.	CXXVI.
		2.	CXXXV.
		3.	CXXVIII.
		4.	CXXX.
		6.	CXV.
		10.	CXXXI. CXXXII.
		12.	CXXIV.
		13.	CXI.
		14.	CXVI.
		18.	CXXVII.
		20.	CXLII.
		21.	CXL.
		22.	C.
	VII,	1.	XXXVII.
		3.	CVI.
		5.	XXXVIII.
	IX,	1.	XCIX.
		6.	CIV.
		8.	CXLI.
		9.	XCVI.
		14.	CXLIX.
		16.	CV.
		17.	CVII.
		24.	CLXX.
	X,	1.	CLX.
		3.	CLXVII.
		5.	CLXXI.
		6.	CLXXII.
		8.	CLXXIV.
		12.	CLXXV.
		13.	CLXXIX.
		16.	CLXXVII.
		19.	CLXXX.
		27.	CLXXIII.
		28.	CLXVIII.
	XI,	12.	CLXXXI.
		27.	CLII.
		28.	CLIII.
		29.	CLVI.
	XII,	1.	CLI.
		2.	CLXI.
		3.	CLXII.
		5.	CLXIX.

ORD. VULG.			HUI. EDIT.
ad Div.	XII,	10. Ep.	CLXXXII.
		18.	CXLV.
		22.	CLXV.
		23.	CLXIII.
		25.	CLXXVI.
		30.	CLXXVIII.
	XIII,	1.	XLVIII.
		4.	CXLIII.
		7.	CXLIV.
		9.	LX.
		10.	CII.
		17.	CXVIII.
		18.	CXIX.
		19.	CXX.
		24.	CXXI.
		26.	CXXII.
		28.	CXXIII.
		29.	CI.
		55.	LVIII.
		65.	LIX.
	XIV,	3.	XXX.
		4.	XXII.
		7.	XCV.
		14.	LXXVIII.
	XV,	1.	LV.
		2.	LIV.
		4.	LXI.
		5.	LXVIII.
		6.	LXXI.
		9.	LIII.
		11.	LXIX.
		14.	LXII.
		15.	XCVII.
		21.	XCVIII.
	XVI,	1.	LXXIII.
		11.	LXXVI.
		12.	LXXIX.
		21.	CLXVI.
ad Attic.	I,	9.	I.
		11.	II.
		13.	VII.
		14.	VIII.
		16.	IX.
		17.	X.
		18.	XI.
		19.	XII.
	II,	6.	XIV.

ORD. VULG.			HUI. EDIT.
ad Attic.	II,	17. Ep.	XV.
		19.	XVI.
		21.	XVII.
		22.	XVIII.
		23.	XIX.
		24.	XX.
		25.	XXI.
	III,	9.	XXIII.
		13.	XXV.
		15.	XXVII.
		19.	XXVIII.
		23.	XXIX.
	IV,	1.	XXXII.
		2.	XXXIII.
		3.	XXXIV.
	V,	15.	L.
		16.	LI.
	VII,	1.	LXXII.
		3.	LXXIV.
		9.	LXXV.
		12.	LXXVII.
		23.	LXXX.
	VIII,	1.	LXXXI.
		3.	LXXXII.
		7.	LXXXIII.
		8.	LXXXIV.
		11.	LXXXV. LXXXVI.
	IX,	6.	LXXXVII.
		10.	LXXXVIII.
		11.	LXXXIX.
	X,	8.	XCIV.
	XIII,	52.	CXLVI.
	XIV,	12.	CXLVII.
		13.	CXLVIII.
		17.	CXLIX.
		21.	CL.
	XVI,	7.	CLIX.
		16 app.	CLIV. CLV. CLVII. CLVIII.
ad Quintum fr.	I,	1.	XIII.
		3.	XXIV.
		4.	XXVI.
	II,	14.	XXXIX.
		15.	XL.

EPISTOLA I. (Att. I. 9.)

Scr. Romae A. U. C. 686.

CICERO ATTICO S.

Nimium raro nobis abs te litterae afferuntur, quum et multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas, et certius tibi sit, me esse Romae, quam mihi, te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam brevior haec ipsa epistola est, quod, quum incertus essem, ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. Signa Megarica et Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer exspecto. Quidquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, et arcae nostrae confidito. Genus hoc est voluptatis meae: quae *γυμνασιώδη* maxime sunt, ea quaero. Lentulus naves suas pollicetur. Peto abs te, ut haec cures diligenter. Chilius te rogat, et ego eius rogatu, *Εὐμολπιδῶν πάτρια.* 1 2 3 4 5

EPISTOLA II. (Att. I. 11.)

Scr. Romae A. U. C. 686.

CICERO ATTICO S.

Et mea sponte faciebam antea, et post, duabus epistolis tuis 1

§. 1. * *Athenis.* T. Pomponius Atticus, familiarissimus ille Ciceronis, eo tempore modo Athenis, modo in praediis Epiroticis versabatur, quae Buthroti possidebat. Cf. ad Att. I, 5.

§. 3. *Signa Megarica*, e lapide, qui Megaris nascitur, elaborata. Paus. 1, 44. *μόνοις δὲ Ἑλλήνων Μεγαρεῦσιν ὁ κογχίτης οὗτός (λίθος) ἐστι καί σφισι καὶ ἐν τῇ πόλει πεποίηται πολλὰ ἐξ αὐτοῦ. ἔστι δὲ ἄγαν λευκὸς καὶ ἄλλου λίθου μαλακώτερος, κόγχαι δὲ αἱ θαλάσσιαι διὰ παντὸς ἔνεισιν.*

Academia, gymnasio, quod in Tusculano suo exstruxerat * ad similitudinem celeberrimi gymnasii, in quo Plato Athenis docuerat. — *Arcae n. confidito*, confidito, me praesenti pecunia soluturum.

§. 4. * *γυμνασιώδη* quae sint, apparet ex epist. ad Div. VII, 23, 2. *Ea enim signa ego emere soleo, quae ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palaestra locum.* Displicere sibi scribit, quod Bacchas et Martis signum Fadius emerit; Mercurii se malle. — *Lentulus*, libertinus, *naves s. p.*, ad signa emta Romam vehenda.

§. 5. *Chilius*, poëta * qui apud Ciceronem erat, cf. ep. IX, 33. — *Εὐμολπιδῶν τὰ π.* ritus sacros, quibus Eumolpidae in Eleusiniis utebantur.

§. 1. * *Faciebam antea*, agebam cum Luccio de vestra gratia reconcilianda.

perdiligenter in eandem rationem scriptis, magno opere sum commotus. Eo accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quam diligen-
2 tissime cum Lucceio de vestra vetere gratia reconcilianda. Sed, quum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae
3 voluntatis. Tametsi jactat ille quidem illud suum arbitrium et ea, quae iam tum, quum aderas, offendere eius animum intelligebam, tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit; quod neque epistolae tuae, neque nostra allegatio tam potest facile delere, quam tu praesens non modo oratione, sed tuo vultu illo familiari tolles, si modo tanti putaris id, quod, si me audies et si
4 humanitati tuae constare voles, certe putabis. Ac, ne illud mirere, cur, quum ego antea significarim tibi per litteras, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere, incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior et in hac iracundia obfirmatior: sed haec aut sanabuntur, quum veneris, aut ei molesta
5 erunt, in utro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse; scito, nihil tam exercitum esse nunc Romae, quam candidatos, omnibus iniquitatibus, nec, quando futura
6 sint comitia, sciri. Verum haec audies de Philadelpho. Tu, velim, quae Academiae nostrae parasti, quamprimum mittas. Mire quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros vero tuos cave cuiquam tradas; nobis eos, quemadmodum scribis, conserva. Summum me eorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerum; quas tu, incredibile est, quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.

§. 1. *Cn. Sallustius*, Ciceronis familiaris, de quo ad Att. XI, 11, 17. ad Div. XIV, 4, 11. — * *Lucceius* cf. ad ep. XXXV. Diu Cicero frustra in gratia eorum reconcilianda operam posuit, Lucceio primum, postea Attico repugnante (ep. VIII, 18).

§. 3. *arbitrium*, quum arbiter captus contra L. pronuntiavisti. * *suum*, quod saepe accusare solitus est. MAN. — *allegatio* privatorum, *legatio* publica.

[*Tametsi-tamen.* vid. ad. or. pro Mur. §. 16.]

[§. 4. *in nostra pot. fore,* omnia facturum, quae vellemus, nobis obsecuturum. Imprimis magistratus dicuntur *esse in senatus potestate.*] * *litteras*, ad Att. I, 10, 2.

§. 5. *designatum,* praetorem, * *me jam arbitrari.* De accus. subi. omisso cf. Ramsh. 168. N. 10. et ep. LXV, 5. *exercitum,* vexatum. — *comitia* aliquoties dilata propter rogationes C. Cornelii trib. pl.; Cicero vero ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus est; pr. l. Man. 1.

§. 6. * *de Philadelpho* i. e. Philadelpho narrante. Philad. servus Attici. *Academiae* v. ep. 1. — *libros tuos* non esse libros ab Attico compositos, docet ad Att. I, 4, 3. libros tuos conserva et noli desperare, eos me meos facere posse.

[*quam brevi tempore quanto deter.* Or. 1, 3. *in qua* (philos.) *difficile est enumerare, quot viri quanta scientia fuerint.* Mil. 14, 38. *quem si interficere voluisset, quantae quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt.* Cf. Tusc. IV, 2, 5.]

[*Mire quam, θαυμαστῶς ὡς.* Vid. Gramm. gr. schol. p. 617. §. 628.]

EPISTOLA III. (ad Div. V. 7.)

Scr. Romae A. U. 691.

D. Junio Silano, L. Licinio Murena Coss.

M. TULLIUS M. F. CICERO S. D. CN. POMPEIO CN. F. MAGNO, IMPERATORI.

S. T. E. Q. V. B. E. Ex litteris tuis, quas publice misisti, cepi 1
una cum omnibus incredibilem voluptatem: tantam enim spem otii
ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicebar.
Sed hoc scito, tuos veteres hostes, novos amicos, vehementer litteris 2
perculsos atque ex magna spe deturbatos jacere. Ad me autem litte- 3
ras, quas misisti, quamquam exiguam significationem tuae erga me
voluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse: nulla enim re
tam laetari soleo, quam meorum officiorum conscientia; quibus si
quando non mutue respondetur, apud me plus officii residere facillime
patior. Illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia 4
parum mihi adiunxerint, res publica nos inter nos conciliatura con-
iuncturaque sit. Ac, ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim, 5
scribam aperte, sicut et mea natura et nostra amicitia postulat. Res
eas gessi, quarum aliquam in tuis litteris et nostrae necessitudinis et
rei publicae causa gratulationem exspectavi: quam ego abs te prae-
termissam esse arbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes.
Sed scito, ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae 6
iudicio ac testimonio comprobari. Quae, quum veneris, tanto consilio
tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo
maiori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Laelium,
facile et in re publica et in amicitia adiunctum esse patiare.

§. 1. *publice*, ad Senatum P. que R. confecto bello Mithridatico. **otii* a bellis externis — *pollicebar* maxime in orat. pro l. Manil.

§. 2. *vet. h. nov. am.* i. e. qui se inde ab aliquo tempore tibi favere simulant, quum antea adversati fuerint, v. c. Lucullus, Hortensius, Catulus, (vid. orat. pro l. Manil. 20 sqq. Dio Cass. 36, 26 sq. Plut. Pomp. 25. 30.) C. Calpurnius Piso (Plut. Pomp. 27.).

§. 3. * *exiguam significationem.* Cicero coniuratione Catilinaria oppressa ad Cn. Pompeium epistolam miserat de suis rebus gestis et de summa reipublicae (pr. Sulla, 24. §. 67.). Pompeius vero, ut ex iis, quae sequuntur, apparet, harum rerum mentionem omiserat. — *mutue* cf. ep. V, 5, 11.

[*plus officii* — plura officia me praestitisse quam quorum gratia referatur.] **facillime patior*, aequo animo fero; cf. infra §. 6. ep. XLI, 62. CX, 8.

§. 4. * *summa studia.* Cicero praetor suasit Manilii rogationem, consul ad senatum retulit, ut Pompeio decem dierum supplicatio decerneretur.

§. 5. *in tuis litteris*, publice missis.

* *cuius animum*, eorum, qui occulte coniuratis favisse credebantur, ut Caesaris, Crassi.

EPISTOLA IV. (ad Div. V. 1.)

Scr. ex Gallia citeriore a. 691.

Q. METELLUS Q. F. CELER PROCOS. S. D. M. TULLIO CICERONI.

1 Si vales, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo et pro reconciliata gratia, nec me absentem ludibrio laesum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri. 2 Quem si parum pudor ipsius defendebat, debebat vel familiae nostrae dignitas, vel meum studium erga vos remque publicam satis sublevare. Nunc video illum circumventum, me desertum, a quibus minime con- 3 veniebat. Itaque in luctu et squalore sum, qui provinciae, qui exercitui praesum, qui bellum gero. Quae quoniam nec ratioue, nec maiorum nostrorum clementia administrastis, non erit mirandum, si vos poenitebit. 4 Te tam mobili in me meosque esse animo non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria a re publica abducet.

EPISTOLA V. (ad Div. V. 2.)

Scr. Romae A. U. C. 691.

M. TULLIUS M. F. CICERO Q. METELLO Q. F. CELERI PROCOS. S. D.

1 Si tu exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo et pro reconciliata gratia, numquam te a me ludibrio laesum iri. Quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum; sed tamen suspicor, ad te esse allatum, me in senatu, quum disputarem, permultos esse, qui rem publicam a me conservatam dolerent, dixisse, a te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quae statuisses tibi in senatu de mea laude esse 2 dicenda, reticeres. Quod quum dicerem, illud adiunxi, mihi tecum

Ep. IV. *Q. Metellus,* qui praetor Ciceronem in coniuratione Catilinaria opprimenda strenue adiuverat (Catil. I, 8. II, 3, 12. Sall. 23. Sallust. Catil. 30. 42.), tunc Galliae citeriori ex praetura pro consule praefectus.

§. 1. *ob dictum.* v. epist. V. * *capite.* Caput non vitam solum hominis, sed statum libertatis, ius civitatis et honorum significat. Causa capitis condemnatus aut locum in senatu, aut civitatem, aut libertatem amittit, aut exsilio punitur, aut morte mulctatur.

§. 2. * *erga vos,* te et optimates.

§. 3. *qui bellum gero,* cum Salassis et Inalpinis gentibus. *in luctu et squalore.* Si quis erat capitis reus, propinqui eius squalidi, mutata veste induti iudicibus supplicare solebant.

§. 1. * *propinquos tuos,* Q. Metellum Nepotem et P. Clodium.

ita dispertitum officium fuisse in rei publicae salute retinenda, ut ego urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, tu Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderes, atque hanc nostram tanti et tam praeclari muneris societatem a tuis propinquis labefactatam, qui, quum tu a me rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent, ne quae mihi pars abs te voluntatis mutuae tribueretur. Hoc in sermone quum a me exponeretur, quae mea exspectatio fuisset orationis tuae, quantoque in errore ver- 3
satus essem; visa est oratio non iniucunda, et mediocris quidam est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, et quod me abs te cupisse laudari aperte atque ingenue confitebar. Iam hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis 4
atque amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuae vocis habere voluisse. Quod autem ita scribis, „pro mutuo inter nos animo“: 5
quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio. Equidem hoc arbitror, quum par voluntas accipitur et redditur. Ego, si hoc dicam, me tua causa praetermisisse provinciam, tibi ipsi levior videar esse: 6
meae enim rationes ita tulerunt, atque eius mei consilii maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio. Illud dico, me, ut primum 7
in contione provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare coepisse. Nihil dico de sortitione vestra; tantum 8
te suspicari volo, nihil in ea re per collegam meum, me insciente, esse factum. Recordare cetera: quam cito senatum illo die, facta 9
sortitione, coëgerim; quam multa de te verba fecerim, quum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuos contumeliosam fuisse. Iam illud senatus consultum, 10
quod eo die factum est, ea praescriptione est, ut, dum id exstabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Postea vero quam 11
profectus es, velim recordere, quae ego de te in senatu egerim, quae in contionibus dixerim, quas ad te litteras miserim. Quae quum omnia collegeris, tu ipse velim iudices, satisne videatur his omnibus rebus tuus adventus, quum proxime Romam venisti, mutue respondisse.

§. 2. * *intestino scelere*, coniuratorum, qui in urbe remanserant. — *armatis hostibus*, Catilina et Manlio.

§. 3. * *risus est consecutus*, quamobrem Metellus ludibrio se laesum dicit.

[§. 4. *in clar.* vid. ad or. pro Mur. §. 34. cf. pro Mil. 6, 15. Off. II, 2, in.]

§. 6. *provinciam.* cf. in Pis. 2, 5. * Etiam post praeturam Cicero provinciae praeesse noluerat, quod intellexerat, *populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere.* pr. Planc. 26.

§. 8. * *sortitione.* Consules et praetores provincias a senatu decretas aut sortiebantur aut comparabant inter se. — *vestra*, praetorum.

collegam meum, C. Antonium.

§. 10. * *praescriptione.* Praescribebantur senatus consultis *auctoritates*, i. e. nomina senatorum, qui *scribendo adfuerant*, cf. ad ep. LXXI, 6. Videntur huic SC. clarissimi senatores honoris causa nomina sua praeponenda curasse.

§. 11. * *profectus es*, in Picenum contra Catilinae copias. *mutue respondisse* cf. ep. III, 3.

12 Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur recon-
13 ciliatam esse dicas, quae numquam imminuta est. Quod scribis, non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari: primum, hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari et fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem; deinde si qua ego in re fratri tuo rei publicae causa restiterim, ut mihi ignoscas: tam enim sum amicus rei publicae, quam qui maxime; si vero meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim, satis
14 habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. Quem ego quum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari, egi cum Claudia, uxore tua, et cum vestra sorore Mucia, cuius erga me studium pro Cn. Pompeii necessitudine multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa iniuria deterre-
15 rent. At ille, quod te audisse certo scio, pridie Kal. Ianuar. qua iniuria nemo umquam in minimo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit, quum rem publicam conservassem, atque abeuntem magistratu contionis habendae potestate privavit; cuius iniuria
16 mihi tamen honori summo fuit. Nam quum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret, magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum, quod populus idem magna voce me vere iurasse iuravit.
17 Hac accepta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut de illa mente desisteret. Quibus ille respondit, sibi non esse integrum. Etenim paullo ante in contione dixerat, ei, qui in alios animadvertisset indicta causa, dicendi
18 ipsi potestatem fieri non oportere. Hominem gravem et civem egregium!

* §. 13. *Quod scribis*, cf. Zumpt. Gr. 627. — Q. *Metellus* Nepos, frater Metelli Celeris germanus, qui bello Mithridatico Cn. Pompeii legatus fuerat, Romam redux trib. pl. factus est. — *Tecum conqueri* cf. ep. LXIII, 4. CXXXIII, 11.

[§. 14. *sui tribunatus*, quem initurus erat IV Id. Dec. De re cf. Dio Cass. 37, 42.] * *Claudia*, sive Clodia, Ap. Claudii Pulchri et P. Clodii soror impudica, de qua multus Cicero pr. Coelio.

[*cum vestra sorore Mucia*, uxore Cn. Pompeii.] — * *necessitudine*, quae mihi cum Pompeio est.

§. 15. *privavit*. in Pis. 3, 6. *Ego quum in contione, abiens magistratu, dicere a trib. pl. prohiberer, quae constitueram, quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, remp. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus R. universus illa in contione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit.* cf. Plut. Cic. 23.

§. 17. * *integrum*, sibi iam non licere a causa semel suscepta desistere; cf. ep. XLI, 22. — *indicta causa*. Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Caeparius, qui coniurationis Catilinariae fuerant participes, non populi iudicio, ut leges iubebant, sed ex Senatus consulto capitis damnati et a Cicerone cons. ad supplicium dati sunt. Sall. Cat. 55.

§. 18. * *hominem gravem*, ironice dictum. — *curiam caede*, Cethegus caedem senatorum, (IV. Catil. 6.) Cassius incendium urbis, (III. Catil. 6.) Manlius et Catilina ipse bellum gerendum in se receperant.

qui, qua poena senatus consensu bonorum omnium eos affecerat, qui urbem incendere, magistratus ac senatum trucidare, bellum maximum conflare voluissent, eadem dignum iudicaret eum, qui curiam caede, urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego Metello, fratri 19
tuo, praesenti restiti. Nam in senatu Kalendis Ianuariis sic cum eo de re publica disputavi, ut sentiret, sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum. Ante diem tertium Nonas Ianuarias quum agere 20
coepisset, tertio quoque verbo orationis suae me appellabat, mihi minabatur, neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione posset, non iudicio neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. Huius ego temeritati si virtute atque animo non 21
restitissem, quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse? Haec si tu Metellum cogitare 22
de me nescisti, debes existimare, te maximis de rebus a fratre esse celatum; sin autem aliquid impertivit tibi sui consilii, lenis a te et facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. Et, si intelligis, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio eius 23
animoque in me inimicissimo esse commotum, cognosce nunc humanitatem meam, si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est a me umquam sententia dicta 24
in fratrem tuum; quotiescumque aliquid est actum, sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt. Addam illud etiam, quod iam 25
ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuvi, ut senati consulto meus inimicus, quia tuus frater erat, sublevaretur. Quare non ego oppugnavi fratrem 26
tuum, sed fratri tuo repugnavi, nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate etiam desertus ab officiis tuis permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi paene minitanti nobis per 27
litteras hoc rescribo atque respondeo: Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo: meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoque 28
aequum te iudicem dolori meo praebeas: si crudeliter, si acerbe, si sine causa sum a tuis oppugnatus, ut statuas, mihi non modo non cedendum,

§. 19. * *praesenti restiti*, cf. ep. IX, 21.

§. 20. * *agere*, apud populum de Pompeio cum imperio revocando.

[§. 22. *tecum expostulem*. Cf. infr. 67, 13. pro Planc. 24.]

§. 24. *quotiescumque aliquid est actum*: Suet. Caes. 16. *Caec. Metello trib. pl. turbulentissimas leges adversus collegarum intercessionem ferenti auctorem propugnatoremque se pertinacissime praestitit* (Caesar praetor), *donec ambo administratione reip. decreto patrum submoverentur*; quod decretum postea inductum esse idem scribit ibid. *sedens assensi*. * Senatores, qui sententiam suam pluribus dicebant, stantes verba facere solebant, reliqui aut verbo manuve assentiebantur, aut pedibus in sententiam ibant.

§. 25. * *sublevaretur*, priori senatusconsulto inducto. — *pro mea parte adiuvi*, assentiendo.

§. 27. * *paene minitanti*, verbis: *non erit mirandum, si vos poenitebit.*

sed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in eiusmodi causa utendum
29 fuisse. Ego te mihi semper amicum esse volui; me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboravi. Maneo in voluntate, et, quoad voles tu, permanebo, citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quidquam de nostra benivolentia detraham.

EPISTOLA VI. (ad Div. V. 5.)

Scr. Romae A. U. C. 692.

M. CICERO

S. D.

C. ANTONIO M. F. IMPERATORI.

1 Etsi statueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias, non quo eas intelligerem satis apud te valere, sed ne iis, qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione imminutum esse ostenderem, tamen, quum T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum et officiorum maxime conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad
2 te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi, praesertim quum aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemin ivideri debeat: omnia enim a mé in
3 te profecta sunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent. Pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. Contra etiam esse aliquid abs te

§. 28. *exercitus tui auxilio.* Ridet id, quod Metellus ep. 4. §. 3. scripserat paene minitans, *qui exercitui praesum*, et sibi potius Metelli et exercitus auxilio adversus fratris conatus utendum fuisse iocatur. *Martyni-Lag.*

§. 29. * *quoad voles.* Metellus Celer paullo post cum Cicerone in gratiam rediit, posteriori tempore etiam Metellus Nepos, cf. ep. XXXI.

Ep. VI. *Imperatori* e bello Catilinario, Dio Cass. 37, 40. cf. Fabric. vit. Cicer. p. 109. ed. Heus. Monuit Martyni-Laguna. — C. vero Antonius, Cironis in consulatu collega, qui Macedoniam hoc tempore proconsul administrabat, quum magno aere alieno oppressus (Plut. Cic. p. 866. E.). provinciam cupidius affectasset (in Pis. c. 6. in.), postea, infamia divexatae provinciae laborans, *in cogendis pecuniis dictitaverat, partem Ciceroni quaeri et ab eo custodem communis quaestus libertum esse missum*, ut scribit ad Att. I, 12. *Mart. L.*

§. 2. *profecta sunt.* ad Div. V, 6. *C. Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu gravissime ac diligentissime defendi, senatumque vehementer oratione mea atque auctoritate commovi.* * Cicero, ut Antonii animum sibi conciliaret, provinciam Macedoniam extra sortem ei concesserat. Postea, quum in senatu ageretur de Antonio ante tempus e provincia revocando, strenue eum defenderat. Neque tamen ab Antonio ulla gratia relata.

profectum, ex multis audivi: nam comperisse me, non audeo dicere, ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri. Sed ea, quae ad me delata sunt, malo te ex Pom- 4
ponio, cui non minus molesta fuerunt, quam ex meis litteris, cognoscere. Meus in te animus quam singulari officio fuerit, et senatus 5
et populus Romanus testis est. Tu quam gratus erga me fueris, ipse 6
existimare potes. Quantum mihi debeas, ceteri existimant. Ego quae tua causa antea feci, voluntate sum adductus, posteaque constantia. Sed reliqua, mihi crede, multo maius meum studium maioremque 7
gravitatem et laborem desiderant. Quae ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo; sin autem ingrata esse sentiam, non committam, ut tibi ipse insanire videar. Ea quae 8
sint et cuiusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut, quamquam ipsius causa confido te facturum esse omnia, tamen abs te hoc petam, ut, si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. Hoc mihi nihil gratius facere potes.

EPISTOLA VII. (Att. I. 13.)

Scr. Romae VI Kal. Febr. A. U. C. 692.

CICERO ATTICO S.

Accepi tuas tris iam epistolas, unam a M. Cornelio, quam Tri- 1
bus Tabernis, ut opinor, ei dedisti, alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit, tertiam, quam, ut scribis, ancora soluta de phaselo dedisti, quae fuerunt omnes rhetorum: pure loquuntur, quum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis. Quibus epistolis 2
sum equidem abs te lacessitus ad scribendum; sed idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium: quotus enim quisque est, qui

§. 3. *comperisse me*, quo verbo in coniuratienis Catilinariae molimi-nibus uti solebat Cicero. vid. infr. ad ep. VIII, 15. Acad. IV, 19, 62.

§. 6. * *constantia*, ne mobili animo in te fuisse viderer.

§. 7. *reliqua*, si, quod Pompeius imprimis agebat, repetundarum accusaretur Antonius; ad Att. I, 12. ubi se nec posse nec velle hominem defendere scribit. [Accusatus est de repetundis a Q. Fabio Max. de maiestate a Coelio a. u. 694.] * *sustinebo*. Antonius reus postea a Cicerone frustra defensus est, nam legibus Corneliis Sullae de repet. et de maiest. damnatus, Cephalleniam in exsilium abire coactus est. — *ingrata*, quorum gratia non refertur.

§. 1. *Tribus Tabernis*, in via Appia, ubi deverti viatores et cibo vinoque se reficere poterant. Venerat vero Romam Atticus vocatu Ciceronis futuri consulis, et totum annum consulatus Ciceronis et sequente quoque Romae fuisse videtur. * *Canusinus*. Canusium, oppidum Apuliae, item in via Appia. — *rhetorum*, epistolae adeo elegantes erant, ut a rhetoribus scriptae videri possent. Sch.

epistolam paullo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? 3 Accedit eo, quod mihi non perinde est, ut quisque in Epirum proficiscitur. Ego enim te arbitror, caesis apud Amaltheam tuam victimis, 4 statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum. Neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium profisciscare, aut quid in Epiro temporis ponas. Ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis 5 paullo liberiores litteras committere audeo. Sunt autem post discessum a me tuum res dignae litteris nostris, sed non committendae eiusmodi 6 periculo, ut aut interire aut aperiri aut intercipi possint. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante senatu neque me invito esse factum: sum enim et ab observando homine perverso liber, et ad dignitatem in re publica retinendam contra illius voluntatem solutus, et ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem paene principis, et voluntatem non nimis devinctam beneficio-consulis. 7 Tertius est Catulus, quartus (si etiam hoc quaeris) Hortensius. Consul autem ipso parvo animo et pravo, tantum cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis ridiculus, nihil agens cum re publica, seiunctus ab

§. 2. * *relevarit*, quod *graviorem* dixerat epistolam.

§. 3. * *ut quisque proficiscitur*, utrum homo fidelis, an perfidus ac levis. OR. —

caesis apud Amaltheam tuam (villam Attici in Epiro) *victimis*, quod fieri solebat ab imperatoribus in bellum proficiscentibus, quibuscum per iocum comparat Atticum *ad Sicyonem oppugnandum*, id est, ad exprimendam a Sicyoniis pecuniam, quam ei debebant, profecturum.

§. 4. * *ad Antonium*, v. ep. VI, 1. — *ponere*, proprie de pecunia.

§. 6. *rogatum sententiam*, a M. Pisone Cos. *Pacificatorem Allobrogum*, C. Calpurnium Pisonem, qui Galliam Narbonensem ex consulatu (a. u. 697.) obtinuerat.

* *admurmurante*, submisso quodam murmure significante, illud sibi non placere. cf. C. Verr. V, 16, 41. *quam valde universi admurmurarint, quam palam principes contra dixerint.*

solutus, non obstrictus s. devinctus beneficio consulis, ita ut integrum mihi sit ad dignitatem meam in rep. (non dignitatem reip., ut Schütz.) retinendam Consuli adversari.

§. 7. *Catulus*. Q. Lutatius Cat. Cos. cum Aemilio Lepido a. u. 675. a quo de actis Sullae rescindendis dissensit, idem qui legi Maniliae postea restitit. *Hortensius*, orator, Cos. cum Q. Caecilio Metello a. u. 684.

cavillator. Or. II, 54. *Quum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve; illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est.* De eodem Pisone Cic. Brut. 67. *M. Piso — — habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum.*

nihil agens cum rep. i. e. in agendo non cum rep. coniunctus, non spectans utilitatem reip. *Ern.* [Hinc fortasse consilia ad reip. utilitatem spectantia vocantur reipublicae consilia Catil. III, 6, 14.] * Simile indicium de Pisone conf. ep. VIII. 16. *uno vitio minus vitiosus, quod iners* etc.

optimatibus, a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult, nihil metuas mali, quia non audet. Eius autem collega et in me perhonorificus et partium studiosus ac defensor bonarum. Quin nunc leviter inter se dissident. Sed vereor, ne hoc, quod infectum est, serpat 8
longius: credo enim te audisse, quum apud Caesarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium quum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam; (is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrum putes) postea rem ex senatus consulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum; deinde ex senatus consulto consules rogationem promulgasse; uxori Caesarem nuntium remisisse. In hac causa Piso, amicitia P. Clodii 9
ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, et fert ex senatus consulto et de religione, antiquetur. Messala vehementer adhuc agit severe. Boni viri precibus Clodii removentur a causa; operae comparantur; nosmetipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur. Instat et urget Cato. Quid multa? vereor, ne haec, neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum rei publicae malorum causa sint. Tuus autem ille amicus, (scin' quem dicam? de 10
quo tu ad me scripsisti, postea quam non auderet reprehendere, laudare coepisse) nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat; occulte, sed ita, ut perspicuum sit, invidet. Nihil 11
come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed haec ad te scribam alias subtilius: nam neque adhuc mihi satis nota sunt, et huic terrae filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. Provincias 12
praetores nondum sortiti sunt. Res eodem est loci, quo reliquisti.

Eius autem collega, M. Messala.

§. 8. *quod infectum est*, quod tabe vel peste contactum est, trahat atque inficiat ulteriora i. e. ne consul collegae suo scabiem affricet. *Gronov.*

apud Caesarem, ut pontificem max. Sermo est de sacris Bonae deae. * *virum*, P. Clodium.

* *Virgines*, Vestales. * Sacra Bonae deae quam occulta fuerint, v. Cic. de harusp. resp. 17. 18.

[*mentionem* facere dicitur, qui de re, de qua non relatum fuit a Cos. sententiam proponit; quod est omnium senatorum.] * *Q. Cornificius*, homo novus, praetor fuerat cum Cicerone atque simul cum eo consulatum petierat.

[*aliquem nostrum*, consularium, quos magis decebat.]

[*rogationem*, ut iudicium de pollutis sacris constitueretur.] * *uxori*, Pompeiae, filiae Pompeii Rufi. — *nuntium remisisse*, divortium fecisse.

§. 9. *Boni viri*, optimates, nobiles, *οἱ ἀγαθοί, ἄριστοι.* * *operae*, homines mercede conducti, quorum suffragiis rogatio tollatur. MAN.

Lycurgei, similes Lycurgo, nobili oratori Atheniensi, acerrimo improborum accusatori. v. Brut. 34. * M. Porcius *Cato*, tum tribunus pl., qui Metello et Caesari (cf. ep. V.) fortiter restiterat.

§. 10. *Tuus — amicus*, Pompeius. * *reprehendere*, quae Cicero consul gesserat.

occulte — invidet. ad Div. VIII, 1. de eodem Pomp. *solet enim aliud sentire et loqui, neque tantum valere ingenio, ut non appareat, quid cupiat.*

* *terrae filio*, ignotis parentibus orto, cf. ad Div. VII, 9.

§. 12. * *praetores*, in quibus erant Q. Cicero et C. Caesar.

13 *Τοποθεσίαν*, quam postulas, Miseni et Puteolorum includam orationi meae? A. d. III Non. Decemb. mendose fuisse animadverteram.
14 Quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant; sed non audebam antea dicere. Nunc vero, quod a te probata sunt, multo mi *ἀττικώτερα* videntur. In illam orationem Metellinam addidi quaedam. Liber tibi mittetur; quoniam te amor nostri *φιλορήτορα* reddidit.
15 Novi tibi quidnam scribam? quid? Etiam. Messala consul Autronianam domum emit LLS CXXXIV. Quid id ad me, inquies? Tantum, quod ea emptione et nos bene emisse iudicati sumus, et homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire.
16 Teucris illa lentum negotium est, sed tamen est in spe. Tu ista confice. A nobis liberiorem epistolam exspecta. VI Kalend. Febr. M. Messala, M. Pisone coss.

EPISTOLA VIII. (Att. I. 14.)

Scr. Romae A. U. C. 692.

CICERO ATTICO S.

1 Vereor, ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus; sed tamen distinebar, ut huic vix tantulae epistolae tempus habuerim,
2 atque id ereptum e summis occupationibus. Prima contio Pompeii qualis fuisset, scripsi ad te antea: non iucunda miseris, inanis im-
3 probis, beatis non grata, bonis non gravis. Itaque frigebat. Tum Pisonis consulis impulsu levissimus tribunus plebis Fufius in contionem

§. 13. * *Τοποθεσίαν*, locorum descriptionem cf. ep. IX, fin. Cuinam orationi eam incluserit, nescitur. — *mendose fuisse*, fortasse in eadem oratione. *animadverteram*, antequam monuisti.

§. 14. *Metellinam*, contra contionem Q. Metelli Nepotis. vid. Quint. IX, 3, 50. Gell. XVIII, 7. * *liber*, exemplum orationis Metellinae.

§. 15. [*etiam*. Cf. ep. 74, 20.] *Autronianam domum*, L. Autronii Paeti, qui tunc coniurationis nomine damnatus exsulabat. ad Att. III, 2. pro Sulla 6.

bene emisse, domum de Crasso, pecunia a Sulla mutua sumta, * LLS XXXV., i. e. tricies quinquies centenis milibus sestertium, cf. ad Div. V, 6.

* *amicorum facultatibus*, pecunia mutua sumta, quod et Cicero et Messala fecerunt.

§. 16. *Teucris* videtur significari C. Antonius, * ad quem Atticus profecturus erat, v. s.

* *liberiorem*, qua veros animi sensus aperte exprimam.

§. 2. *Prima contio* P. post reditum e bello Mithridatico. * Displicebat Ciceroni, quod Pompeius, ut in litteris publice missis, (cf. ep. III.) ita in prima contione, quam cum imperio extra urbem habuit, mentionem rerum a Cicerone gestarum non fecerat.

§. 3. * Q. *Fufius* Calenus, postea a. 694. praetor, a. 706. tribus extremis mensibus consul cum P. Vatinio.

produxit Pompeium. Res agebatur in circo Flaminio, et erat in eo ipso loco illo die nundinarum *πανήγυρις*. Quaesivit ex eo, placeretne ei, iudices a praetore legi, quo consilio idem praetor uteretur; id autem erat de Clodiana religione ab senatu constitutum. Tum Pom- 4
peius *μάλ' ἀριστοκρατικῶς* locutus est, senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximi videri semperque visam esse respondit, et id multis verbis. Postea Messala consul in senatu de Pompeio quae- 5
sivit, quid de religione et de promulgata rogatione sentiret. Locutus ita est in senatu, ut omnia illius ordinis consulta *γενικῶς* laudaret, mihique, ut assedit, dixit, se putare, satis ab se etiam de istis rebus esse responsum. Crassus postea quam vidit illum excepisse laudem ex 6
eo, quod suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit ornatissimeque de meo consulatu locutus est, ut ita diceret, se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro, (nosti illas *ληκύθους*) valde graviter pertexuit. Proxime Pompeium sedebam. Intellexi hominem moveri; 7
utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur, ab eo praesertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus esset. Hic dies me valde 8
Crasso adiunxit: et tamen ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi. Ego autem ipse, dii boni! quo modo *ἐνεπερπερευσάμην* 9
novo auditori Pompeio! si umquam mihi *περίοδοι*, si *καμπαί*, si *ἐνθυμήματα*, si *κατασκευαὶ* suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores. Etenim haec erat *ὑπόθεσις*, de gravitate ordinis, de eque-

* *circo Flaminio*, extra urbem, in pratis, quae olim vocabantur, Flaminiis. Lucullus de Mithridate triumphans hunc circum exornaverat.

§. 4. * *μάλ' ἀριστοκρατικῶς*, ut optimatem decet.

§. 5. * *de Pompeio*, cf. ep. II, 6.

* *de promulgata rogatione* Messalae et Pisonis, ut iudices de incesto Clodii non sorte ex decuriis iudicum ordinariorum ducerentur, sed a praetore extra ordinem legerentur.

* *de istis rebus*, de religione.

§. 5. *γενικῶς*, generaliter.

§. 6. * M. Licinius *Crassus*, cons. a. 67. et 52., qui postea cum Pompeio et Caesare societatem iniit.

* *suspicarentur*, quod Pompeius dixerat, omnia senatus consulta sibi placere.

* *Aristarchus*, grammaticus Alexandrinus, acerrimus Homeri iudex; cf. ad Div. III, 11. fin.

* *ληκύθους*, ampullas, verborum inanes tumores, cf. Hor. ad Pis. 97.

§. 7. [*utrum Cr.* pro utrum propterea (moveri) quod intelligebat Cr. inire eam gratiam etc.]

litteris, scriptis, ut or. pro I. Man. 11. pro Sext. 31. ubi belli servilis finiti gloriam soli Pompeio, non Crasso, tribuit.

§. 8. *ab illo*, Pompeio. *aperte, tecte*, sive aperte sive tecte, ut in illis, *velit, nolit, sciam, nesciam.*

§. 9. *de gravitate ordinis*, senatus, qui Catonis sententiam secutus de coniuratis supplicium sumendum censuerat. — *de intermortuis*, fractis, debilitatis, *reliquiis conj.* in Pis. 7.

stri concordia, de consensione Italiae, de intermortuis reliquiis coniurationis, de vilitate, de otio. Nosti iam in hac materia sonitus nostros; tanti fuerunt, ut ego eo brevior sim, quod eos usque istim exauditos
10 putem. Romanae autem se res sic habent: Senatus Ἄρειος πάγος. Nihil constantius, nihil severius, nihil fortius. Nam quum dies venisset rogationi ex senatus consulto ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, et populum, ut anti-
11 quaret, rogabant. Piso autem consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. Operae Clodianae pontes occuparant: tabellae ministraban-
12 tur ita, ut nulla daretur UTI ROGAS. Hic tibi Rostra Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit, si id est convicium, vox
13 plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni; insignis vero
14 opera Favonii fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur, senatus vocatur. Quum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad xv Curioni nullum senatus consultum facienti assenserunt: ex altera parte
15 facile cccc fuerunt. Acta res est. Fufius tribunus tum concessit. Clodius contiones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messalam consulem contumeliose laedebat; me tantum comperisse omnia criminabatur. Senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat, ut ante quam rogatio lata esset, ne quid ageretur.

16 Habes res Romanas. Sed tamen etiam illud, quod non speraram, audi. Messala consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri

§. 16. *eandem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis*, laudante Schütz.

* *de vilitate*, annonae, quae in urbe fuit ipso consule. ERN. *de otio*, quod civitati consul peperit coniuratione oppressa. MAN.

istim, istinc, ex Epiro.

§. 10. * Ἄρειος πάγος, iudicium gravissimum, quale Athenis Areopagitarum, quorum incorrupta severitas in proverbium abiit. (cf. ep. IX, 13.)

filiola Curionis, C. Curione filio, qui cum M. Antonio foedam consuetudinem habebat. Vellei. II, 48, 3. *C. Curio — — vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus*, ubi Ruhnk. laudat Phil. II, 18. Plut. Anton. p. 916. C.

§. 11. * *Operae Clodianae*, cf. ad ep. VII, 9.

* *pontes*, per quos in septa transibant cives in suffragiis ferendis, tabellas in urnam coniecturi. SCH.

* *ministrabantur*, a diribitoribus.

uti rogas, igitur eae tantum, quae inscriptae erant litteris A. P. *antiqua probo*, *antiquo*.

§. * 13. *Favonii*, imitatoris M. Catonis, cf. ad Div. VIII, 11, 2.

* §. 14. *Curioni*, C. Curioni patri.

§. 15. *Acta res est*, factum est decretum, ut Coss. populum ad rogationem accipiendam cohortarentur. * *Fufius* v. ad. §. 3.

Lucullum, qui *Clodium cum sorore germana nefarium stuprum fecisse iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse*, pro Mil. 27.

Hortensium. v. ep. IX, 4. *C. Pisonem*, de quo ad ep. VII, §. 6.

comperisse. vid. ep. VI, 3.

laudator, amator, imitator. Ille alter uno vitio minus vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπραγμάτατος, sed voluntate ita κακέκτης, ut Pompeium post illam contionem, in qua ab eo senatus laudatus est, odisse coeperit. Itaque mirum in modum 17
omnes a se bonos alienavit. Neque id magis amicitia Clodii adductus facit, quam studio perditarum rerum atque partium. Sed habet sui similem in magistratibus praeter Fufium neminem. Bonis utimur tribunis plebis, Cornuto vero Pseudocatone. Quid quaeris?

Nunc ut ad privata redeam, Teucris promissa patravit. Tu man- 18
data effice, quae recepisti. Quintus frater, qui Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit H — S DCCXXV, Tusculanum venditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum. Cum Lucceio in gratiam redi. Video, hominem valde petiturire. Navabo operam. Tu, quid agas, ubi sis, cuiusmodi istae res sint, fac me quam diligentissime certiorem. Idibus Febr.

EPISTOLA IX. (Att. I. 16.)

Scr. Romae A. U. C. 692. mense Quintili.

CICERO ATTICO S.

Quaeris ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam praeter 1
opinionem omnium factum sit, et simul vis scire, quo modo ego minus, quam soleam, proeliatus sim; respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi 2
defendenda fuit, sic acriter et vehementer proeliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent. Quodsi tibi umquam sum visus in re publica fortis, certe me in illa causa admiratus esses. Quum enim ille ad contiones confugisset, in iisque meo nomine ad 3

[*uno vitio minus vit.* Lepide. Unum vitium inest Pisoni, propter quod reliqua vitia minora aut irrita sunt, quia minus noxia fiunt eo vitio, i. e. inertia et ignavia. *Ern.*]

* *illam contionem*, cf. §. 4.

§. 17. * *C. Cornuto*, trib. pl., qui tribus post annis praetor factus est.

quid quaeris? ut paucis rem absolvam. Pertinet ad voc. Pseudocatone.

§. 18. * *Teucris* cf. ad ep. VII, 16. *promissa patravit*, pecuniam solvit.

Argiletum erat pars urbis prope Palatium.

* *Dodrantem.* Universa haereditas librae s. assis nomine significatur. Quintus ex quadrante, i. e. ex quarta parte, haeres, reliquas novem partes emit a cohaeredibus. MAN. — H — S DCCXXV, septingentis viginti quinque millibus. *Cum Lucceio*, cf. ep. II, 1.

petiturire, quod ep. X, 23. dicit: *Luccejum scito consulatum habere in animo statim petere.*

§. 1. * *Iudicio* Clodii, de quo epist. VIII. — *proeliatus sim*, contra Clodium.

§. 3. * *meo nomine ad invidiam uteretur*, cf. ep. VIII, 15.

invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis! Saepe, ita me dii iuvent! te non solum auctorem consiliorum meorum,
4 verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. Postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus plebis ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus, (in eo autem erant omnia) pugnavitque, ut ita fieret, quod et sibi et aliis persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse; contraxi vela, perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non
5 possem praeterire. Itaque, si causam quaeris absolutionis, (ut iam πρὸς τὸ πρότερον revertar) egestas iudicum fuit et turpitudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio, qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quae ex senatus consulto ferebatur, non vidit illud, satius esse, illum in infamia relinqui ac sordibus,
6 quam infirmo iudicio committi. Sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, quum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudicium, si quaeris, quale fuerit; incredibili exitu, sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hor-
7 tensii reprehendatur. Nam ut reiectio facta est clamoribus maximis, quum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos reiiceret, reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni coeperunt: non
8 enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit. Maculosi sena-

* *Pisonem*, consulem. *manum*, eorum qui cum Clodio facerent.

* §. 4. *Fufius* v. ep. VIII, 3. 15. — *consulari*, quam consules ex senatus consulto tulerant. — *nullis iudicibus*, ablat. absol.

iudicum genus. Rogatio consularis iubebat iudices a praetore legi extra ordinem, Fufia, ut sorte de more legerentur e decuriis iudicum. *Ern.*

[*inopiam iudicum*, propter quam facile corrumpi poterant.]

* *testimonio*, quum Clodius iudicibus se probaturum affirmaret, quo die in sacris Bonae Deae deprehensus diceretur, eo die Interamnae apud C. Cassinium Scholam fuisse: Cicero contra testatus est, eo die se Clodium convenisse et allocutum esse. Vid. Plut. Cic. 29. MAN.

§. 5. *illum*, Clodium. [*in infam. rel.* reum manere facinoris et suspectum, quum non esset absolutus iudicio legitimo. *Ern.*]

§. 6. *plumbeo gl. iug. iri* per quosvis et qualescunque iudices condemnatum iri. [*pl. glad. tamen*, quamvis plumbeus esset gladius. Cf. ad Catil. III, 5, 10.]

§. 7. * *reiectio*. Accusatori et reo, quum primum iudicum sortitio a praetore facta est, reiicere licet, quos aliqua de caussa sibi infensos fore aut non satis integros esse putent.

* *accusator*, L. Cornelius Lentulus Crus, qui Plutarcho auctore (Pl. Caes. 10.) tunc trib. pl. erat. Subscripserant complures alii, ut C. Fannius, cf. ep. XX, 10.

* *clemens lanista*, gladiatorum magister, qui paria componens optimos gladiatores relicit, ut iis parcat.

§. 8. *Maculosi*, censoria nota infames, turpes vitiis. *nudi*, inopes.

tores, nudi equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii. Pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat; qui maesti inter sui dissimiles et maerentes sedebant, et contagione turpitudinis vehementer permovebantur. Hic, ut quaeque 9
res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas, nulla varietate sententiarum; nihil impetrarat reus; plus accusatori dabatur, quam postulabat; triumphabat (quid quaeris?) Hortensius, se vidisse tantum; nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. Me vero teste producto, credo te, 10
ex acclamatione Clodii advocatorum, audisse, quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. Quae mihi res multo honorificentior visa 11
est, quam aut illa, quum iurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt, aut quum tabulas Metelli Numidici, quum eae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices adspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. Itaque iudicum vocibus, quum ego 12
sic ab iis, ut salus patriae, defenderer, fractus reus et una patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare praeclari 13
Areopagitae, se non esse venturos, nisi praesidio constituto. Refertur

aerati, nummati, pecuniosi, divites. Tribuni aerarii proprie sunt, qui pecuniam stipendiorum numerabant militibus; sed ludit in voce Cicero, ut *aerarii* sint, inter aerarios (s. ultimam classem, cui adscripti suffragio carebant, et tantum aera tributi loco pendebant,) referendi, ideoque faciles ad corrumpendum, nummarii §. 21. Ex lege autem L. Aurelii Cottae senatores, equites et e plebe trib. aerarii iudicabant.

[*contag. turpit.* quod timebant, ne ipsi, absoluto Clodio, in infamiam corruptionis venirent. *Ern.*]

§. 9. * *consilium*, iuris peritorum, qui praetori assidebant; cf. ad Div. VIII, 8.

[*postulationibus*, petitionibus, quae fieri solent ab utraque parte, dum parant se ad litem, v. c. ut liceat illum aut illum, qui absit, advocare et eius adventum exspectare, aut ut ne ille aut ille ad testimonii dictionem admittatur. *Casaub.*]

[*ac non* i. e. ac non potius. Vid. ad or. pro S. Roscio §. 92.]

[§. 10. *ex acclam.* quum advocati Clodii reclamarent, et Ciceronem testem repudiarent. *Ern.* Nam ex rem significat, et *post* quam aliquid fit, et *propter* quam fit.] * *advocatorum*, quorum princeps erat C. Curio pater.

§. 11. * *tui cives*, Athenienses, qui Atticum civem facere studuerant, (Corn. Nep. Att. 3, 1.)

prohibuerunt. Cic. pro Corn. Balbo c. 5, 12. Valer. Max. II, 5.

Metelli, qui Cos. fuit cum M. Iunio Silano a. u. 645. Cic. pro C. Balbo c. 5. in. *audivi hoc de parente meo puer: cum Q. Metellus, Lucii filius, causam de pecuniis repetundis diceret — — cum ipsius tabulae* (accepti et expensi) *circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuisse iudicem ex illis equitibus R. gravissimis viris neminem, quin removeret oculos et se totum averteret, ne forte, quod ille in tabulas retulisset, dubitasse quisquam, verumne an falsum esset, videretur.*

§. 13. *praecl. Areop.* ironice, de iudicibus Clodii, * incorruptam severitatem simulantibus; cf. ad ep. VIII, 2.

* *praesidio constituto*, quod iudices ab operis Clodianis defenderet.

ad consilium; una sola sententia praesidium non desideravit. Defertur res ad senatum; gravissime ornatissimeque decernitur; laudantur iudices; datur negotium magistratibus, responsurum hominem nemo arbi-
14 trabatur. *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.* Nosti Calvum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. Biduo per unum servum, et eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium; arcessivit
15 ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero (o dii boni! rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt.
16 Ita, summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV iudices ita fortes tamen fuerunt, ut summo proposito periculo vel perire maluerint, quam perdere omnia. XXXI fuerunt, quos fames magis, quam
17 fama commoverit. Quorum Catulus quum vidisset quendam, Quid vos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut brevissime potui, genus iudicii et causam absolutionis.

18 Quaeris deinceps, qui nunc sit status rerum, et qui meus. Rei publicae statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione et auctoritate consulatus mei fixus et fundatus videbatur, nisi qui nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio; si iudicium est, triginta homines populi Romani levissimos ac nequissimos, nummulis acceptis, ius ac fas omne delere, et, quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciant, id Talnam et Plautum et Spongiam et ceteras
19 huiusmodi quisquilias statuere humquam esse factum. Sed tamen, ut te de re publica consoler, non ita ut sperarunt mali, tanto imposito rei publicae vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. Nam plane ita putaverunt, quum religio, quum pudicitia, quum iudiciorum fides, quum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia

* *negotium*, praesidii constituendi.

§. 14. *Ἔσπετε* ex Il. *π'*, 115. *Calvum ex Nanneianis.* M. Licinium Crassum significat, qui, quum tempore proscriptionis Sullanae Nanneii cuiusdam proscripti bona emisset (Qu. Cic. de petit. cons. 2.) nomine dissimulato, ea Licinio Calvo emta esse, scribi curavit. * *scripseram*, ep. VIII, 6.

* *ex gladiatorio ludo*, ex omnibus vilissimum.

arcessivit iudices *ad se.* — *intercessit*, sponsor factus est pecuniae illis dividendae. * *certarum mulierum*, i. e. quarundam; cf. ep. CXIII, 5. ad Div. 1, 2, 4.

§. 17. *Quorum Catulus.* Plut. Cic. 29. *ὅθεν ὁ μὲν Κάτλος ἀπαντήσας τοῖς κριταῖς, ὑμεῖς, εἶπεν, ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀσφαλείας ἠτήσασθε τὴν φυλακὴν, μή τις ὑμῶν ἀφέληται τὸ ἀργύριον.* * Q. Lutatius *Catulus*, filius eius qui a. 651. cum C. Mario consul fuerat; ipse consul a. 675.

§. 18. * *deus respexerit*, cf. ep. LXXII, 3.

* *Talnam et Plautum et Spongiam*, ficta iudicum nomina, quibus homines de infima plebe significat.

§. 19. * *putaverunt*, mali. *concidisset* cf. §. 12.

ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. Idem ego ille, 20
(non enim mihi videor insolenter gloriari, quum de me apud te loquor, in ea praesertim epistola, quam nolo aliis legi) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans, excitans. Insectandis vero exagitandisque nummariis iudicibus, omnem 21
omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriae παῤῥησίαν eripui; Pisonem consulem nulla in re consistere unquam sum passus; desponsam homini iam Syriam ademi; senatum ad pristinam suam severitatem revocavi atque abiectum excitavi; Clodium praesentem fregi in senatu quum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes; nam cetera non possunt habere neque vim, neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, ut Idib. Maiis in senatum convenimus, rogatus ego 22
sententiam, multa dixi de summa re publica, atque ille locus inductus a me est divinitus: „ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent; vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum nec perlimescendum videretur, ne aut metuendo ignavissimi, aut ignorando stultissimi iudicaremur. Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam; hunc tertium iam esse a iudicibus in rem publicam immissum. Erras, Clodi, non te iudices urbi, sed carceri reservarunt, neque te retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in re publica bonorum consensio; dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est: in unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt." Sed quid 23
ago? paene orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer; obiicit mihi, me ad Baias fuisse. — Falsum: sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? — narra, inquam,

§. 20. * *quam nolo aliis legi*, cf. ep. XCVIII, 5. *aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus.*

§. 21. * *nummariis*, nummulis acceptis, ut §. 18. — *praesentem*, cf. ep. V, 19. — *vos*, Athenienses, cives tui cf. §. 11.

§. 22. * *conciderent*, cf. §. 12. 24. — P. *Lentulum* Suram, qui ex coniuratione Catilinaria supplicio datus est, bis accusatum esse, Plutarchus quoque narrat vit. Cicer., 17.

* *bis Catilinam*, a. 688. repetundarum ex Africa, a. 689. inter sicarios ob necem M. Marii Gratidiani. [*exilio privare*, ut bono, beneficio, quod bene consultum putarent Clodio, si in exilium damnatus abiret, quum nunc poenae graviori relinqueretur. *Ern.*].

§. 23. *pulchellus puer*, P. Clodius, cognomento Pulcher.

* *ad Baias fuisse.* Baiae in Campania prope mare sitae, quo propter aquas calidas multi homines delicati conveniebant. Itaque mollitiem Ciceroni his verbis obiicit Clodius et luxuriam.

in operto, Bonae Deae, in adyto.

* *homini Arpinati*, semirustico. MAN.

patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit; nosti enim Marianas. — 24 Quousque, inquit, hunc regem feremus? — Regem appellas, inquam, quum Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem spe devorarat. — Domum, inquit, emisti. — Putes, inquam, dicere, iudices emisti. — Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. — Mihi vero, inquam, XXV iudices crediderunt; XXXI, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit.

25 Noster autem status est hic: apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis et faecem multo melius nunc, quam reliquisti. Nam et illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse: — missus est sanguis invidiae sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam 26 illam redemptam esse a iudicibus confitentur. — Accedit, quod illa contionalis hirudo aerarii, misera ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat. Et hercule multa et iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus Gnaeum Ciceronem

patrono tuo, Clodiae, sorori tuae. *Arpinates aquas*, nuptias meas. [*marinas*. Nam quum in manus piratarum incidisset Clodius, ab iis vim passus esse dicebatur.] * Rectius hic locus explicatur ex Cic. or. in P. Clodium et C. Curionem, c. 4. *Nec enim respexit* (Clodius) *illum ipsum patronum libidinis suae non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quae gustu tamen Arpinatis fuissent*; et Schol. Ambros. ad h. l. *C. Curionem, qui de proscriptione Sullana fundum emerat in Campania, qui Marii fuerat et ipsius Arpinatis. Quo se exemplo facillime Cicero purgavit, non esse in se reprehendendum, quod municipi suo C. Mario consulari nunquam fuerit infame.* Itaque recte scribendum videtur Orell. *Marianas*, non *marinas*.

§. 24. *Rex*, Q. Martius Rex, sororis Clodii maritus. — *mentionem nullam fecerit*, in testamento, nihil tibi legaverit, quod turpe putabatur. * *Domum* cf. ad ep. VII, 15.

Iuranti, inquit. Plut. Cic. 29. *Κικέρων δὲ τοῦ Κλωδίου πρὸς αὐτὸν λέγοντος, ὅτι μαρτυρῶν οὐκ ἔσχε πίστιν παρὰ τοῖς δικασταῖς. Ἀλλ' ἐμοὶ μέν, εἶπεν, οἱ πέντε καὶ εἴκοσι τῶν δικαστῶν ἐπίστευσαν· τοσοῦτοι γάρ σου κατεψηφίσαντο· σοὶ δ' οἱ τριάκοντα οὐκ ἐπίστευσαν· οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν, ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον.* * *clamoribus*, senatorum.

§. 25. Sic continuari debuit oratio: *et illud nobis non obest, vid. nostr. test. non val. et quod plebecula me a Pompeio diligi putat.* Pro ultimis post parenthesin: *missus est — confitentur*, §. 26. *Accedit quod* etc.

[*Missus est sang.* i. e. invidia e gloria consulatus mei collecta levata est per absolutionem Clodii, contra quem testimonium dixeram, ut expl. Gesner. in thes. Liv. III, 54. *Dandus invidiae est sanguis; nihil ne ego quidem moror, quominus decemviratu abeam.*

[§. 26. *Comiss. coni.* dixit reliquos et seros coniuratos, ut qui velut post coenam comissatum veniant. *Gesn. thes.* i. e. consortes et socii coniurationis Catil. quae per comissationes inita fuit. *Forcell.* Imo, qui ob comissationum tantum voluptatem coniurationis participes fuerant, (*aimables roués* Galli dicebant) quales describit Catil. II, 10, 22 sq.] *sine ulla pastor. fist.* sine sibilo.

appellent. Itaque et ludis et gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine
ulla pastoricia fistula auferebamus. Nunc est exspectatio ingens comi- 27
tiorum, in quae omnibus invitis irrupit noster Magnus Auli filium;
atque in eo neque auctoritate neque gratia pugnat, sed quibus Philip-
pus omnia castella expugnari posse dicebat; in quae modo asellus
onustus auro posset ascendere. Consul autem ille, Deterionis histri- 28
onis similis, suscepisse negotium dicitur et domi divisores habere;
quod ego non credo. Sed senatus consulta duo iam facta sunt odiosa, 29
quia in consulem facta putantur, Catone et Domitio postulante; unum,
ut apud magistratus inquiri liceret, cuiusmodi divisores haberent ad-
versus rem publicam. Lurco autem tribunus plebis, qui magistratum
simul iniit, solutus est lege Aelia et Fufia, ut legem de ambitu ferret;
quam ille bono auspicio claudus homo promulgavit. Ita comitia in
ante diem VI Kal. Sext. dilata sunt. Novi est in lege hoc, ut, qui 30
nummos in tribus pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit,
ut, quoad vivat, singulis tribubus H - S. CIↃ CIↃ CIↃ debeat. Dixi,
hanc legem P. Clodium iam ante servasse: pronuntiare enim solitum
esse, et non dare. Sed heus tu! videsne consulatum illum nostrum, 31
quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabulam
mimum futurum? Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu
facis, et istos consulatus non flocci facteon.

Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire; equidem 32
mallem, ut ires, ac vereor, ne quid in ista re minus commode fiat.
Sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, praesertim quum
egomet in provinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quae in 33

§. 27. *Auli filium*, L. Afranium, eundem, qui postea cum Petreio legatus Pompeii in Hispania a Caesare victus est.

§. 28. * *Consul ille*, Piso. *Deterion* qui fuerit ignoratur. *histrionis similis* cur dicatur Piso, colligitur ex ep. VII, 7. — *negotium*, suffragiorum emendorum. *divisores*, qui populo pecunias dividerent, ut Afranium consulem crearet. MAN.

§. 29. * *Domitio*, L. Ahenobarbo, qui Catonis sororem in matrimonio habebat.

* *apud magistratus*, in domos magistratuum. Nam praetor, cuius erat quaestio de ambitu, sine senatus consulto in domus magistratuum inquirere non potuit. CASAUB.

* *cuiusmodi divisores h.*, utrum ad suffragia emenda, an aliam ob causam; cf. ep. XI, 11.

* *Lurco*, M. Aufidius. — *simul* cum Catone et Domitio.

* *solutus est lege*, altero senatus consulto, quod item in consulem factum videbatur. Solus enim senatus legibus solvere poterat.

lege Aelia et Fufia. Lege Aelia a. u. 586. lata cautum est, ut, quoties comitia essent legibus ferendis, de coelo servare et obnuntiare liceret, utque magistratus pares et tribuni intercedere possent. *Fufia* sancitum erat, ne omnibus diebus fastis legem ferri liceret.

* *comitia*, consularia.

§. 31. *si hic factus erit*, Afranius, *fab. mimum futurum*, rem contemnendam, nullius pretii.

§. 32. *in Asiam — ire*, legatum Q. Ciceronis. vid. Corn. N. Att. 6. * cf. ep. X, 16. — *in provinciam*, neque post praeturam, neque post consulatum.

Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim quum et Chilius nos reliquerit et Archias nihil de me scripserit; ac vereor, ne, Lucullis quoniam Graecum poëma condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spe-
34 ctet. Antonio tuo nomine gratias egi, eamque epistolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rarius scripsi, quod non habebam idoneum, cui
35 darem, nec satis sciebam, quo darem. Valde te venditavi. Cincius si quid ad me tui negotii detulerit, suscipiam. Sed nunc magis in
36 suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras a nobis litteras exspecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ, et quae poëmata quasque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. Lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. Nihil erat absoluti.

EPISTOLA X. (Att. I. 17.)

Scr. Romae A. U. C. 692. nonis Decembr.

CICERO ATTICO S.

1 Magna mihi varietas voluntatis et dissimilitudo opinionis ac iudicii Quinti fratris mei demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti. Qua ex re et molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrumque vestrum afferre debuit, et admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quinto fratri meo aut offensionem tam gravem aut commutationem

§. 33. *Amaltheo*, gymnasio in Attici praedio Epirotico. vid. ep. VII, 3. Corn. N. Att. 18. *versibus, qui honore rerum gestarum amplitudine ceteros R. P. praestiterunt, exposuit, ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit.*

* *Chilius*, cf. ad ep. I, 5.

[*reliquerit*, promissa epigrammata ad exornandam bibliothecam non miserit vel non scripserit. *Casaub.*]

* A. Licinius *Archias*, Antiochenus, quem Cicero eodem anno defendit, accusatum, quod civitatem Romanam falso usurpasset, ex lege Plautia Papiria de civitate.

* *Lucullis*, L. et M.

poëma, de bello Mithridatico. Cic. pro Arch. 9, 21.

ad Caecil. fab. ad poëma de laudibus Metellorum, qui e gente Caecilia erant: dictum per allusionem ad Caecilium, poëtam comicum. [Met. Numidici et eius Pii filii pro Arch. 3, 6.]

§. 34. *gratias egi*, ob negotium Sicyonium confectum, ep. VI, 8. * Hoc negotium eo tempore nondum fuisse confectum, docet ep. XII, 17. Neque Sicyon in Antonii provincia erat.

[*Manlio*, qui Thespiis negotiabatur. ad Div. 13, 22.]

* *quo darem*, cf. ep. I, 1. ep. VII, 4. *venditavi*, cum summa tua laude te ei commendavi, quum Antonio tuo nomine gratias egi. Os.

§. 35. *Cincius*, procurator Attici.

* Ἀμάλθεια, capra Jovis nutrix. — *facere*, simile aliquid, *in Arpinati* villa, quam hereditate a patre acceperat.

§. 1. * *exempla*, cf. ep. LXXXV, 12. LXXXVI, 5.

tantam voluntatis. Atque illud a me iam ante intelligebatur, quod te 2
quoque ipsum discedentem a nobis suspicari videbam, subesse nescio
quid opinionis incommodae, sauciumque esse eius animum et insedisse
quasdam odiosas suspiciones; quibus ego mederi quum cuperem antea
saepe et vehementius etiam post sortitionem provinciae, nec tantum
intelligebam ei esse offensionis, quantum litterae tuae declararant, nec
tantum proficiebam, quantum volebam. Sed tamen hoc me ipse con- 3
solabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii aut in istis
locis uspiam visurus esset. Quod quum accidisset, confidebam ac 4
mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter vos non modo
sermone ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro.
Nam, quanta sit in Quintó fratre meo comitas, quanta iucunditas, 5
quam mollis animus ad accipiendam et ad deponendam offensionem,
nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Sed accidit perincom- 6
mode, quod eum nusquam vidisti: valuit enim plus, quod erat illi nonnul-
lorum artificiis inculcatum, quam aut officium aut necessitudo aut amor
vester ille pristinus, qui plurimum valere debuit. Atque huius incom- 7
modi culpa ubi resideat, facilius possum existimare, quam scribere:
vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. Nam sic
intelligo, ut nihil a domesticis vulneris factum sit, illud quidem,
quod erat, eos certe sanare potuisse. Sed huiusce rei totius vitium, 8
quod aliquanto etiam latius patet, quam videtur, praesenti tibi com-
modius exponam. De iis litteris, quas ad te Thessalonica misit, et
de sermonibus, quos ab illo et Romae apud amicos tuos et in itinere
habitos putas, ecquid tantum causae sit, ignoro; sed omnis in tua
posita est humanitate mihi spes huius levandae molestiae Nam, si 9
ita statueris, et irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, et
eosdem placabiles, et esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque
naturae plerumque bonitatis, et, id quod caput est, nobis inter nos
nostra sive incommoda sive vitia sive iniurias esse tolerandas; facile
haec, quemadmodum spero, mitigabuntur. Quod ego ut facias te oro. 10
Nam ad me, qui te unice diligo, maxime pertinet, neminem esse
meorum, qui aut te non amet aut abs te non ametur. Illa pars 11
epistolae tuae minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates

§. 2. * *post sortitionem provinciae*, postquam Q. frater ex praetura Asiam provinciam sortitus est.

§. 3. * *Dyrrhachium* oppidum Macedoniae maritimum, quo naves ex Italia mari Adriatico traiecto appellere solebant.

§. 4. * *non modo sermone*, cf. ep. II, 3.

§. 6. *necessitudo*, propter Pomponiam, Attici sororem, Q. Cic. uxorem.

[§. 7. *resideat*, insit, ut ep. 162, 5. At 6, 8. 3, 3. erat pro remanere.]

* *domesticis*, Pomponia potissimum.

§. 8. * *Thessalonica*, oppidum Macedoniae ad sinum Thermaicum situm.

§. 9. * *irritabiles animos*, cf. ep. XIII, 80 as.

* *quod caput est*, cf. ep. LXIII, 5.

aut provincialium aut urbanorum commodorum et aliis temporibus et me ipso consule praetermiseris. Mihi enim perspecta est ingenuitas et magnitudo animi tui; neque ego inter me atque te quicquam interesse umquam duxi, praeter voluntatem institutae vitae, quod me ambitio quaedam ad honorum studium, te autem alia minime reprehen-
12 denda ratio ad honestum otium duxit. Vera quidem laude probitatis, diligentiae, religionis neque me tibi neque quemquam antepono; amoris vero erga me, quum a fraterno domesticoque discessi, tibi primas defero. Vidi enim, vidi, penitusque perspexi in meis variis temporibus
13 et solicitudines et laetitias tuas. Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua iucunda et timoris consolatio grata. Quin mihi nunc, te absente, non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suavissima tecum solet esse, maxime deest — quid dicam? — in publicane re? quo in genere mihi negligenti esse non licet; an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc, ut dignitatem tueri gratia possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego quum antea, tum vero post discessum
14 fratris te sermonesque nostros desidero. Postremo non labor meus, non requies, non negotium, non otium, non forenses res, non domesticae, non publicae, non privatae carere diutius tuo suavissimo atque
15 amantissimo consilio ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia saepe impedivit utriusque nostrum. Nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolae tuae, per quam
16 te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi et offensi illud inest tamen commodi, quod et mihi et ceteris amicis tuis nota fuit et abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae; ut, quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac iudicio tuo factum esse videatur. Quare et illa, quae violata, expiabuntur, et haec nostra, quae sunt sanctissime conservata, suam religionem obtinebunt.

17 Nos hic in re publica infirma, misera commutabilique versamur: credo enim te audisse, nostros equites paene a senatu esse disiunctos;

§. 11.* *me ipso consule,* quo tempore Atticus, Ciceronis precibus obsecutus, Romae fuerat.

[*interesse - duxi.* Vid. ad or. pro l. Man. §. 17. et cf. Mil. 22, 30 extr. Or. III, 15, 57. Lael. 19, 70.]

[§. 13. *laudis gratulatio,* grat. laudans s. cum laude coniuncta. *Gratum* est, quod gratiam meretur, *iucundum,* quod laetitiam affert, ut medicina grata est aegro, sed non iucunda, ut explicat Manut. ad Div. IV, 6. Cf. infra 136, 2. 139, 1.]

* *in forensi labore,* in causis agendis reisque defendendis.

§. 16. * *omittendae provinciae.* Q. Cicero, Asiam provinciam propraetor administraturus, Atticum sibi legare voluerat, ille vero in Epiro remanere maluerat.

* *illa, quae violata,* Q. Ciceronis et Attici amicitia.

§. 17. * *nostros equites,* quorum auxilio Cicero consul in coniuratione Catilinaria opprimenda potissimum usus fuerat.

qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex senatus consulto fuisse, ut de iis, qui ob iudicandum accepissent, quaereretur. Qua in re decernenda quum ego casu non affuissem, sensissemque id equestrem ordinem ferre moleste, neque aperte dicere; obiurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate, et in causa non verecunda admodum gravis et copiosus fui. Ecce aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus: nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis perfectumque, ut frequentissimo senatu et liberalissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Kal. Decemb. et postridie. Neque adhuc res confecta est, sed voluntas senatus perspecta: unus enim contra dixerat Metellus consul designatus. Quin erat dicturus (ad quem propter diei brevitatem perventum non est) heros ille noster Cato. Sic ego, conservans rationem institutionemque nostram, tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam. Sed tamen, quoniam ista sunt tam infirma, munitur quaedam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum, significatione parva ostendam tamen. Utor Pompeio familiarissime. Video, quid dicas. Cavebo, quae sunt cavenda; ac scribam alias ad te de meis consiliis capessendae rei publicae plura.

Lucceium scito consulatum habere in animo statim petere. Duo

18 19 20 21 22 23

[*graviter tulerunt-quaereretur.* Erat enim hoc semper defensum ab equitibus, legem de repetundis ad ordinem equestrem sive ad equites non pertinere, de quo late Cicero in or. pro Cluentio. *Ern.*]

* *ob iudicandum,* de Clodii incesto.

[§. 18. *in causa non ver.* quum dicerem non quaerendum esse de iis, qui ob. iud. pecun. accep.]

[§. 19. *deliciae* sunt eorum, quibus non facile satisfieri potest, qui omnia fere fastidiunt, quibus non fere nisi quae exquisita et splendida sunt in victu et cultu, in oratione, placent; qui etiam *morosi* vocantur. Hinc Gesn. in thes. h. l. de morositate accipit, Schütz. in lex. Cic. de arroganti et iniqua postulatione. Nos dicimus *Praetensionem.*]

* *Asiani,* equitum societas, quae vectigalia Asiae conduxerat. Vectigalia provinciarum, portorium, decuma, scriptura, vigesima manumissionum, alia, in singula lustra a censoribus societatibus equitum s. publicanorum publica licitatione locabantur.

[*atque adeo.* Vid. ad or. pro S. Roscio §. 29.]

* *ordinum,* senatorii et equestris.

§. 21. * *Q. Metellus* Celer, cf. ep. IV.

* *Cato*, etiam anno seq. publicanis inductionem petentibus restitit. Caesar vero consul postea effecit, ut populi suffragiis locatio induceretur.

§. 23. * *Lucceium*, cf. ep. II, 1. ep. XXXV.

enim soli dicuntur petituri. Caesar cum eo coire per Arrium cogitat,
24 et Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides? non sunt haec ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt: sed in aliud tempus. Te si exspectari velis, cures, ut sciam. Iam illud moleste rogo, quod maxime cupio, ut quamprimum venias. Nonis Decemb.

EPISTOLA XI. (Att. I. 18.)

Scr. Romae A. U. C. 693.

Q. Metello Celere, L. Afranio Coss.

CICERO ATTICO S.

1 Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quocum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui sapiat, quocum ego quum loquar, nihil fingam, nihil dissimulem,
2 nihil obtegam. Abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus. *Me tellus! non homo, sed litus atque aër et solitudo mera!* Tu autem, qui saepissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levasti tuo, qui mihi et in publica re socius et in privatis omnibus conscius et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse soles, ubinam es? Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumitur.

coire. Suet. Caes. 19. *E duobus consulatus competitoribus, L. Lucceio Marcoque Bibulo, Lucceium sibi adiunxit, pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, concordi et consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi, ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente, eam largitionem e republica fieri.*

* *per Arrium*, quem Caesar postea in petitione consulatus destituit; cf. ad Att. II, 5.

§. 24. * *Quid aliud scribam ad te? quid?* cf. ep. VII, 15.

[§. 1. *una comm.* quum una sum.]

§. 2. *sed litus*, ita ab omni humanitatis consortio alienus, ut non magis se in hominum familiaritatem applicet, quam litus etc. [Sed ingeniosa est coniectura V. D. in Mem. de l'Acad. des Inscr. et bell. l. Vol. IX. p. 32. Heidelb. Jahrb. 1810. nr. 12. p. 167. *Me tellus! non homo sed litus atque aër et sol. m.* sc. habet, ut haec pars sit versus tragici.] * Recepimus emendationem V. D. de la Boissière de Chamfort. Est vero cogitatione addendum non *habet*, sed *est mihi*, *quocum colloquar*. Ad Metellum haec referri non posse, docet infra §. 12. *Metellus est consul egregius et nos amat.* Nam MATTH. prosa oratione Ciceroni tribuit: *Metellus n. h., s. l. a. a. e. s. m.*

* *mellito Cicerone*, filiolo quartum annum aetatis agente, cf. ad Att. I, 2.

Nam illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam 3
splendore forensi, fructum domesticum non habent. Itaque, quum 4
bene completa domus est, tempore matutino, quum ad forum stipati
gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem
possumus, quocum aut iocari libere aut suspirare familiariter possi-
mus. Quare te exspectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus: 5
multa sunt enim, quae me sollicitant anguntque, quae mihi videor,
aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse. Ac 6
domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occul-
tabo, neque eos huic epistolae atque ignoto tabellario committam.
Atque hi (nolo enim te permoveri) non sunt permolesti, sed tamen
insident et urgent, et nullius amantis consilio aut sermone requiescunt.
In re publica vero quamquam animus est praesens, tamen voluntas 7
etiam atque etiam ipsa medicinam refugit. Nam, ut ea breviter, quae
post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est,
res Romanas diutius stare non posse. Etenim post profectionem tuam 8
primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae; in qua
ego, nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis et coërcen-
dae iuventutis, vehemens fui et omnes profudi vires animi atque ingenii
mei, non odio adductus alicuius, sed spe rei publicae corrigendae et
sanandae civitatis. Afflicta res publica est empto constupratoque iudicio.
Vide, quae sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, 9
quem nemo praeter nos philosophos aspicere sine suspiritu possit.
Quantum hoc vulnus? Facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis,
nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani. Sic ille an-
nus duo firmamenta rei publicae, per me unum constituta, evertit: nam
et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit. Instat 10
hic nunc ille annus egregius. Eius initium eiusmodi fuit, ut anniver-
saria sacra Iuventatis non committerentur. Nam M. Luculli uxorem
Memmius suis sacris initiavit. Menelaus, aegre id passus, divortium

§. 5. * *arcessimus*, cf. ep. X, 24.

§. 7. *In rep. vero*, i. e. quamvis satis fortis sum ad dignitatem in rep. retinendam, non libet tamen ei mederi, quia res Romanas diutius stare non posse intelligo. Phil. XIV, 3. *animus refugit ac reformidat.* * Locus est corruptus. Orellio recte videtur haec fere requiri sententia: *quamquam animus est praesens et voluntas etiam, tamen eam* (rem publicam) *iam ipsa medicina deficit.*

§. 8. * *vehemens fui*, cf. ep. IX, 2. — *non odio adductus alicuius*, rarior usus pronominis *aliquis* in sententia negativa, de quo cf. Haase ad Reis. n. 352.

constuprato, stupris (vid. ep. IX, 15.) corrupto.

§. 9. *Consul*, Piso. *de ambitu.* ep IX, 29. *de iudiciis.* ib. *alienati equ.* ep. X, 17 sqq.

* *praeter nos philosophos*, qui omnia, quae praestare non possumus, aequo animo ferre debemus.

§. 10. *suis s. init.* ad adulterium pellexit. C. Memmius a. u. 687. trib. pl. a. u. 694. Caesare et Bibulo Coss. praetor. Idem mox appellatur *Paris, pastor Idaeus*, ut M. Lucullus *Menelaus*, L. Lucullus, is qui cum Mithridate bellum gesserat, *Agamemnon.* Accusavit autem C. Memmius L. Lucullum apud popu-

fecit. Quamquam ille pastor Idaeus Menelaum solum contempserat: hic noster Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non
11 putavit. Est autem C. Herennius quidam, tribunus plebis, quem tu fortasse ne nosti quidem; tametsi potes nosse: tribulis enim tuus est, et Sextus, pater eius, nummos vobis dividere solebat. Is ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat. Hunc ego accepi in senatu, ut
12 soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est consul egregius, et nos amat; sed imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud idem de Clodio. Auli autem filius, o dii immortales! quam ignavus ac sine animo miles! quam dignus, qui Palicano,
13 sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat! Agraria autem promulgata est a Flavio, sane levis, eadem fere, quae fuit Plotia. Sed interea *πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὅναρ* quisquam inveniri potest. Qui poterat, familiaris noster (sic est enim; volo te hoc scire,) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus verbum nullum contra gratiam; ceteros iam nosti, qui ita sunt stulti, ut amissa re
14 publica piscinas suas fore salvas sperare videantur. Unus est, qui curet, constantia magis et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio, Cato; qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos

lum, ne triumphus ei concederetur, et Marcum ob quaesturam Sulla imperatore gestam. Plut. Luc. 37.

* *liberum non putavit,* nihili fecit, liberi hominis loco non habuit. MAN.

§. 11. *ad plebem — trad.* ut adoptione s. arrogatione plebeius fiat, atque ita tribunatum pl. petere possit.

ut univ. pop. — ferat, contra leges, quae arrogationes fieri comitiis curiatis non universi populi, sed triginta tantum lictorum curialium iubebant.

§. 12. * *habet dicis causa promulgatum.* Ex consuetudine Tulliana sententia haec est: quod, ut ait, dicis causa, *ὀσίας ἕνεκα,* ad speciem, non quia id perferri cupiat, habet promulgatum (promulgavit) idem illud de Clodio, scil. ut de eius re universus populus suffragium ferat. ORELL.

* *Auli filius,* cf. ad ep. IX, 27. *M. Lollius Palicanus,* trib. pl. Cn. Lentulo et L. Gellio coss. a. u. 682. *os — praebeat,* se ab eo maledictis vexari sinat. Sic. Liv. IV, 35. *praebere ad contumeliam os.*

§. 13. *a Flavio,* trib. pl. qui eam auctore Pompeio tulit de agris Pompeii militibus dividendis, sed non pertulit. Dio Cass. 37. p. 52. ed. Reim.

togulam — pictam, quam ut ludis gestaret et omni triumphantium ornatu uteretur, Pompeio ex Asia victori datum erat.

* *Crassus,* cf. ad ep. VIII, 6. — *contra gratiam,* nihil dicit, quod populo displicere possit.

piscinas suas. Designat L. Lucullum, Q. Hortensium, L. Philippum, alios, qui piscinis murenarum, mullorum, aliorumque piscium pretiosorum ita delectabantur, ut omnem de rep. cogitationem abiecisse viderentur. Hos appellat *piscinarios* ep. XII, 11. ad Att. I, 26. Cf. ad Att. II, 1. *nostri principes digito se coelum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, alia autem negligunt.*

§. 14. * *curet,* rem publicam. — *publicanos,* Asianos, cf. ep. X, 19—21.

sui, tertium iam mensem vexat, neque iis a senatu responsum dari patitur. Ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante quam publicanis responsum sit. Quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc vides, quibus fluctibus iactemur; et si ex iis, quae scripsimus, 15
cuncta, etiam a me non scripta, perspicis, revise nos aliquando, et, quamquam sunt haec fugienda, quo te voco, tamen fac, ut amorem nostrum tanti aestimes, ut eo vel cum his molestiis perfrui velis. Nam, ne absens censeare, curabo edicendum et proponendum locis 16
omnibus. Sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. Quare cura, ut te quamprimum videamus. Vale XI. Kal. Febr. Q. Metello, L. Afranio coss.

EPISTOLA XII. (ad Att. I. 19.)

Scr. Romae A. U. C. 693. id. Mart.

CICERO ATTICO S.

Non modo, si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum 1
etiam, si tam breves epistolas vellem mittere, quam tu soles facere, te superarem et in scribendo multo essem crebrior, quam tu: sed ad summas atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epistolam ad te sino sine argumento ac sententia pervenire. Et primum tibi, ut aequum est, civi amanti patriam, quae sunt in re publica, exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quae scire te non nolle arbitramur. Atque in re publica nunc quidem maxime Gallici belli versatur metus. 2
Nam Aedui, fratres nostri, pugnant; Sequani permale pugnarunt; et Helvetii sine dubio sunt in armis excursionesque in provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut consules duas Gallias sortirentur, delectus habe- 3
retur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui

neque — patitur, dum dies dicendo eximit.

* *reiectum iri*, in aliud tempus; cf. ad Q. fr. II, 3. init. et ad Div. I, 4, 1. *Senatus haberi ante Kalendas Febr. per legem Pupiam — id quod scis — non potest, neque mense Februario toto nisi perfectis aut reiectis legationibus.*

§. 16. *censeare*, in censum referare.

Sub lustrum, peracto fere censu. Liv. I, 44. *germani negotiatoris*, in negotiis atque in lucro nimis occupati.

§. 1. * *sino sine argumento.* Legitur in libris Ms. *absque arg.* Verum *absque* nusquam apud Ciceronem et eius aequales pro *sine.* Locum emendavit Oudendorp.

§. 2. *Aedui* circa Augustodunum (*Autun*), *fratres nostri.* Caes. B. G. I, 33. *pugnant*, cum Sequanis. Caes. B. G. VI, 12.

* *Helvetii*, cf. Caes. B. G. I, 2 sqq. — *provinciam*, Galliam Narbonensem.

§. 3. * *vacationes*, a militia, propter aetatem, valetudinem, similia.

adirent Galliae civitates darentque operam, ne eae se cum Helvetiis iungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus, et, τὸ
4 ἐπὶ τῇ φαχῇ μῦρον, Lentulus Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod, quum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit. Hoc idem post me Pompeio accidit, ut nos duo, quasi pignora rei publicae, retineri videremur. Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, quum haec domi nascantur? Urbanae autem res sic
5 se habent: agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat, praeter auctorem. Ex hac ego lege, secunda contionis voluntate, omnia tollebam, quae ad privatorum incommodum pertinebant; liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio consulibus publicus fuisset, Sullanorum hominum possessiones confirmabam, Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam; unam rationem non reiiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur,
6 quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri. Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis
7 incubuerat. Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones; (is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium) populo autem et Pompeio (nam id quoque volebam) satis faciebam emptione; qua constituta diligenter, et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse
8 arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est consul sane bonus, et nos admodum diligit. Ille alter ita nihil
9 est, ut plane, quid emerit, nesciat. Haec sunt in re publica, nisi

Metellus Creticus, a Creta bello praedonum a. u. 687. devicta, cos. cum Q. Hortensio a. u. 685.

L. Flaccus, qui praetor fuerat Cicerone consule.

τὸ ἐπὶ τῇ φαχῇ μῦρον, proverbium de rebus bonis, quale est unguentum, in re vili, ut *lente*, consumtum, in quo simul alluditur ad *Lentuli* nomen.

Clodiani, Cn. Corn. Lentuli, cos. a. u. 681. cum L. Gellio.

§. 5. *agraria lex*. vid. ep. XI, 13.

liberabam, ne divideretur, et ut ita possessoribus relinqueretur privatusque esset, a vectigalibus immunis.

P. Mucio, L. Calpurnio coss. a. u. 620.

Sullanorum hom. quibus a L. Sulla agri Marianis in Etruria ademti divisi fuerant.

* *Volaterrae* et *Arretium* oppida Etruriae.

publicarat, vectigales fecerat. * Nam possessores agri publici decumam aerario publico solvebant.

ex novis vectigalibus, populis nuper a Pompeio in P. R. potestatem redactis.

* *per quinquennium*, in singula enim lustra vectigalia publicanis locabantur.

§. 7. * *agrariorum*, hominum, qui agros possidebant. Alibi, ut Catil. IV, 2., agrarii dicuntur, qui agros legibus agrariis consequi cupiebant.

§. 8. * *bello*, cf. §. 2. *Metellus*, cf. ep. XI, 12.

ut plane — nesciat, ut nihil dignitatis e consulatu, largitionibus

etiam illud ad remp. putas pertinere, Herennium quendam, tribunum plebis, tribulem tuum, sane hominem nequam atque egentem, saepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse. Huic frequenter interceditur. Haec sunt, ut opinor, in re publica. Ego autem, 10
ut semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam invidia ac multorum inimicitiis, eximiam quandam atque immortalem gloriam consecutus sum; non destiti eadem animi magnitudine in re publica versari, et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri. Sed posteaquam pri- 11
mum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur, tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis invidere; putavi, mihi maiores quasdam opes et firmiora praesidia esse quaerenda. Itaque primum eum, 12
qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe, multisque verbis huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit. Quod non 13
tam interfuit mea, (neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent) quam rei publicae: quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. Cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior et in re publica firmior hac coniunctione esse possit. Odia autem illa libidinosae et delicatae iuventutis, quae erant in me 14
incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant. Nihil iam denique a me asperum in quemquam fit, nec 15
tamen quidquam populare ac dissolutum; sed ita temperata tota ratio est, ut rei publicae constantiam praestem, privatis rebus meis propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum, adhibeam quandam cautionem et diligentiam. Atque ita tamen 16
hic novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret cantilenam illam suam:

emto, sibi paraverit. Terent. Eun. IV, 4, 23. *eo rediges me, ut, quid emerim, egomet nesciam.*

§. 9. * *Herennium*, cf. ep. XI, 11.

§. 10. *Nonarum illarum Decembr.* quo die supplicium de coniuratis sumsit. Cic. pro Flacco 40. *o nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem huius urbis, aut certe salutarem, appellare possum.*

§. 11. *disiungi.* vid. ep. X, 17. XI, 9.

* *piscinarios*, cf. ep. XI, 13.

§. 12. * *de rebus nostris tacuerat*, cf. ep. III, 5. ep. VIII, 7. *adiudicarit.* de offic. I, 22. *mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in remp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.* ad Att. II, 1. *Pompeius sibi bene gestae, mihi conservatae reip. dat testimonium.* Ad totum locum cf. ep. ad Att. I, 26, 3. II, 1, 6.

§. 13. * *me tanta familiaritate coniunxi*, cf. ep. IX, 26. ep. X, 22.

§. 16. *Siculus*, Epicharmus. Q. Cicero de petit. cons. 10. *Quamob-*

Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

17 Ac nostrae quidem rationis ac vitae quasi quandam formam, ut opinor, vides. De tuo autem negotio saepe ad me scribis; cui mederi nunc non possumus. Est enim illud senatus consultum summa pedariorum voluntate, nullius nostrum auctoritate factum. Nam, quod me esse ad scribendum vides, ex ipso senatus consulto intelligere potes, aliam rem tum relatam; hoc autem de populis liberis sine causa additum; et ita factum est a P. Servilio filio, qui in postremis sententiam dixit; sed immutari hoc tempore non potest. Itaque conventus, qui initio celebrabantur, iam diu fieri desierunt. Tu si tuis blanditiis tamen a Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris, velim, me facias
18 certiorem. Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te; in quo si quid erit quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et *σόλοικα* dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero,
19 ad te mittam. Tertium poëma exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur. Hic tu cave dicas, *τίς πατέρ' αἰνήσει;*

rem Ἐπιχάρμειον illud teneto, nervos atque artus esse sapientiae non temere credere. Eodem respexit Cic. ad Att. II, 20. *Sed, quia, ut video, pragmatici homines omnibus historiis, praeceptis, versibus denique cavere iubent et vetant credere* etc.

§. 17. * *de tuo negotio*, pecunia a Sicyoniis exprimenda, cf. ep. VII, 3.

* *pedariorum*, senatorum, qui pedibus in sententiam ibant, cf. ad ep. V, 24. — *nostrum*, qui curules magistratus gessimus.

esse ad scribendum, dum senatusconsultum scribitur, adesse scribis, suumque nomen ei praeponendum curare, (quae est *praescriptio, auctoritates praescriptae*) ut in suam etiam sententiam factum esse videatur. ad Div. XII, 29. *Consulibus illis nunquam fuit ad scribendum.*

* *de populis liberis*, ne solvere cogerentur, vel simile quid. Sicyonii etiam in populis liberis erant, ut plerique Graeci.

* *P. Servilio*, quem ad Att. II, 1. in eadem causa imitatorem Catonis appellat.

conventus, senatorum deliberantium, quomodo illud SC. aboleri posset.

* *tuis blanditiis*, quoniam ex senatusconsulto cogi non possunt.

§. 18. * *Panhormus*, oppidum Siciliae.

de suis historiis, de bello Marsico. Plut. Luc. 1.

* *σόλοικα*, idem fere quod barbara. Incolae Solorum, coloniae Atheniensium in Cilicia conditae, celeriter patrii sermonis obliti dialecto quadam prae ceteris corrupta et barbaris vocibus mixta usi esse narrantur.

* *Latinum*, commentarium consulatus mei.

§. 19. *Τίς πατέρ' αἰνήσει;* plene: *τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;* Plut. Arat. 1. qui addit, *τοὺς ἀφ' αὑτῶν οὐδενὸς ἀξίους ὄντας, ὑποδυομένους δὲ προγόνων τινῶν ἀρεταῖς καὶ πλεονάζοντας ἐν τοῖς ἐκείνων ἐπαίνοις ὑπὸ τῆς παροιμίας ἐπιστομίζεσθαι.* Hoc ad res superiori tempore, in consulatu, gestas deflectit Cicero: quare illa tantum, quae olim gessisti, laudas, quasi nunc nihil laudabile facias? Sic Ern.

si est enim apud homines quidquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potius alia laudemus. Quamquam non *ἐγκωμιαστικὰ* sunt haec, sed *ἱστορικὰ*, quae scribimus. Quintus frater purgat se multum per litteras, et affirmat, nihil a se cuiquam de te secus esse dictum. Verum haec nobis coram summa cura et diligentia sunt agenda; tu modo nos revise aliquando. Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo et non levis et amans tui visus est et talis, qualem esse eum tuae mihi litterae nuntiarant. Idibus Martiis. 20

EPISTOLA XIII. (Ad Q. Fr. I. 1.)

Scr. Romae A. U. C. 693.

MARCUS Q. FRATRI S.

Etsi non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura, tuque ante ab aliis auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio nostro et labori tuo; tamen existimavi a me quoque tibi huius molestiae nuntium perferri oportere. Nam superioribus litteris, non unis, sed pluribus, quum iam ab aliis desperata res esset, tamen ego tibi spem maturae decessionis āfferebam, non solum, ut quam diutissime te iucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur et a nobis et a praetoribus contentio, ut rem posse confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque praetores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam proficere possemus, est omnino difficile non graviter id ferre; sed tamen nostros animos, maximis in rebus et gerendis et sustinendis exercitatos, frangi et debilitari molestia non oportet. Et quoniam ea molestissime ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt, est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quam tibi: factum est enim mea culpa, contra quam tu mecum et proficiscens et per litteras egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego, dum saluti sociorum consulo, dum impu- 1 2 3 4 5

§. 20. * L. *Cossinius*, cf. ad Div. XIII, 23. Hoc loco agi de *L.* Cossinio, intelligitur coll. ad Att. I, 20. II, 1.

* Ep. XIII. *Quinto fratri*, quem propraetorem Asiam provinciam sortitum esse supra vidimus, ad ep. IX, 32. ep. X, 2.

[§. 1. *superatura*, praeventura.]

* *annum tertium accessisse*, cf. §. 4.

§. 2. * *a nobis*, ut te quamprimum reviseremus; *a praetoribus*, ut tibi in provincia succedere possent.

§. 3. * *sustinendis* rebus molestis.

§. 4. * *quae ipsorum culpa contracta sunt*, cf. ep. CV, 8. CXXVI, 11. CXXX, 4.

[§. 5. *dum consulo*. Vid. ad or. pro S. Rosc. §. 91. et Add.]

* *sociorum*, provincialium in Asia, quorum saluti optime consuli videbatur Q. Cicerone in Asia relicto.

dentiae nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter, praesertim quum id com-
6 miserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor; est sapientiae atque humanitatis tuae curare et perficere, ut hoc minus sapienter a me provi-
7 sum diligentia tua corrigatur. Ac si te ipse vehementius ad omnes partes bene audiendi excitaris, non ut cum aliis, sed ut tecum iam ipse certes, si omnem tuam mentem, curam, cogitationem ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris; mihi crede, unus annus additus labori tuo multorum annorum laetitiam nobis, immo
8 vero etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas ac demittas animum, neve te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas, contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis: neque enim eiusmodi partem rei publicae geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit
9 et diligentia. Quodsi tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti prorogatum imperium viderem; tremerem animo, quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunae potestatem in nos
10 prorogatam. Nunc vero ea pars tibi rei publicae commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet, et quae mihi
11 tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas (ut opinor) insidias hostium, nullam praelii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendii aut rei frumentariae, nullam seditionem exercitus pertimescimus: quae persaepe sapientissimis viris acciderunt, ut, quemadmodum gubernatores optimi vim
12 tempestatis, sic illi fortunae impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea provincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum; deinde ex eo genere civium, qui aut, quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus bene-
13 ficio se incolumes fortunas habere arbitrantur. „At enim inter hos ipsos exsistunt graves controversiae, multae nascuntur iniuriae, magnae
14 contentiones consequuntur.“ Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negotii sustinere. Intelligo permagnum esse negotium et maximi consilii; sed memento, consilii me hoc negotium esse magis

* *nonnullorum negotiatorum* cf. §. 34.

§. 7. * *bene audiendi*, bonae famae.

§. 8. * *contrahas*, tanquam vela navigii.

§. 12. * *vel obruere*, i. e. non solum a recta via deflectere, sed etiam obruere.

* *humanissimum*, vigebant enim in Asia quam maxime studia litterarum et artium.

* *quod publicani sunt*, cf. ad ep. X, 17.

* *quod ita negotiantur*, cf. Cic. pr. leg. Manil. 7. §. 18.

aliquanto, quam fortunae, putare. Quid est enim negotii, cohtinere 15
eos, quibus praesis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum et difficile ceteris, sicut est difficillimum; tibi et fuit hoc semper facillimum, et vero esse debuit, cuius natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse, ea autem adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam excolere possit. Tu quum pecuniae, quum 16
voluptati, quum omnium rerum cupiditati resistes, ut facis; erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis. Nam Graeci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria aut etiam de coelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent. Atque 17
haec nunc non ut facias, sed ut te facere et fecisse gaudeas, scribo. Praeclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla condicio pecuniae (quibus rebus abundat ista provincia) ab summa integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium aut tam expeten- 18
dum potest, quam istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines? non sumptu exhauriri? non adventu commoveri? esse, quocumque veneris, et publice et privatim maximam laetitiam, quum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur? His 19
autem in rebus iam te usus ipse profecto erudivit, nequaquam satis esse, ipsum has te habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciae non te unum, sed omnes ministros imperii tui sociis et civibus et rei publicae praestare videare.

[§. 15. *si te ipse cont.* Hottom. comparat or. pro l. Manil. 13, 38. *neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet.*]

§. 16. * *erit, credo, periculum,* ironice dictum esse apparet.

* *Graeci,* Asiatici; plurima enim et praestantissima Asiae oppida Graecorum erant coloniae.

[*de coelo — delapsum.* pro l. Man. 14, 41. *Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum intuentur.*]

[§. 17. *condicio pec.* pecunia certa condicionc data. Cf. Catil. 3, 2. 4, 1.]

[§. 18. *in luce Asiae.* Cf. ad or. pro l. Manil. 3, 7. Cat. m. 4.]

§. 18. *perterreri — commoveri.* pro l. Manil. 5, 13. *eiusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.*

[§. 19. praestare verbum est iuris. Praest. al. est praedem esse pro aliquo et periculum, quod ex eo timetur, in se recipere. In eandem autem sententiam Verr. III. dixit: *Si innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros comites praestare debemus.*

20 Quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis tuae; de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim quum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari; Allienus autem noster est quum animo et benevolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certo scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum etiam
21 de nostra laboret. Quaestorem habes, non tuo iudicio delectum, sed eum, quem sors dedit. Hunc oportet et sua sponte esse moderatum
22 et tuis institutis ac praeceptis obtemperare. Quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus esset adstrictus, non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur. Neque enim mihi sane placet, praesertim quum hi mores tantum iam ad nimiam lenitatem et ad ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unum quemque eorum, sed, quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere.
23 Atque inter hos, eos, quos tibi comites et adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa res publica, dumtaxat finibus iis praestabis, quos ante praescripsi; quos vero aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta
24 omnia praestanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facientes facile diligere, minus consulentes existimationi tuae facillime coërcere; a quibus, rudis quum esses, videtur potuisse tua liberalitas decipi, (nam ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur;) nunc vero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligen-

Hottom.] * Cf. etiam de usu huius verbi ep. XLIV, 4. *casum praestare*; ep. CV, 8. *culpam praestare*; ep. CXXVI, 11.; infra §. 23.

§. 20. *Tubero*, L. Aelius Tubero, cum Cicerone una domi litteris eruditus, post affinis, pater eius, qui Ligarium accusavit. * Pro Ligar. 7, 21. *Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares; magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus.* Fueritne is Tubero, quem Livius aliquoties laudat, iure dubitatur.

A. Allienus, praetor Lentulo et Marcello coss. legatus postea Dolabellae, Cassianas partes secutus.

Gratidius, nepos M. Gratidii, cuius soror Ciceronis avia fuit.

* *quem sors dedit*, quaestores enim provincias sortiebantur.

§. 22. * *ambitionem*, studium placendi et colligendi gratiam popularem, quo inductus aliquis vel indignos laudat vel sontibus parcit, dummodo sibi prosit; cf. ep. CXV, 15. CXXIV, 5.

§. 23. * *dedit ipsa res publica*, legatos et quaestorem.

* *cohorte praetoris*. Magistratus, qui cum imperio in provincias ibant, praeter lictores, viatores, praecones, scribas, accensos etiam familiares *ex domesticis convictionibus* comitari solebant. Hos omnes cohorti praetoris adnumerabant.

§. 24. * *rudis* provinciae administrandae.

liorem. Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, 25
non in quas ficte et simulate quaestus causa insusurretur. Sit annulus 26
tuus non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu, non minister alienae
voluntatis, sed testis tuae. Accensus sit eo numero, quo eum maiores 27
nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris
ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant, quibus illi qui-
dem non multo secus, ac servis, imperabant. Sit lictor non suae, 28
sed tuae lenitatis apparitor, maioraque praeferant fasces illi ac secures
dignitatis insignia, quam potestatis. Toti denique sit provinciae cogni- 29
tum, tibi omnium, quibus praesis, salutem, liberos, famam, fortunas
esse carissimas. Denique haec opinio sit, non modo iis, qui aliquid 30
acceperint, sed iis etiam, qui dederint, te inimicum, si id cogno-
veris, futurum. Neque vero quisquam dabit, quum erit hoc perspectum,
nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere
impetrari. Nec tamen haec oratio mea est eiusmodi, ut te in tuos 31
aut durum esse nimium aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum,
qui tibi biennii spatio numquam in suspicionem avaritiae venerit, (ut
ego Caesium et Chaerippum et Labeonem et audio et, quia cognovi,
existimo) nihil est, quod non et iis et si quis est alius eiusdemmodi
et committi et credi rectissime putem. Sed si quis est, in quo iam
offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam
partem existimationis tuae commiseris.

In provincia vero ipsa si quem es nactus, qui in tuam familia- 32
ritatem penitus intravit, qui nobis ante fuerit ignotus, huic quantum
credendum sit, vide; non quin possint multi esse provinciales viri
boni; sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. Multis enim
simulationum involucris tegitur et quasi velis quibusdam obtenditur unius
cuiusque natura; frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio
vero saepissime. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, 33
qui pecuniae cupiditate adducti careant iis rebus omnibus, a quibus

[§. 25. *existimentur audire.* Nam plerumque quum multis praesentibus insusurratur, is qui monetur, se audire dissimulat; ita qui adsunt, existimant illum nihil audire. *Hottom.*]

[§. 26. *ut vas aliquod*, quod perpetuo huc illuc circumfertur, quoque omnes utuntur, ut libet.]

§. 28. *apparitor*, contra quam Sextius, Verris lictor, Verr. V, 45. [Lictor non suam lenitatem impertiat, cui volet, vel pecunia corruptus, vel gratia adductus, igitur non pro libidine homines tractet, sed ita se erga quemque gerat, ut tu pro lenitate tua volueris. Lenitatem autem appellat, quia eam in fratre eminere vult, et Quinti lenitatem, non lictoris videri.] * Proconsules in provinciis duodenis, propraetores senis utebantur lictoribus.

§. 30. * *qui aliquid acceperint*, qui pecunia accepta corrupti sint.

§. 31. * L. *Caesium* (cf. ad Q. fr. I, 2, 4.) *et Chaerippum* (ad Att. IV, 7 init.) *et Labeonem* (ad Q. fr. III, 1, 21.), Quinti familiares, ceterum ignotos.

§. 32. * *provinciales*, omnes qui in provincia domicilium habent, inprimis cives Romani, qui lucri faciendi caussa in provinciam abierunt.

§. 33. *iis rebus omnibus — pos-*

nos divulsi esse non possumus, te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent? mihi quidem permagnum videtur, praesertim si iidem homines privatum non fere
34 quemquam, praetores semper omnes amant. Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit) quam temporis, hunc vero ad tuorum numerum libenter adscribito; sin autem id non perspicies, nullum genus erit in familiaritate cavendum magis, propterea quod et omnes vias pecuniae norunt, et omnia pecuniae causa faciunt, et, quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant.
35 Atque etiam e Graecis ipsis diligenter cavendae sunt quaedam familiaritates, praeter hominum perpaucorum, si qui sunt vetere Graecia digni; sic vero fallaces sunt permulti et leves et diuturna servitute
36 ad nimiam assentationem eruditi. Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque coniungi dico oportere; nimiae familiaritates eorum neque tam fideles sunt, (non enim audent adversari nostris voluntatibus) et invident non nostris solum,
37 verum etiam suis. Iam qui in eiusmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior sim, cautus esse velim ac diligens, quo me animo in servis esse censes? quos quidem quum omnibus in locis, tum praecipue in provinciis regere debemus; quo de genere multa praecipi possunt.
38 Sed hoc et brevissimum est et facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia via faceres, neve interesse
39 quidquam putent, utrum Tralles, an Formias venerint. Ac si quis est ex servis egregie fidelis, sit in domesticis rebus et privatis; quae res ad officium imperii tui atque ad aliquam partem rei publicae pertinebunt, de iis rebus ne quid attingat: multa enim, quae recte committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis et vituperationis vitandae causa committenda non sunt.

sumus, vita urbana, Romae inter amicos, * cf. ep. IX, 32.

[*qui pecuniae* etc. pro (aliquos) qui, quum careant his rebus omnibus, te alienum hominem ament. Vid. ad or. pro l. Manil. §. 2.]

§. 34. *temporis*, muneris tui, quod ad tempus tibi datum est. Sic ad Div. X, 1. *si ad tuum tempus deducitur*, h. e. ad consulatum tuum.

§. 35. * *Graecis*, cf. §. 16. — *quaedam fam.*, certi cuiusdam generis, ambitiosae scilicet.

[*sic vero* - - Videtur esse anacoluthon s. *oratio inconsequens*, ut cum Asconio vocat Hottom. pro *sic vero fallaces sunt* - - *ut nimiae familiaritates eorum non fideles, ideoque vitandae sint.* Fortasse tamen *vero* delendum, ut hoc ad antecedentia referatur: *cavendae sunt famil.* — *sic fallaces sunt perm.*]

§. 36. * *nostris*, Romanis; *suis*, Graecis.

[§. 37. *in servis* (sic MS. apud Gronov.) i. e. quum de servis agitur. Verr. V, 23 in. *ita in una civitate bis improbus fuisti.* Cf. Heusing. ad Off. II, 18, 3.]

[§. 38. *ut si iter A. faceres* pro ut se gererent, si iter A. faceres.]

* *Appia via*, quae Roma Capuam et Capua Brundisium ducebat, itaque per frequentissimas Italiae regiones, ubi servis petulantibus esse nullo modo licebat. — *Tralles* oppidum Lydiae, ad Mesogidis montis radices situm; *Formiae* municipium Latii.

Sed nescio quo pacto ad praecipiendi rationem delapsa est oratio 40
mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem, quam me, usu vero etiam superiorem? Sed tamen si ad ea, quae faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsa illa putavi fore iucundiora. Quare sint haec fundamenta dignitatis tuae: tua pri- 41
mum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus et provincialium hominum et Graecorum percautus et diligens; familiae gravis et constans disciplina. Quae 42
quum honesta sint in his privatis nostris quotidianisque rationibus; in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia, divina videantur necesse est. Haec institutio atque haec disciplina potest sustinere in rebus statuendis et decernendis eam severitatem, qua tu in iis rebus usus es, ex quibus nonnullas simultates cum magna mea laetitia susceptas habemus. Nisi forte me Paconii nescio cuius, 43
hominis ne Graeci quidem, ac Mysi aut Phrygis potius, querelis moveri putas, aut Tuscenii, hominis furiosi ac sordidi, vocibus, cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum aequitate. Haec et cetera plena severitatis, quae statuisti in ista 44
provincia, non facile sine summa integritate sustineremus; quare sit summa in iure dicundo severitas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conservetur aequabilis. Sed tamen parvi refert abs te ipso ius dici 45
aequabiliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sane 46
magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione maxime sustineri. In qua scientiae praesertim provincialis ratio ipsa expedita est; constantia est adhibenda et gravitas, quae resistat non solum gratiae, verum etiam suspicioni. Adiungenda etiam 47
est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. Iis rebus nuper C. Octavius iucundissimus fuit;

[§. 40. *Quam* post *inferior, superior* minus usitatum ablativo, contra quam Ramshorn. docet Gramm. p. 308. not. Sic tamen ad Att. IX, 9. *se largitione ipsa superiorem, quam hunc fore.* Offic. I, 32. 116 *Timotheus quum belli laude non inferior fuisset, quam pater.* Cf. Brut. 42, 155. 48, 179. 49, 182. pro Planc. 12, 30.]

* *si auctoritas accederet mea*, si videres ea a me quoque probari.

§. 41. * *familiae*, servorum.

§. 42. * *divina*, cf. §. 16. — *tam corruptrice provincia*, cf. §. 17.

§. 43. * *ne Graeci quidem, ac Mysi aut Phrygis potius.* De Graecorum levitate et assentatione dixit §. 35.; Mysi vero et Phryges utpote barbari etiam magis despiciebantur.

§. 45. * *eius muneris aliquam partem concesseris.* Provinciarum praesides legatis suis praeter caetera negotia iurisdictionis quoque partem aliquam demandare solebant.

§. 47. *in satisfaciendo*, cum ita res demonstratur et obiectionibus respondetur, (quod ipsum est *disputare*) ut in eo acquiescatur. Sic *satisfacere iudicibus* Verr. III, 62. rem iis probare. *Ern. in Cl.*

C. Octavius, pater Augusti, tum in Macedonia praetor. vid. Suet.

apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus; quoties quisque
48 voluit, dixit, et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi haec lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere; qui in magistratibus iniuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat iure parendum. Haec illius severitas acerba videretur, nisi multis
49 condimentis humanitatis mitigaretur. Quodsi haec lenitas grata Romae est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis populi, tanta senatus auctoritas; quam iucunda tandem praetoris comitas in Asia potest esse, in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur? ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla contio?
50 Quare permagni hominis est et quum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse
51 praesit, desideretur. Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii, cuius summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur; — quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii; eaque si sic coluit ille, qui privatus futurus numquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, et ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est?
52 Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui praesunt aliis, ut ii, qui erunt in eorum imperio, sint quam beatissimi; quod tibi et esse antiquissimum et ab initio fuisse, ut primum Asiam atti-
53 gisti, constante fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem

Aug. 3. *Quiescere* de lictore Hottom. explicat, molestum disputantibus litigatoribus non esse, neque eos summovere.

* *primus lictor*, qui ordinem lictorum ducebat. Lictores enim ibant ante magistratum, non gregatim, non bini ternive, sed ordine facto alter post alterum. Primi lictoris, qui agmen ducebat, proprium munus erat, ut submoveret occurrentes. Proximus lictor dicebatur, qui, quum proxime a magistratu abesset, mandata eius accipiebat. — *accensus*, cf. ep. LXIII, 4.

[§. 48. *videretur*. vid. ad or. pro Roscio 36, 103.]

* *Sullani homines*, qui quum a partibus Sullae stetissent, proscriptorum bona invaserant.

[§. 49. *tot magistratus*, qui appellati possunt intercedere. *Auxilia*. Licebat enim, ab iniurioso praetoris decreto ad parem maioremve magistratum auxilii ergo confugere. *Hottom.*]

[*nullum auxilium* tribunorum plebis, *nulla conquestio* apud alios magistratus, praetoris collegas, *Ern.*

§. 51. * *Cyrus ille*, maior, *a Xenophonte — scriptus*, libris de Cyri disciplina. Est vero in his verbis anacoluthon. — *eaque* referri non ad gravitatem et comitatem, sed ad *officium diligentis et moderati imperii* recte monuit *Süpfl.*

§. 52. * *antiquissimum*, quod reliqua omnia praecedit, non tempore solum, verum etiam gravitate et dignitate.

non modo eius, qui sociis et civibus, sed etiam eius, qui servis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis utilitatique servire. Cuius quidem generis constare inter omnes video abs 54
te summam adhiberi diligentiam; nullum aes alienum novum contrahi civitatibus, vetere autem magno et gravi multas abs te esse liberatas; urbes complures dirutas ac paene desertas, in quibus unam Ioniae nobilissimam, alteram Cariae, Samum et Halicarnassum, per te esse recreatas; nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias; provideri abs te, ut civitates optimatium consiliis administrentur; sublata Mysiae latrocinia; caedes multis locis repressas; pacem tota provincia constitutam; neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura et maiora oppidorum et fanorum furta et latrocinia esse depulsa; remotam a fama et a fortunis et ab otio locupletium illam acerbissimam ministram praetorum avaritiae, calumniam; sumptus et tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari aequabiliter; facillimos esse aditus ad te; patere aures tuas querelis omnium; nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam tuo: toto denique in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis. Quantum vero 55
illud est beneficium tuum, quod iniquo et gravi vectigali aedilicio, cum magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? Etenim si unus 56
homo nobilis queritur palam, te, quod edixeris, NE AD LUDOS PECUNIAE DECERNERENTUR, H-S CC sibi eripuisse; quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicunque Romae ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum 57
nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romae quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quod, quum ad templum monumentumque nostrum civitates pecunias decrevissent, quumque id et pro meis magnis meritis et pro tuis maximis beneficiis summa sua voluntate fecissent nominatimque lex exciperet,

§. 54. * *optimatium consiliis administrentur.* Non hoc proprium fuit Quinti consilium; Romani enim in iure sociorum provincialium constituendo id agebant, ut a censu maxime senatum et iudices legerent, potentioremque facerent eam partem civium, cui salva tranquillaque omnia magis esse expediret. Liv. XXXIV, 51.

[*atque omnia,* pro sed omnia. Vid. ad or. pro Mur. §. 71.]

§. 55. *vectigali aedilitio,* pecunia, quae in provinciis pro aedilibus ad ludorum sumtus sublevandos cogebatur. cf. Liv. XL, 44.

§. 56. * *quod edixeris, ne ad ludos p. er.* Apparet vel ex hoc loco, non lege coactos fuisse provinciales, ut pecunias ad ludos faciendos aedilibus conferrent, contulisse tamen saepius. De similibus provinciarum sumtibus cf. ep. LVI, §. 5 sq.

[§. 57. *nescio quonam modo,* mediocriter an magnifice. *Nescio quomodo,* ut Ern. edidit, esset quodammodo, et usurpatur fere de rebus molestis, quas sic se habere aegre ferimus. Vid. Beier. ad Cic. de off. I, 41, 146.].

* *ad templum monumentumque nostrum,* exstruendum in honorem rerum a Cicerone consule gestarum.

[*lex exciperet,* de repetundis, ne

UT AD TEMPLUM MONUMENTUMQUE CAPERE LICERET, quumque id, quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quam populo Romano ac diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi quum aliis de causis, tum etiam ut animo aequiore ferrent ii, quibus nec deberetur nec
58 liceret. Quapropter incumbe toto animo et studio omni in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuae fidei potestatique senatus populusque Romanus commisit et credidit, diligas, et omni
59 ratione tueare, et esse quam beatissimos velis. Quodsi te sors Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae, consulere eorum commodis et utilitati salutique servire; quum vero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipso sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas; certe iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepi-
60 mus: non enim me hoc iam dicere pudebit, praesertim in ea vita atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiae aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quae consecuti sumus, iis studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplini-
61 nisque tradita. Quare praeter communem fidem, quae omnibus debetur, praeterea nos isti hominum generi praecipue debere videmur, ut, quorum praeceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didi-
62 cerimus, velimus expromere. Atque ille quidem princeps ingenii et doctrinae Plato tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere coepissent, aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis ac sapientiae saluti censuit civitatibus esse posse. Quod fortasse aliquando universae rei publicae nostrae,

cui, qui in provincia cum imperio vel potestate esset, capere aut conciliare pecuniam liceret. *Hottom.*]

* *quibus nec deberetur, nec liceret*, aediles.

[§. 59. *a quo ad alios* etc. Plin. Epist. VIII, 24. *Habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis miserit iura, quae leges non victa acceperit, sed petentibus dederit: Athenas esse quas adeas, Lacedaemonem esse, quam regas; quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere durum, ferum barbarumque est.*] * cf. etiam ep. CXXIII.

§. 60. * *monumentis*, litterarum.

§. 61. * *fidem*, *quae omnibus debetur*, cf. 52. 53.

§. 62. *Plato*, de rep. V. p. 473. C. (p. 53, Bip.) *ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς — — οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν.* cf. Rutil. Lup. I, 6. et ibi Ruhnk.

[§. 62. *Quod* refertur ad praecedentia, *hanc coni. potest. ac sap. fuisse.* Idem tamen mox explicatur additis verbis, *ut is in ea* etc. Similiter de off. II, 2, 29. *Quod cum perspicuum sit, benevolentiae vim esse magnam, metus imbecillam.* Cf. Tusc. V, 29, 82. Miscell. philol. II, 1. p. 109. 3. p. 85.]

* *universae rei publicae.* Recte monuit Süpfle, Ciceronem suum haud dubie consulatum potissimum respicere, quum hoc aliquando reipublicae universae contigisse dicat.

nunc quidem profecto isti provinciae contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuisset et temporis. Quare 63
cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiae prorogatus esse videatur. Quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo, perfice, ut laetitia provinciae desiderium nostrum leniatur. Etenim si in promerendo, ut tibi tanti 64
honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus, multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. — Equidem de isto genere honorum quid sentirem, 65
scripsi ad te ante. Semper eos putavi, si vulgares essent, viles, si temporis causa constituerentur, leves, si vero (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in iis honoribus tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis urbibus cum 66
summo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas et in deorum numero collocatas vides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas saluti, ut te parentem Asiae et dici et haberi velis. Atque 67
huic tuae voluntati ac diligentiae difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si adversamur, ordinem de nobis optime meritum et per nos cum re publica coniunctum et a nobis et a re publica diiungemus; sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Haec est una, si vere cogitare volumus, in toto imperio 68
tuo difficultas. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coërcere, iuris aequabilem tenere rationem, facilem se in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque praebere, praeclarum magis est, quam difficile: non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi atque voluntate. Illa causa 69
publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiae tollendis non tam de portorio, quam de nonnullis iniuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, 70
quid sociis accidat in ultimis terris, quum audierim in Italia querelas

§. 63. * *qui ad laborem tuum accessit*, cf. §. 1.

[§. 64. *haud scio an nemini*. Vid. quae disputavi in Fridemanni Misc. cr. Vol. I. p. 679.]

* *tanti honores haberentur*, videntur Quinto, ut aliquoties provinciarum praesidibus factum est, paene divini honores a provincialibus decreti, ut templis coleretur et dies festi in eius honorem instituerentur; cf. ep. LVI.

§. 65. * *temporis causa*, ut gratiam inirent eius, qui tum provinciae praeesset.

[§. 66. *cum summo imperio* civili: nam exercitum non habebat. vid. §. 9 sqq. *Ernest.* clav. Cic.]

§. 67. * *ordinem — coniunctum*, cf. quae adnotavimus ad ep. X, 17.

§. 69. *in portoriis It. tollendis*. Sustulerat Caesar, ut ab Italia gratiam iniret. vid. ad Att. II, 16.

civium. Hic te ita versari, ut et publicanis satisfacias, praesertim publicis male redemptis, et socios perire non sinas, divinae cuiusdam
71 virtutis esse videtur, id est, tuae. Ac primum Graecis, id quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Romani suis institutis per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerint, quod iis aequaliter
72 Sulla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Graecos, quam nostros publicanos, hinc intelligi potest, quod Caunii nuper omnesque ex insulis, quae erant ab Sulla Rhodiis attributae, confugerunt ad senatum, nobis ut potius vectigal, quam Rhodiis,
73 penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt, neque ii aspernari, qui per se pendere
74 vectigal non potuerunt, neque ii recusare, qui postulaverunt. Simul et illud Asia cogitet, nullam a se neque belli externi neque discordiarum domesticarum calamitatem afuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur; id autem imperium quum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi
75 sempiternam redimat atque otium. Quod si genus ipsum et nomen publicani non iniquo animo sustinebunt, poterunt iis consilio et prudentia tua reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi
76 negotii et liberationem molestiae. Potes etiam tu id facere, quod et fecisti egregie et facis, ut commemores, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut, remoto imperio ac vi potestatis et fascium, publicanos cum Graecis gratia atque aucto-
77 ritate coniungas. Sed etiam ab iis, de quibus optime tu meritus es et qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quae est nobis cum publicanis, obtinere et conservare
78 patiantur. Sed quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte sine cuiusquam praeceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti? Non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimae et maximae societates; quod quidem mihi idcirco iucundius

[§. 70. *publ. male redemptis.* Vid. epist. X, 19.]

[§. 71. *ita fuerunt*, vectigales, ut est c. 73.] * Vectigalia enim solverant Syriae et Pergami regibus antequam in provinciae Romanae formam Asia redacta est.

[*quod iis aequ. Sulla d.* sc. in capita. De ea re vid. Plut. in Lucullo c. 20., qui XX millia talentorum fuisse scribit. *Ern.* Cf. Plut. Sull. c. 25.]

§. 72. * *Caunii*, cives Cauni, urbis Cariae maritimae.

[§. 75. *in pactionibus* aratorum provincialium cum publicanis de decumis. Legem censoriam, formulam, qua publicanis a Censoribus vectigalia locata sunt, quae et vectigalia ipsa, quae locabantur, et conditiones, quibus locabantur, continebat, ut et populo et redemtoribus prospiceretur. *Ern. clav. C. Ind. legg. Censoria* 11.]

§. 78. * *societates*, publicanorum. —

est, quod idem faciunt Graeci. „Difficile est autem, ea, quae commodis, utilitate et prope natura diversa sunt, voluntate coniungere.“ At ea quidem, quae supra scripta sunt, non, ut te instituerem, scripsi, 79
(neque enim prudentia tua cuiusquam praecepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuae virtutis delectavit; quamquam in his litteris longior fui, quam aut vellem, aut quam me putavi fore. Unum est, quod tibi ego praecipere non desinam, neque te patiar 80
(quantum erit in me) cum exceptione laudari: omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam. Quod vitium quum in hac privata quotidianaque vita levis esse animi atque infirmi videtur, tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. Quare illud non suscipiam, ut, 81
quae de iracundia dici solent a doctissimis hominibus, ea nunc tibi exponam, quum et nimis longus esse nolim, et ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere; illud, quod est epistolae proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, praetermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes fere deferunt: 82
nihil, quum absit iracundia, dicere solent, te fieri posse iucundius, sed quum te alicuius improbitas perversitasque commoverit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare, 83
quoniam in eam rationem vitae nos non tam cupiditas quaedam gloriae, quam res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit, caveamus, quantum efficere et consequi possumus, ut ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque ego nunc 84
hoc contendo, quod fortasse quum in omni natura, tum iam in nostra aetate difficile est, mutare animum et, si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere; sed te illud admoneo, ut, si hoc plane vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur, ut te ante compares quotidieque meditere, resistendum esse iracundiae, quumque ea maxime ani-

idem faciunt, gratias agunt. — *quae diversa sunt*, publicanorum, qui vectigalia conduxerunt, et Graecorum, qui vectigales sunt, studia.

§. 80. * *istinc*, ex Asia, ubi tu versaris. — *in summis tuis laudibus*, licet te quam maxime laudent, tamen sq. — *iracundiam*, cf. ep. X, 9.

[§. 83. *res*, rerum, qualis tunc, in consulatu Ciceronis, Romae erat status.]

§. 84. * *in nostra aetate*, aliquanto plus quadraginta annos natus erat Quintus, itaque non tam facile quam adolescens animum mutare poterat.

admoneo, ut, si — occuparetur, ut te ante comp. Sic pro Planc. 38. 92. *Res ipsa publica ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper — — ut iam mihi servirem.* Acad. IV, 45, 139. *possum esse medius, ut, quoniam Aristippus corpus solum tuetur, Zeno animum solum complectitur, ut Calliphontem sequar.* Fin. III, 13, 43. *Ne illud quidem est consentaneum, ut, si — eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis rebus plenior, ut hoc idem approbandum sit nobis.*

mum moveat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam; quae quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci: nam illud est non solum gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis; moderari vero et animo et orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etsi
85 non est perfectae sapientiae, tamen est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multo te esse iam commodiorem mitioremque nuntiant; nullae tuae vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullae contumeliae perferuntur; quae quum abhorrent a litteris, ab humanitate, tum vero contraria sunt imperio ac dignitati: nam si implacabiles iracundiae sint, summa est acerbitas, sin autem exorabiles, summa levitas; quae tamen, ut in malis, acerbitati antepo-
86 nenda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo, propterea quod tibi hominum iniuriae, quod avaritiae, quod insolentia praeter opinionem accidebat et intolerabilis videbatur, secundus autem multo lenior, quod et consuetudo et ratio et, ut ego arbitror, meae quoque litterae te patientiorem lenioremque fecerunt; tertius annus ita debet esse emendatus, ut ne
87 minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione neque praeceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam cogitationemque tuam ponas in
88 omnium laude undique colligenda. Quodsi in mediocri statu sermonis ac praedicationis nostrae res essent, nihil abs te eximium, nihil praeter aliorum consuetudinem postularetur; nunc vero propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem et magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam
89 vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni quum faveant, tum etiam omnem a nobis diligentiam virtutemque et postulent et exspectent, omnes autem improbi, quod cum iis bellum sempiternum suscepimus, vel minima re ad reprehendendum contenti esse
90 videantur. Quare, quoniam eiusmodi theatrum es sortitus, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque

* *etsi non est perfectae sapientiae*, sapiens enim omnino non irascitur.

§. 85. * *in hoc genere*, cf. §. 37. ep. X, 13.

[§. 85. *ut in malis*, quatenus hoc in iis, quae mala sunt, dici potest. Sic pro Clu. 5, 14. *ut in tantis iniuriis, non invita*, ut in tantis in. par erat. Formula id, quod simpliciter et universe dictum erat, certa conditione restringens. Cf. ad Div. XV, 3. infr. XXXII, 13. de orat. III, 18, 66. ubi vid. Pearc. Brut. 7, 27. 10, 39. 41. 26, 102. 28. in. etc. Manut. ad Div. IV, 9.]

§. 88. * *nisi summam laudem — assequimur*, ipse enim Marcus suam gloriam fratris virtute augeri censet, cf. §. 5.

§. 90. * *theatrum es sortitus*, cf. Verr. V, 14. *ut me quaesturamque meam quasi in aliquo terrarum orbis theatro versari existimarem.* ad Div. XIII, 64, 2. *magnum theatrum habet ista provincia.*

referantur; contende, quaeso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare. Et, quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem 91
rei publicae, tibi provincialem dedit; si mea pars nemini cedit, fac, ut tua ceteros vincat. Simul et illud cogita, nos non de reliqua et 92
sperata gloria iam laborare, sed de parta dimicare; quae quidem non tam expetenda nobis fuit, quam tuenda est. Ac si mihi quidquam 93
esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus est; nunc vero sic res sese habet, ut, nisi omnia tua facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me tantis meis laboribus tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quod si, ut amplissimum nomen conseque- 94
remur, unus praeter ceteros adiuvisti, certe idem, ut id retineamus, praeter ceteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac iudiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt: quamquam illorum erit verius iudicium, obtrectatione et malevolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non 95
te tibi soli gloriam quaerere; quod si esset, tamen non negligeres, praesertim quum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui; sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris. In quo cavendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris. Atque 96
haec non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur; facies enim perpetuo, quae fecisti, ut omnes aequitatem tuam, temperantiam, severitatem integritatemque laudent. Sed me quaedam tenet propter singularem amo- 97
rem infinita in te aviditas gloriae; quamquam illud existimo, quum iam tibi Asia, sicut uni cuique sua domus, nota esse debeat, quum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias, et tibi non sine cuiusquam hortatione in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, quum 98
tua lego, te audire, et qui, quum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco et tua longissima quaque epistola maxime delector, et ipse in scribendo sum saepe longior. Illud te ad extremum et oro et hor- 99
tor, ut, tamquam poëtae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus, perfectis-

[§. 90. *artibus*. Vid. ad or. pro l. Man. 13, 36. Sed artes proprie non ipsae virtutes esse videntur, sed earum loco et tempore exercendarum scientia.]

§. 95. * *monumentis*, cf. §. 66.

§. 96. * *currentem incitasse*, cf. ad Att. XIII, 45, 2. *Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem*; et de Or. II, 4. *Facilius enim est, currentem, quod aiunt, incitare, quum commovere languentem.*

§. 97. * *in te*, tuis in rebus, quod ad te attinet.

§. 99. *tertius actus*. Respexisse videtur ad illam fabularum divisionem, qua tres partes habent, πρό-

simus atque ornatissimus fuisse videatur. Id facillime facies, si me, cui semper uni magis, quam universis, placere voluisti, tecum semper esse putabis et omnibus iis rebus, quas dices et facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut valetudini tuae, si me et tuos omnes valere vis, diligentissime servias. Vale.

EPISTOLA XIV. (Ad Att. II. 6.)

Scr. in Antiati A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

1 Quod tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus exstaret huius peregrinationis; nihil iam magnopere confirmo: sic enim sum 2 complexus otium, ut ab eo divelli non queam. Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam, aut fluctus numero: 3 nam ad captandos lacertos tempestates non sunt idoneae. A scribendo prorsus abhorret animus: etenim γεωγραφικά, quae constitueram, magnum opus est; ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur. Quid censes, si Tyrannio accesserit? et hercule sunt res difficiles ad explicandum et ὁμοειδεῖς, nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quam videbantur, et, 4 quod caput est, mihi quaevis satis iusta causa cessandi est. Quin etiam dubitem, hic an Antii considam, et hoc tempus omne consumam; ubi quidem ego mallem Duumvirum, quam Romae, me fuisse. 5 Tu vero sapientior Buthroti domum parasti. Sed, mihi crede,

λογον, ἐπεισόδιον, ἔξοδον, vid. Aristot. de poet. c. 12. [cf. Plat. Crit. §. 5. Lange vind. trag. R. p. 46.]

§. 1. * *opus exstaret huius peregrinationis.* Cicero Roma abierat, offensus Pompeii cum Caesare et Crasso coniunctione, et otio suo uti constituerat ad libros de geographia componendos.

§. 2. * *Antii*, in oppido Latii maritimo.

* *captandos lacertos*, genus piscium marinorum; significat his verbis, se plane desidem nihil prorsus agere serii.

§. 3. * *Eratosthenes*, Cyrenaeus, Alexandriae bibliothecae regiae praefuit et, omnis generis doctrina abunde instructus, primus philologi nomine ornatus esse traditur. — *proposueram*, sequendum.

Serapio, Antiochenus, Geographicorum scriptor, sicut et *Hipparchus*, Nicaeensis, c. Ol. 160. qui contra Eratosthenem scripsit. Strabo I. p. 14. II. p. 133. 149.

Tyrannio, Amisenus, grammaticus et geographus, praeceptor Strabonis, inde Romam a Lucullo captivus ductus amicitia Pompeii, Luculli, Ciceronum floruit. vid. Fabric. B. Gr. T. VI. p. 381. ed. Harl.

§. 4. * *hic an Antii.* Non recte interpungi inter *hic* et *an* intelligitur ex §. 5., *haec Antiatium civitas.*

* *hoc tempus omne*, Caesaris consulatum.

* *Duumvirum.* In municipiis duumviri summi erant magistratus, ut Romae consules.

§. 5. * *Buthroti*, cf. ad ep. I, 1.

proxima est illi municipio haec Antiatium civitas. Esse locum tam prope Romam, ubi multi sint, qui Vatinium numquam viderint! ubi nemo sit, praeter me, qui quemquam ex vigintiviris vivum et salvum velit! ubi me interpellet nemo, diligant omnes! hic nimirum *πολιτευτέον*. Nam istic non solum non licet, sed etiam taedet. Itaque 6
ἀνέκδοτα, quae tibi uni legamus, Theopompio genere aut etiam asperiore multo pangentur. Neque aliud iam quicquam *πολιτεύομαι*, nisi odisse improbos, et id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate. Sed ut ad rem: scripsi ad quaesto- 7
res urbanos de Quinti fratris negotio. Vide, quid narrent, ecquae spes sit denarii, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Praeterea de muro, statue, quid faciendum sit. Aliud quid? Etiam. Quando te proficisci istinc putes, fac, ut sciam.

EPISTOLA XV. (Att. II. 17.)

Scr. in Formiano initio mensis Maii A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

Prorsus, ut scribis, ita sentio: turbat Sampsiceramus. Nihil 1
est, quod non timendum sit; *ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται*. Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager

§. 5. *proxima est*, simillima, ad Att. IV, 8. *Scito, Antium esse Romae, ut Corcyrae Buthrotum illud tuum; nihil quietius, nihil amoenius.*

Vatinium, trib. pl. Caesaris cons. in seditionibus ministrum, contra quem exstat Ciceronis oratio.

ex vigintiviris, a Caesare ad aestimandum et dividendum agrum Campanum ex lege agraria creatis.

§. 6. *ἀνέκδοτα*, historiam sui temporis, quam post exsilium scripsit (ad Att. XIV, 17.), sed obsignatam filio tradidit.

Theopompio, aspero ac mordaci, a Theopompo historico, quem maledicentissimum vocat Corn. N. Alcib. 7. Fuit Chius, Isocratis discipulus; scripsit *Ἑλληνικῶν* libr. XII. et *Φιλιππικῶν* LVIII.

* *stomacho*, cf. ep. XLI, 24.

§. 7. *de Quinti fr. neg.* de pecunia a quaestoribus ad sumtus publicos solvenda, quam ille sibi denario, nummo Romano, numerari volebat, alii nummo Asiatico, a cista mystica *cistophoro* appellato, solvendam contendebant.

* *iaceamus*, victi.

de muro, domus Palatinae. ad Att. II, 4.

* *Etiam*, cf. ad ep. VII, 15. ep. LXXIV, 20.

§. 1. *Sampsiceramus*, Pompeius. Est hoc nomen reguli Emesenorum ap. Strab. XVI. p. 1092. Pompeius hoc nomen inde traxisse videtur, quod tantuli regis in litteris, quas de rebus a se gestis publice ad senatum miserat, commemoratio risum audientibus moverat.

affinitatis coni. cum C. Iulio Caesare, qui ei filiam Iuliam *collocavit, repudiato priore sponso, Servilio Caepione, cuius vel praecipua opera paullo ante Bibulum impugnaverat.* Suet. Caes. 21. Plut. Pomp. 47. *Ἰουλίαν — — οὐδενὸς ἂν προσδοκήσαντος, ἔγημε Πομπήϊος.*

* *ager Campanus*, ex lege Caesaris civibus dividendus.

Campanus, quid effusio pecuniae significant? quae si essent extrema, tamen esset nimium mali; sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint. Quid enim eos haec ipsa per se delectare possunt? Nunquam huc venissent, nisi ad res alias pestiferas aditus sibi com-
2 pararent. Dii immortales! Verum, ut scribis, haec in Arpinati a. d. VI. circiter Id. Mai. non deflebimus, ne et opera et oleum philologiae nostrae perierit, sed conferemus tranquillo animo. Neque tam me εὐελπιστία consolatur, ut antea, quam ἀδιαφορία; qua nulla
3 in re tam utor, quam in hac civili et publica. Quin etiam, quod est subinane in nobis et non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua vitia nosse) afficitur quadam delectatione: solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos DC maiora viderentur, quam nostra; hac quidem cura certe iam vacuum est. Iacet enim ille sic,
4 ut πτῶσις Curiana stare videatur. Sed haec coram. Tu tamen videris mihi Romae fore ad nostrum adventum. Quod sane facile patiar, si tuo commodo fieri possit. Sin, ut scribis, ita venies, velim e Theophane expiscere, quonam in me animo sit Alabarches. Quaeres scilicet, ut soles κατὰ τὸ κηδεμονικόν, et ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes, quemadmodum me geram. Aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari.

EPISTOLA XVI. (Att. II. 19.)

Scr. Romae mense Quintili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

1 Multa me sollicitant et ex rei publicae tanto motu et ex iis periculis, quae mihi ipsi intenduntur; et sexcenta sunt. Sed mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum: *nec meum imperium — ac mitto imperium; non simultatem meam revereri saltem!* Nec, quid

effusio pec. ad emendos publica pecunia agros, qui a privatis in Campania possidebantur.

§. 2. * *philologia*, amor litterarum et doctrinae, philosophiae inprimis.

§. 3. πτῶσις *Curiana. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem Censores senatu probri gratia moverant.* Sallust. Catil. 23. Hoc igitur dicit: Pompeium sic iacere, ut Curius ille turpiter prolapsus stare prae illo videatur.

§. 4. *Theophanes*, Mitylenaeus, scriptor rerum Pompeii et ab hoc civitate donatus. v. pro Arch. 10. ad Att. II, 5. 12. V, 1. VII, 7.

Alabarches, magister scripturae, ab ἄλαβα, atramentum. Sic vocatur Pompeius, quia se vectigalia P. R. valde auxisse iactabat: omnia autem vectigalia uno scripturae, i. e. redituum e pascuis, nomine comprehendebantur, quoniam hoc antiquissimum genus vectigalium fuerat.

§. 1. *Statium manumissum*, quod nimium apud Q. Ciceronem valere credebatur. vid. ad Qu. fr. I, 2. init.

nec meum imperium. Verba sunt Demiphonis apud Terent. Phorm. II, 1.

faciam, scio, neque tantum est in re, quantus est sermo. Ego autem 2
ne irasci possum quidem iis, quos valde amo; tantum doleo, ac
mirifice quidem. Cetera in magnis rebus, minae Clodii contentionesque, quae mihi proponuntur, modice me tangunt. Etenim vel subire
eas videor mihi summa cum dignitate, vel declinare nulla cum molestia
posse. Dices fortasse dignitatis ἄλις, tamquam δρυός; saluti, si 3
me amas, consule. Me miserum! cur non ades? nihil profecto te
praeteriret; ego fortasse τυφλώττω, et nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα. Scito nihil unquam fuisse tam infame, tam turpe, tam 4
peraeque omnibus generibus, ordinibus, aetatibus offensum, quam
hunc statum, qui nunc est, magis mehercule, quam vellem, non
modo quam putaram. Populares isti iam etiam modestos homines
sibilare docuerunt. Bibulus in caelo est, nec, quare, scio; sed
ita laudatur, quasi *unus homo nobis cunctando restituat rem.*
Pompeius, nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se 5
afflixit; neminem tenet voluntate; ne metu recesse sit iis uti, vereor.
Ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam, neque approbo, ne omnia improbem, quae antea gessi; utor via.
Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est: nam gla- 6
diatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Ludis Apol- 7
linaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus
est. *Nostra miseria tu es Magnus* millies coactus est dicere. *Eandem virtutem istam, veniet tempus, quum graviter gemes,* totius
theatri clamore dixit, itemque cetera. Nam et eiusmodi sunt ii versus,
ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur. *Si neque*

* *quos valde amo,* Quinto fratri, qui contra quam frater saepius monuerat, Statium manumiserat.

§. 3. ἄλις δρυός proverbium est de priscis illis, post inventas fruges glandes negligentibus, quum satis olim cibum se a quercubus petiisse dicerent.

§. 4. * *populares isti,* Caesar et Pompeius, ironice. Nam populares e Ciceronis quidem sententia non fuisse, docent quae sequuntur.

* *Bibulus,* Caesaris in consulatu collega, qui quum, vim Caesarianorum timens, domi se teneret, Caesare leges ferente de coelo servare solebat. — *in coelo est,* laudibus ad coelum tollitur.

§. 4. *unus homo.* Est versus Ennii de Q. Fabio Maximo Cunctatore.

§. 5. *neminem tenet.* cf. ep. XVII, 10. [*voluntate,* sponte, bona cum *gratia,* ut Terent. Ad. 3, 4, 44. *Fidem vestram implorat, ut, quod vos ius cogit, id voluntate impetret. Vereor an,* cum timore quodam dubito. ad Att. II, 20. *haec quo sint eruptura, timeo.* cf. III, 8. VII, 7. *quid sit, vereor.* ad Div. VIII, 10. *id quomodo acciperent homines, vereor etiam nunc.* cf. infra 17, 1. Sic Graeci δέδοικα εἰ.]

* *ne metu,* recepimus cum SCHUETZ. et ORELL.

* *illam amicitiam,* quae Ciceroni erat cum Pompeio.

* *utor via,* neutro respiciens recta via pergo.

§. 6. * *gladiatoribus,* quum ludi gladiatorii fierent, Gabinio edente, cf. ep. XX, 6.

dominus, is qui ludos edebat. Sic *dominus epuli* Vatin. 13. *dominus auctionis* Quint. 5.

§. 7. *Ludis Apoll.* Idem narrat Valer. Max. VI, 2.

leges, neque mores cogunt, et cetera magno cūm fremitu et clamore
8 sunt dicta. Caesar quum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum est, ut salva re publica Pompeio plaudi solebat. Tulit Caesar graviter. Litterae Capuam ad Pompeium volare dicebantur. Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant; hostes omnibus. Rosciae legi, etiam frumentariae minitabantur. Sane
9 res erat perturbata. Equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transiri; sed vereor, ne non liceat. Non ferunt homines, quod videtur esse tamen ferendum. Sed est iam una vox omnium,
10 magis odio firmata, quam praesidio. Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est; impendet negotium, ad quod tu scilicet advolabis. Videor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum
11 omnium, etiam satis bonorum habere firmissimum. Pompeius significat studium erga me non mediocre. Idem affirmat, verbum de me illum non esse facturum; in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui. Nihil me turpius apud homines fuisset; neque vero ad istam ipsam *ἀσφάλειαν* quidquam alienius. Sunt enim illi apud bonos invidiosi; ego apud improbos meam retinuissem invidiam,
12 alienam assumpsissem. Caesar me sibi vult esse legatum. Honestior declinatio haec periculi. Sed ego hoc nunc repudio. Quid ergo est? Pugnare malo. Nihil tamen certi. Iterum dico, utinam ad-
13 esses! sed tamen, si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? Hoc opinor: certi sumus perisse omnia. Quid enim *ἀχχιζόμεθα* tamdiu? Sed haec scripsi properans, et mehercule timide. Posthac ad te, aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intelliges. In iis epistolis me
14 Laelium, te Furium faciam; cetera erunt *ἐν αἰνιγμοῖς*. Hic Caecilium colimus et observamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. Iis ardet dolore et ira noster Pompeius.

§. 8. * *Curio filius*, cf. ad Att. II, 12. II, 18. *Unus loquitur et palam adversatur adolescens Curio. Huic plausus maximi.*

* *Capuam*, ubi Pompeius XXvir agris dividundis versabatur.

Rosciae legi, latae a. u. 686, quae quatuordecim in theatro ordines equitibus dabat.

frumentariae, Cassiae Terentiae latae a. u. 680, qua quini modii singulis in singulos menses constituti erant.

* *Noster*, ironice; *Publius*, Clodius, Ciceroni inimicissimus, qui tum, ut tribunatum petere liceret, ad plebem erat traductus.

[§. 11. *illum*, Clodium. Male Ern. *ullum*, quod non ponitur ante negationem.] * Affirmasse Pompeium, Clodium nihil facturum esse contra Ciceronem, intelligitur etiam ex ep. XVII, 11.

Cosconio, XXviro agris dividundis.

* *vocari in locum mortui*, quod minus honestum. — *illi*, XXviri.

§. 12. * *nihil tamen certi*, cf. ep. XVIII, 1.

§. 14. *Caecilium*, avunculum Attici.

* *Edicta Bibuli*, cf. ep. XVII, 8.

EPISTOLA XVII. (Att. II. 21.)

Scr. Romae exeunte Quintili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

De re publica quid ego tibi subtiliter? Tota periit, atque hoc 1
est miserior, quam reliquisti, quod tum videbatur eiusmodi dominatio civitatem oppressisse, quae iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie; nunc repente tanto in odio est omnibus, ut, quorsum eruptura sit, horreamus. Nam iracundiam 2
atque intemperantiam illorum sumus experti, qui Catoni irati omnia perdiderunt. Sed ita lenibus uti videbantur venenis, ut posse videremur sine dolore interire. Nunc vero sibilis vulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiae, vereor ne exarserint. Equidem sperabam, 3
ut saepe etiam loqui tecum solebam, sic orbem rei publicae esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus, et fuisset ita, si homines transitum tempestatis exspectare potuissent; sed quum diu occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare coeperunt. Itaque ille 4
amicus noster, insolens infamiae, semper in laude versatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quo se conferat nescit; progressum praecipitem, inconstantem reditum videt; bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. Ac vide mollitiem animi; 5
non tenui lacrimas, quum illum ante d. VIII. Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli contionantem. Qui antea solitus esset iactare se magnificentis- 6
sime illo in loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus, ut ille tum humilis, ut demissus erat! ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat! O spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris non item! nam, quia deciderat ex astris, lapsus, quam progressus, potius videbatur; et ut Apelles, si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum caeno oblitum videret, magnum, credo, acciperet dolorem, sic ego hunc, omnibus a me pictum et politum artis colo-

§. 2. *Catoni*, perpetuo Caesaris et Pompeii adversario; Plut. Pomp. 44. 47. 48.

* *sibilis vulgi*, cf. ep. XVI, 6.

§. 3. *sic orbem*. ad Att. II, 9. *festive, mihi crede, et minore sonitu, quam putabam, orbis hic in rep. est conversus.* [Sperare cum infin. perfecti est etiam ad Att. I, 1. extr. *spero tibi me causam probasse.* ad Qu. fr. II, 4. *De nostra Tullia spero cum Crassipede nos confecisse.*]

§. 4. *deformatus corpore*, quia tabescebat dolore infr. §. 8.

progressum, in conspirationem cum Caesare et Crasso.

reditum, a Caesare ad optimates.

§. 5. * *illo in loco*, in Rostris.

§. 6. * *Crasso*, qui Pompeii dignitati iam diu invidebat, cf. ep. VIII, 6.

quia deciderat ex astris, de gloriae fastigio, sua imprudentia et levitate *lapsus potius*, quam consilio et ratione *progressus videbatur*. SCHUTZ.

Venerem, Coam, quae nobilissima erat Apellis pictura, ut Protogenis tabula, qua Ialysum, Solis nepotem, Ialysi urbis Rhodiorum conditorem, pinxerat.

7 ribus, subito deformatum non sine magno dolore vidi. Quamquam nemo putabat, propter Clodianum negotium, me illi amicum esse debere; tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria.
8 Itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, prae multitudine eorum, qui legunt, transire nequeam, ipsi ita acerba, ut tabescat dolore, mihi mehercule molesta, quod et eum, quem semper dilexi, nimis excruciant, et timeo, tam vehemens vir tamque acer in ferro et tam insuetus contumeliae, ne omni animi impetu dolori et iracundiae pareat.
9 Bibuli qui sit exitus futurus, nescio. Ut nunc res se habet, admirabili gloria est. Quin quum comitia in mensem Octobrem distulisset, quod solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Caesar oratione sua posse impelli contionem, ut iret ad Bibulum; multa
10 quum seditiosissime diceret, vocem exprimere non potuit. Quid quaeris? Sentiunt, se nullam ullius partis voluntatem tenere; eo magis vis nobis est timenda.
11 Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat, eum nihil esse facturum contra me. Mihi periculosum est credere; ad resistendum me
12 paro. Studia spero me summa habiturum omnium ordinum. Te quum ego desidero, tum vero res ac tempus illud vocat. Plurimum consilii, animi, praesidii denique mihi, si te ad tempus videro, accesserit. Varro mihi satisfacit. Pompeius loquitur divinitus. Spero nos aut certe cum summa gloria aut sine molestia etiam discessuros. Tu, quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, ut sciam, cura.

EPISTOLA XVIII. (Att. II. 22.)

Scr. Romae mense Sextili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

1 Quam vellem Romae mansisses! Profecto, si haec fore putas-

§. 7. * *propter Clodianum negotium*, nam Pompeius augur P. Clodium ad plebem traduxerat; cf. ad Att. II, 9, 1.

§. 8. *Archilochia.* ad Att. II, 20. *Comitia Bibulus cum Archilochio edicto — distulit.* Plut. Pomp. 48. *Βίβλος εἰς τὴν οἰκίαν κατακλεισάμενος, ὀκτὼ μηνῶν οὐ προῆλθεν ὑπατεύων, ἀλλ' ἐξέπεμψε διαγράμματα, βλασφημίας ἀμφοῖν* (Pompeii et Caesaris) *ἔχοντα καὶ κατηγορίας.* cf. Suet. Caes. 20. * *Archilochia* dicuntur Bibuli edicta propter nimiam acerbitatem. Archilochus enim Lycambem, qui filiam Neobulen Archilocho desponsam alii collocaverat, iamborum quos in eum composuit acerbitate eo compulisse narratur, ut una cum filia suspendio vitam finiret.

§. 9. *in mensem Oct.* in ante diem XV. Cal. Nov. ad Att. II, 20.

[*ad Bibul.* ad aedes B. tumultuandi causa.]

* *vocem exprimere*, contionis.

§. 12. *res ac tempus.* cf. ep. XXI, 4.

* *Varro mihi satisfacit*, officiis et studiis erga me.

* *aut certe cum summa gloria, aut sine molestia etiam.* Recte *certe* prioribus additur neque quidquam mutandum; nam prius in Cicerone ipso positum erat, alterum non item.

* *cum Sicyoniis*, cf. ep. VII, 3.

semus. Nam Pulchellum nostrum facillime teneremus, aut certe, quid esset facturus, scire possemus. Nunc se res sic habet: volitat, furit, nihil habet certi; multis denuntiat; quod fors obtulerit, id acturus videtur. Quum videt, quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui 2
haec egerunt, impetum facturus videtur; quum autem rursus opes eorum et vim exercitus recordatur, convertit se in nos. Nobis autem ipsis quum vim, tum iudicium minatur. Cum hoc Pompeius egit, et, 3
ut ad me ipse referebat, (alium enim habeo neminem testem) vehementer egit, quum diceret, in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum plebeium fieri passus esset; sed fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. Haec et in 4
eam sententiam quum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse, et affirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. Sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. Quod si non faceret, tamen ei nihil 5
crederemus, atque omnia, sicut facimus, pararemus. Nunc ita nos 6
gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur. Rem publicam nulla ex parte attingimus; in causis atque in illa opera nostra forensi summa industria versamur. Quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus. Domus celebratur, occurritur, renovatur memoria consulatus, studia significantur, in eam spem adducimur, ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda videatur. Nunc 7
mihi et consiliis opus est tuis et amore et fide. Quare advola. Expedita mihi erunt omnia, si te habebo. Multa per Varronem nostrum agi possunt, quae te urgente erunt firmiora; multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quae tibi occulta esse non poterunt; multa etiam — sed absurdum est singula explicare, quum ego requiram te ad omnia. Unum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore 8
explicata, si te videro; sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum. Puto, Pompeium Crasso urgente, si tu aderis,

§. 1. * *Pulchellum nostrum* appellat P. Clodium Pulchrum.

§. 2. * *iudicium*, tulit enim ad populum, ut, qui civem Romanum indicta causa interemisset, ei aqua et igni interdiceretur.

§. 3. * *fidem recepisse*, pro eo, quod saepius dicitur, *in se recepisse*. — *Appium* Claudium Pulchrum, fratrem Clodii.

* *antiquius*, cf. ep. XIII, 52.

§. 4. * *multa contra*, dixisse.

§. 7. * *Varronem nostrum*, cf. ep. XVII, 12.

§. 8. *magistratum*, tribunatum, quem initurus erat Nonis Decembr.

* *Pompeium Crasso urgente*; quoniam futurum est, ut Crassus Pompeium urgeat contra me, intelliget, qua fide Pompeius mecum agat, et Clodiae narrabit, illa tibi, si aderis. Ita fiet, ut, si intelligam, Pompeium bona fide mecum agere, sine molestia sim, Clodii furorem non timeam:

qui per *βοῶπιν* ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia, aut certe sine errore futuros. Precibus nostris et cohortatione non indiges. Quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis.

9 De re publica nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia; mutationis tamen spes nulla. Sed quod facile sentias, taedet ipsum Pompeium vehementerque poenitet. Non prouideo satis, quem exitum futurum putem. Sed certe videntur haec aliquo eruptura.

10 Libros Alexandri, negligentis hominis et non boni poëtae, sed tamen non inutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam; et hominem gravem et pudentem et dignum tua commendatione cognovi.

EPISTOL XIX. (Att. II. 23.)

Scr. Romae mense Sextili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

1 Numquam ante arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. Nam, quum vacui temporis nihil haberem, et quum, recreandae voculae
2 causa, necesse esset mihi ambulare, haec dictavi ambulans. Primum igitur illud te scire volo, Sampsiceramum, nostrum amicum, vehementer sui status poenitere, restituique in eum locum cupere, ex quo decidit, doloremque suum impertire nobis et medicinam interdum aperte quaerere, quam ego posse inveniri nullam puto; deinde omnes illius partis auctores ac socios, nullo adversario, consenescere; consensionem universorum nec voluntatis nec sermonis maiorem unquam
3 fuisse. Nos autem (nam id te scire cupere, certo scio) publicis consiliis nullis intersumus, totosque nos ad forensem operam laboremque contulimus. Ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desideriogue versamur.
4 Sed *βοώπιδος* hostrae consanguineus non mediocres terrores iacit

sin aliter, credulitatis errore non decipiar. MANUT.

βοῶπιν, Clodiam, qua Crassus plurimum utebatur.

§. 10. *Alexandri*, Ephesii, qui cosmographiam versibus scripsit. Strabo XIII. p. 951. Alm. De eodem ad Att. II, 20. „poëta ineptus: nec tamen scit nihil, sed est non inutilis."

* *Numerium Numestium*, amicum Attici; cf. ep. XX, 1. 15.

§. 2. * *sui status poenitere*, coniunctionis cum Caesare et Crasso, cf. ep. XVIII, 9.

* *nullo adversario*, quamquam nemo adversatur.

§. 4. * *βοώπιδος nostrae*, cf. ep. XVI, 10. ep. XVIII, 8.

atque denuntiat, et Sampsiceramo negat, ceteris prae se fert et ostentat. Quamobrem, si me amas tantum, quantum profecto amas, si dormis, expergiscere, si stas, ingredere, si ingrederis, curre, si curris, advola. Credibile non est, quantum ego in consiliis, et prudentia tua, quod maximum est, quantum in amore et fide ponam. Magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat, coniunctio vero 5 nostrorum animorum brevitate contenta est. Permagni nostra interest, te, si comitiis non potueris, at declarato illo esse Romae. Cura, ut valeas.

EPISTOLA XX. (Att. II. 24.)

Scr. Romae mense Sextili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

Quas Numestio litteras dedi, sic te iis evocabam, ut nihil acrius 1 neque incitatius fieri posset. Ad illam *κέλευσιν* adde etiam si quid potes. Ac ne sis perturbatus; novi enim te, et non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius; sed res est, ut spero, non tam exitu molesta, quam aditu. Vettius ille, ille noster index, Cae- 2 sari, ut perspicimus, pollicitus est, sese curaturum, ut in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. Itaque insinuavit in familiaritatem adolescentis et cum eo, ut res indicat, saepe congressus, rem in eum locum deduxit, ut diceret sibi certum esse cum suis servis in Pompeium impetum facere eumque occidere. Hoc Curio 3 ad patrem detulit, ille ad Pompeium. Res delata ad senatum est. Introductus Vettius primo negabat se unquam cum Curione constitisse, neque id sane diu: nam statim fidem publicam postulavit. Reclama- 4 tum est. Tum exposuit, manum fuisse iuventutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset et Q. Caepio hic Brutus et Lentulus, flaminis

Sampsic. negat. vid. ep. XVIII, 4.

§. 5. * *comitiis*, tribuniciis; *declarato illo*, antequam ineat Clodius tribunatum.

§. 2. *Vettius ille noster index*, in coniuratione Catilinae. Dio Cass. 37. p. 48.

* *Curio filius*, qui unus Caesari aperte adversabatur.

ut diceret, Curioni. De re vid. Suet. Caes. 20.

§. 3. *fidem publicam postul.* ut conscios illius facinoris tuto nominare posset: in vincula coniectus postea §. 7. quia mentitus esse videbatur.

§. 4. * *Reclamatum est*, clamore sublato repugnatum; cf. ad Div. I, 2, 2. *Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est; erat enim et iniqua et nova.* Alii legunt *haud reclam. e.*; sed cf. §. 7.

Paullus, L. Aemilius P. tunc in Macedonia quaestor §. 6.

Q. Caepio Brutus, est M. Iunius Brutus, interfector Caesaris, ita dictus, quod a matris Serviliae fratre, Servilio Caepione, adoptatus fuerat.

Lentulus. in Vatin. 10. *L. Lentulum hunc iudicem nostrum, flaminem Martialem, quod erat eo tempore*

filius, conscio patre. Postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi
5 a Bibulo attulisse. Quod totum irrisum est, Vettio pugionem defuisse, nisi
ei consul dedisset; eoque magis id eiectum est, quod a. d. III. Id. Mai.
Bibulus Pompeium fecerat certiorem, ut caveret insidias; in quo ei Pom-
6 peius gratias egerat. Introductus Curio filius dixit ad ea, quae Vettius
dixerat: maximeque in eo tum quidem Vettius est reprehensus, quod dixe-
rat adolescentium consilium, ut in foro [cum] gladiatoribus Gabinii Pom-
peium adorirentur; in eo principem Paullum fuisse, quem constabat eo
7 tempore in Macedonia fuisse. Fit senatus consultum, ut Vettius, quod
confessus esset se cum telo fuisse, in vincula coniiceretur: qui eum
8 emisisset, contra rem publicam esse facturum. Res erat in ea opi-
nione, ut putarent id esse actum, ut Vettius in foro cum pugione
et item servi eius comprehenderentur cum telis, deinde ille se diceret
indicaturum; idque ita actum esset, nisi Curiones rem ante ad Pom-
9 peium detulissent. Tum senatus consultum in contione recitatum est.
Postero autem die Caesar, is, qui olim, praetor quum esset, Q. Catu-
lum ex inferiore loco iusserat dicere, Vettium in Rostra produxit,
eumque in eo loco constituit, quo Bibulo consuli aspirare non liceret.
10 Hic ille omnia, quae voluit, de re publica dixit; et, qui illuc factus
institutusque venisset, primum Caepionem de oratione sua sustulit,
quem in senatu acerrime nominarat, ut appareret noctem et nocturnam deprecationem intercessisse; deinde, quos in senatu ne tenuissima quidem suspicione attigerat, eos nominavit: Lucullum, a quo solitum esse ad se mitti C. Fannium illum, qui in P. Clodium subscripserat, L. Domitium, cuius domum constitutam fuisse, unde eruptio fieret; me non nominavit, sed dixit, consularem disertum, vicinum consulis, sibi dixisse, Ahalam Servilium aliquem aut Brutum opus

Gabinii tui competitor, eiusdem Vettii indicio opprimere voluisti — — huius etiam filium eodem indicio et crimine ad patris interitum aggregare voluisti.

§. 6. * *gladiatoribus*, cf. XVI, 6. — *Gabinii*, qui sequente anno cum L. Calpurnio Pisone consul factus est.

§. 7. * *emisisset*, e vinculis. *se cum telo fuisse*, cf. §. 4.

§. 8. * *Curiones*, pater et filius.

§. 9. * *Caesar*, non ipse, sed per Vatinium.

Q. Catulum, qui consul fuerat a. u. 675. cum M. Aemilio Lepido. Suet. Caes. 15. *Primo praeturae die Q. Catulum de refectione Capitolii* (vid. Cic. Verr. IV, 31,) *ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat.* Non Caesari, sed Vatinio hoc tribuit Cic. in Vatin. 10, ubi, quid Vettius in contione dixerit, narrat.

* *ex inferiore loco iusserat dicere*, Rostra, quia privatus esset, adscendere non passus erat.

* *Bibulo consuli*, cf. ad ep. XVI, 4.

§. 10. *nocturnam deprecationem* Serviliae, matris Bruti, quam Caesar ante alias dilexerat. Suet. Caes. 50.

* *C. Fannium*, cf. ad ep. IX, 7. — *L. Domitium* cf. ad ep. IX, 29.

me non nominavit. in Vatin. 10. extr. *Quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum civium numero seiungendum non putaris?*

Ahalam Servilium, qui magister equitum, L. Quintio Cincinnato dictatore iubente, Sp. Maelium occidit, quod largitionibus frumenti institutis,

esse reperiri. Addidit ad extremum, quum, iam dimissa contione, revo- 11
catus a Vatinio fuisset, se audisse a Curione, his de rebus conscium esse Pisonem generum meum et M. Laterensem. Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vettius de vi, et, quum esset damnatus, erat indicium postulaturus; quod si impetrasset, iudicia fore videbantur. Ea nos, 12
utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. Hominum quidem summa erga nōs studia significabantur, sed prorsus vitae taedet; ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima. Modo caedem timueramus, quam oratio fortissimi senis, Q. Considii, discusserat; ea, quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. Quid quaeris? nihil 13
me infortunatius, nihil fortunatius est Catulo, quum splendore vitae, tum occasus tempore. Nos tamen in his miseriis erecto animo et minime 14
perturbato sumus, honestissimeque dignitatem nostram et magna cura tuemur. Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura et summam in nos benevolentiam omni oratione significat. Te habere consiliorum 15
auctorem, sollicitudinum socium, omni in cogitatione coniunctum, cupio. Quare, ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item, atque eo, si potest, acrius, te rogo, ut plane ad nos advoles. Respiraro, si te videro.

EPISTOLA XXI. (Att. II. 25.)

Scr. Romae mense Sextili A. U. C. 694.

CICERO ATTICO S.

Quum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum 1
scire ex te, me id fecisse; ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio, te ad me rescripsisse, eam rem summae tibi voluptati esse. Sed ego mallem, ad ipsum scripsisses, mihi illum 2

regnum affectasset. Liv. IV, 14. — *Brutum*, qui reges expulit.

§. 11. *revocatus*. v. in Vatin. 11.

* *M. Laterensem* adversarium fuisse Caesaris intelligitur vel ex iis, quae Cicero de eo narrat ad Att. II, 18, 2.

* *reus erat*, quum scribebam.

indicium postul. i. e. postulaturus, ut sibi liceret indicium facere, cuius facinoris ipse conscius esset, impunitate proposita.

iudicia de iis, quorum nomina detulerat. P. autem Crassus praetor erat eo anno et quaestionem inter sicarios exercebat.

§. 12. *Q. Considii*. Plut. Caes. 14. *εἰπόντος δὲ Κονσιδίου τινὸς τῶν σφόδρα γεγόντων, ὡς φοβούμενοι τὰ ὅπλα καὶ τοὺς στρατιώτας οὐ συνέρχοιντο. Τί οὖν, ἔφη ὁ Καῖσαρ, οὐ καὶ σὺ ταῦτα δεδιὼς οἰκουρεῖς; καὶ ὁ Κονσίδιος εἶπεν· ὅτι με ποιεῖ μὴ φοβεῖσθαι τὸ γῆρας.*

§. 13. *occasus tempore*. Mortuus enim erat Afranio et Metello Coss. a. u. 693. Similiter de Hortensio in Brut. c. 1. *Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore, et tum occidit, quum lugere facilius remp. posset, quam iuvare — — illius mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur.*

§. 1. * *nuper me scis scripsisse*, ep. XVII, 12.

satisfacere, non quo faceret, sed ut faceret. Mirabiliter enim moratus est, sicut nosti; ἑλικτὰ καὶ οὐδέν. Nos tenemus praeceptum
3 illud, τὰς τῶν κρατούντων. At hercule alter tuus familiaris, Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret? Sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici. Ei te hoc scribere et me tibi esse missum,
4 sane volo. Sed quid tu scribas? quem iam ego venire atque adesse arbitror. Ita enim egi tecum superioribus litteris. Valde te exspecto, valde desidero, neque ego magis, quam ipsa res et tempus poscit. His de negotiis quid scribam ad te nisi idem, quod saepe? Re publica
5 nihil desperatius, iis, quorum opera, nihil maiore odio. Nos, ut opinio et spes et coniectura nostra fert, firmissima benevolentia hominum muniti sumus. Quare advola. Aut expedies nos omni molestia, aut eris particeps. Ideo sum brevior, quod, ut spero, coram brevi tempore conferre, quae volumus, licebit. Cura, ut valeas.

EPISTOLA XXII. (Ad Div. XIV. 4.)

Scr. Brundisii prid. Kal. Maii A. U. C. 695.

TULLIUS S. D. TERENTIAE ET TULLIAE ET CICERONI SUIS.

1 Ego minus saepe do ad vos litteras, quam possum, propterea quod quum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero, quum aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior lacrimis sic, ut ferre non possim. Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus! certe nihil, aut
2 non multum in vita mali vidissemus. Quodsi nos ad aliquam alicuius commodi aliquando reciperandi spem fortuna reservavit, minus est

§. 2. * *mirabiliter moratus est*, mirabiles sunt eius mores.

ἑλικτὰ καὶ οὐδέν. Versus est ex Euripid. Androm. 449. *ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πᾶν πέριξ φρονοῦντες* de Spartanis. Ex eiusdem Phoeniss. 404. est versus, qui sequitur, *τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών*.

§. 3. *Hortalus* cognomen est Q. Hortensii oratoris. — *de illo tempore All.* de tempore, quo Allobrogum legati Ciceronis cos. iussu a L. Valerio Flacco et C. Pontino praetoribus comprehensi sunt. in Catil. III, 2 sqq. Sallust. Catil. 40 sqq.

* *quorum opera*, factum est, ut nihil esset re publica desperatius.

Ep. XXII. A. u. 695. C. Calpurnio Pisone, A. Gabinio coss. Clodius trib. pl. cum alias leges perniciosas tulit, tum hanc, ut, qui civem Romanum indicta caussa interfecisset, ei aqua et igni interdiceretur. Contra quam legem quum nihil sibi praesidii neque in Pompeio neque in Caesare esse videret Cicero, sponte in exilium abiit mense Martio extremo.

§. 1. * *vitae cupidi fuissemus*, cf. ad Att. III, 3. *Utinam illum diem videam, quum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti!*

§. 2. * *aliquam alicuius — aliquando*, paene desperantis est.

erratum a nobis; sin haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre et in tuo complexu emori, quoniam neque dii, quos tu castissime coluisti, neque homines, quibus ego servivi, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum 3
dies XIII fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum et capitis sui prae mea salute neglexit, neque legis improbissimae poena deductus est, quominus hospitii et amicitiae ius officiumque praestaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus! Habebimus quidem semper. Brundisio profecti sumus prid. Kalendas Maias. Per Mace- 4
doniam Cyzicum petebamus. O me perditum! o afflictum! quid nunc rogem te, ut venias, mulierem aegram et corpore et animo confectam? Non rogem? Sine te igitur sim? Opinor, sic agam: si est 5
spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves; sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac venias. Unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor plane perisse. Sed quid 6
Tulliola mea fiet? Iam id vos videte; mihi deest consilium. Sed certe, quoquo modo se res habebit, illius misellae et matrimonio et famae serviendum est. Quid? Cicero meus quid aget? Iste vero sit in sinu semper et complexu meo. Non queo plura iam scribere; 7
impedit maeror. Tu quid egeris, nescio, utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata, nihil est, quod te moveat. Pri- 8
mum, tuis ita promissum est, te facturam esse, ut quisque esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus, praeterea magnopere nemo. Ceterorum servorum ea causa est, ut, si res a nobis abisset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent; sin ad nos pertineret, servirent, praeterquam oppido pauci. Sed haec minora sunt. Tu 9

§. 3. *M. Laenium Flaccum.* vid. pro Planc. 41. pro Sest. 63. Eundem diligentissime commendat Silio propraet. ad Div. XIII, 63.

legis, Clodiae, qua sanctum erat, ne intra CCCC millia passuum (ad Att. III, 4.) ab Italia Ciceronem quisquam tecto exciperet. Hinc pro Planc. 41. *cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, haec perpeti maluit, quam* etc.

§. 4. * *profecti sumus,* ex more, quem Romani in epistolis scribendis servabant, haec tanquam gesta narrat, respiciens ad tempus, quo litteras accepturi sint; nam Brundisii scripta est haec epistola.

* *Cyzicum,* insulam Propontidis cum urbe cognomine. Caeterum Cicero Cyzicum non pervenit, sed Thessalonicae in Macedonia apud Plancium remansit.

§. 6. * *Tulliola mea fiet,* cf. ad Div. XIV, 1. *quid puero misero fiet?*

matrimonio cum C. Calpurnio Pisone.

§. 7. * *utrum aliquid teneas,* rei familiaris.

* *familia liberata,* servis manumissis.

§. 8. * *tuis,* servis. *Orpheus,* servus Ciceronis.

si res a nobis abisset, si lege Clodia bonis omnibus privati essemus, *si obtinere potuissent,* si potuissent defendere libertatem a nobis datam, ne ea adimeretur, quod a nobis in fraudem legis liberati dicerentur. *sin pertineret* sc. res familiaris nostra.

quod me hortaris, ut animo sim magno, et spem habeam reciperandae salutis, id velim sit eiusmodi, ut recte sperare possimus. Nunc, miser, quando tuas iam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas
10 ego exspectassem Brundisii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem praetermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes honestissime. Viximus, floruimus. Non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. Peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos vivere, cetera, quamquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum.
11 Clodium Philhetaerum, quod valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Sallustius officio vincit omnes. Pescennius est perbenevolus nobis: quem semper spero tui fore observantem.
12 Sicca dixerat se mecum fore; sed Brundisio discessit. Cura, quoad potes, ut valeas, et sic existimes, me vehementius tua miseria, quam mea, commoveri. Mea Terentia, fidissima atque optima uxor, et mea carissima filiola, et spes reliqua nostra, Cicero, valete. Pridie Kalendas Maias Brundisio.

EPISTOLA XXIII. (Att. III. 9.)

Scr. Thessalonicae Id. Iun. A. U. C. 695.

CICERO ATTICO S.

1 Quintus frater quum ex Asia discessisset ante Kal. Mai. et Athenas venisset Idib., valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis
2 non esset. Itaque eum malui properare Romam, quam ad me venire, et simul (dicam enim, quod verum est, ex quo magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, ut aut illum, amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in maerore adspicerem, aut meas miserias, luctu afflictas, et perditam fortunam
3 illi offerrem aut ab illo adspici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profecto accidisset, ne a me digredi non posset; versabatur mihi tempus illud ante oculos, quum ille aut lictores dimitteret, aut vi avelleretur ex complexu meo. Huius acerbitatis eventum altera acerbitate non videndi fratris vitavi. In hunc me casum vos, vivendi auctores,

§. 11. * *Sallustius*, cf. ep. II, 1. *Sicca*, cuius in fundo Vibonensi fuerat. ad Att. III, 2 et 4.

§. 1. *ne quid — acciperet calam.* ne accusaretur, quod significat ad Att. III, 8.

§. 3. * *lictores*, quos praetor ex provincia decedens non ante dimittere solebat, quam ad urbem pervenisset.

* *vivendi auctores*, cf. ad Att. III, 3. *Utinam illum diem videam, quum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti!*

impulistis. Itaque mei peccati luo poenas. Quamquam me tuae lit- 4
terae sustentant; ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio.
Quae quidem tamen aliquid habebant solatii ante, quam eo venisti a
Pompeio: „Nunc Hortensium allice et ciusmodi viros.“ Obsecro, mi 5
Pomponi, nondum perspicis, quorum opera, quorum insidiis, quorum
scelere perierimus? sed tecum haec coram agemus. Tantum dico,
quod scire te puto: nos non inimici, sed invidi perdiderunt. Nunc, 6
si ista sunt, quae speras, sustinebimus nos, et spe, qua iubes,
nitemur; sin, ut mihi videntur, infirma sunt; quod optimo tem-
pore facere non licuit, minus idoneo fiet. Terentia tibi saepe agit 7
gratias. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri nego-
tium, quod, si sciam, cuiusmodi sit, sciam, quid agendum mihi
sit. Me etiamnunc istorum beneficiorum et litterarum exspectatio, ut
tibi placet, Thessalonicae tenet. Si quid erit novi allatum, sciam de 8
reliquo quid agendum sit. Tu si, ut scribis, Kal. Iun. Roma pro-
fectus es, propediem nos videbis. Litteras, quas ad Pompeium scripsi,
tibi misi. Dat. Id. Iun. Thessalonicae.

EPISTOLA XXIV. (Ad Q. Fr. I. 3.)

Scr. Thessalonicae Id. Iun. A. U. C. 695.

MARCUS Q. FRATRI S.

Mi frater, mi frater, mi frater, tune id veritus es, ne ego 1
iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim? aut
etiam ne te videre noluerim? Ego tibi irascerer? tibi ego possem
irasci? Scilicet, tu enim me afflixisti; tui me inimici, tua me invi-
dia, ac non ego te misere perdidi. Meus ille laudatus consulatus 2
mihi te, liberos, patriam, fortunas, tibi velim ne quid eripuerit,
praeter unum me. Sed certe a te mihi omnia semper honesta et
iucunda ceciderunt; a me tibi luctus meae calamitatis, metus tuae,
desiderium, maeror, solitudo. Ego te videre noluerim? Immo vero 3
me a te videri nolui: non enim vidisses fratrem tuum, non eum,
quem reliqueras, non eum, quem noras, non eum, quem flens flen-

§. 4. * *quantum tu speres*, minimum spei tibi esse relictum.

a Pompeio, ab iis, quae de Pompeio scripsisti.

* *Hortensium*, cf. ep. VII, 7. ep. XXIV, 20. ep. XXI, 3.

§. 6. *optimo tempore*, quum pugnans adversus Clodium gloriose potuissem occumbere. ad Att. III, 7. *Hoc affirmo, nemini mortem magis optandam fuisse; cuius oppetendae tempus honestissimum praetermissum est.* cf. ep. XXIV, 16.

§. 7. * *hgit gratias*, litteris ad me missis.

* *negotium*, ne crimine provinciae male administratae accusetur.

* *beneficiorum et litterarum*, beneficiorum, quae tuae litterae mihi nuntient; cf. ep. XXVI, 2.

[Ep. XXIV, §. 1. *videre* de provincia decedentem. *Man.*]

tem, prosequentem proficiscens dimiseras, ne vestigium quidem eius, nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. 4 Atque utinam mē mortuum prius vidisses, aut audisses! utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem! Sed testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse 5 dicebant. Quare peccavi sceleratequeque feci. Nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet. Nunc commisi, ut me vivo careres, vivo me aliis indigeres, mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quae saepe alienissimis 6 praesidio fuisset. Nam quod ad te pueri sine litteris venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiam in causa, certe pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrimarum et dolorum. Haec ipsa me quo fletu 7 putas scripsisse? Eodem, quo te legere certo scio. An ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut unquam sine lacrimis cogitare? Quum enim te desidero, fratrem solum desidero? Ego vero suavitate prope aequalem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine 8 te unquam, aut tibi sine me iucundum fuit? Quid quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei? Quid filium venustissimum, mihique dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo, sapientiorem puerum quam vellem: sentiebat enim miser iam, quid 9 ageretur. Quid vero tuum filium, imaginem tuam, quem meus Cicero et amabat, ut fratrem, et iam, ut maiorem fratrem, verebatur? Quid quod mulierem miserrimam, fidelissimam coniugem, me prosequi non sum passus, ut esset quae reliquias communis calami- 10 tatis, communes liberos tueretur? Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi, et dedi litteras ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse; in quibus idem te hortor et rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas et pro- 11 peres. Primum enim te praesidio esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimui; digressum vero non tulissem;

[§. 3. *proficiscens* in Asiam. Ad rem cf. ep. XXIII, 2.]

§. 4. * *non solum vitae, sed etiam dignitatis,* utinam vitam simul cum dignitate abiecissem!

§. 5. * *aliis indigeres,* qui te reum defenderent.

* *alienissimis*, ut Vatinio cf. ep. XLI, 54 sqq. Ipsum etiam Catilinam, consulatus competitorem et adversarium, defendere cogitaverat Cicero, cf. ad Att. I, 2.

§. 8. * *filium*, qui septimum aetatis annum tunc agebat, cf. ad Att. I, 2.

[*quam vellem*, quia malebat pater filium non intelligere magnitudinem mali, ut minus doleret. *Ern.*]

§. 9. * *reliquias comm. calam.*, bona, quae ex communi calam. nobis relicta sunt.

§. 11. * *te praesidio esse volui*, volui te Romae esse, ut tibi ipse posses praesidio esse, si quis te accusaret. SCHUETZ.

* *satiata*, cf. ep. XXIII, 1.

atque etiam id ipsum, quod tu scribis, metuebam, ne a me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quod te 12
non vidi, quo nihil amantissimis et coniunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere potuisse, minus acerbum, minus miserum fuit, quam fuisset quum congressio, tum vero digressio nostra. Nunc, 13
si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi et integritatem tuam et amorem in te civitatis et aliquid etiam misericordiam nostri praesidii laturam. Sin 14
eris ab isto periculo vacuus: ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. De quo scribunt ad me quidem multi multa, et se sperare demonstrant; sed ego, quid sperem, non dispicio, quum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint, qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed ista qualia sint, tu velim perspicias mihique de- 15
clares. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, vivam. Diutius in hac vita esse non possum. Neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. ✗ Scio fuisse et honestius moriendi tempus 16
et utilius; sed non hoc solum, multa alia praetermisi, quae si queri velim praeterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, 17
me diutius, quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari, ut, qui modo fratre fuerim, liberis, coniuge, copiis, genere ipso pecuniae beatissimus, dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui unquam fuerunt amplissimi, is nunc in hac tam afflicta perditaque fortuna neque me neque meos lugere diutius possim. Quare quid ad me 18
scripsisti de permutatione? quasi vero nunc me non tuae facultates sustineant. Qua in re ipsa video miser et sentio, quid sceleris admiserim, quum de visceribus tuis et filii tui satisfacturus sis, quibus

[§. 13. *si — auctoritatis*, si modo quid apud te valet hoc, quod me sperare vides. *Man.* In sqq. *misericordiam nostri* iungenda, *praesidii* autem ex *aliquid* pendet.]

[§. 14. *ab isto periculo*, quod ad te attinet. Timebat videlicet, ne quis ei, in urbem reverso, diem diceret ob provinciam avare administratam. ad Att. III, (9. 11. 13 etc.) *Man.*]

* *amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint*, cf. ep. XXVI, 1.

§. 15. * *quamdiu tibi opus erit*, potuit enim Cicero vel exsul oratione scripta fratrem, si in iudicium vocatus esset, defendere.

[§. 17. *genere ipso pecuniae* dicit, quod copias suas non malis artibus compararat, sed parsimonia et hereditatibus, quae ei a viris bonis venerant benevolentiae causa et honoris. *Ern.*]

§. 18. *de permutatione*, de pecunia permutatione sumta. * Sumenda potius. Videntur enim verba quae sequuntur ostendere, Quintum Ciceroni scripsisse, ut Thessalonicae pecuniam mutuam sumeret, quam Quintus permutatione facta Romae solveret.

debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissi-
19 parim. Sed tamen et M. Antonio, quantum tu scripseras, et Caepioni tantumdem solutum est; mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, satis est. Sive enim restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus
20 est. Tu, si forte quid erit molestiae, te ad Crassum et ad Calidium conferas, censeo. Quantum Hortensio credendum sit, nescio. Me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adiuncto quoque Arrio; quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem
21 incidi. Sed haec occultabis, ne quid obsint. Illud caveto, et eo puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, quum aedilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo, quam ne, quum intelligant homines, quantum misericordiae nobis tuae preces et tua salus allatura sit, oppugnent te vehementius. Messalam
22 tui studiosum esse arbitror; Pompeium etiam simulatorem puto. Sed haec utinam non experiare! quod precarer deos, nisi meas preces audire desissent. Verumtamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint; in quibus non modo tamen nullius inest peccati infamia, sed omnis dolor est, quod optime factis poena maxima est
23 constituta. Filiam meam et tuam Ciceronemque nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem? quin illud maereo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas afferet, quam mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur potestasque in patria moriendi, ut me lacrimae non sinunt scribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idibus Iuniis, Thessalonicae.

[*ex aerario*, quae ei ex aerario debebatur, ut praetori Asiae decreta a senatu. *Ern.*]

* *frustra*, non enim quod voluerat assecutus erat, ut salutem suam largitionibus firmaret.

§. 19. * *nihil amplius opus erit*, restituto, quod suis rebus uti poterit, desperato, quod mori mavult.

§. 20. *ad Crassum et ad Calidium*, oratores, qui causam tuam defendant. *Crassus* est triumvir qui postea a Parthis caesus; *Calidius* praetor anno proximo de reditu Ciceronis legem tulit; de eius oratoriis virtutibus Brut. 79 sq.

* *Arrio*, cf. ad ep. X, 23.

§. 21. *qui in te erat collatus*, tibi tanquam auctori adscriptus. Sic, laudante Schützio, pro Planc. 14. *permulta in Plancium, quae ab eo numquam dicta sunt, conferuntur.* Ibid. *stomachor, quum aliorum non me digna in me conferuntur.* cf. ad Div. VII, 32. supr. ep. VI, 3. Historia ipsa ignoratur, [sicut lex Aurelia, quae tamen de ambitu fuisse videtur Manut. et Ern. Probabile autem est, illo versu aliquem potentiorem irrisum esse.]

§. 22. *Messalam*, de quo ep. VII, 9. 15. VIII, 5. 16.

* *Optime factis*, coniurationi Catilinariae oppressae; exsul enim erat Cicero, quod coniuratos indicta causa occidisset.

§. 23. * *Filiam meam et tuam*, unam dicit Tulliam, additis verbis *et tuam* indicans, Tulliam a Quinto quoque velut a patre amari. Similiter ep. CXIV, 13. *Servius tuus*,

EPISTOLA XXV. (Att. III. 13.)

Scr. Thessalonicae Non. Sext. A. U. C. 695.

CICERO ATTICO S.

Quod ad te scripseram, me in Epiro futurum, postea quam 1
extenuari spem nostram et evanescere vidi, mutavi consilium, nec me
Thessalonica commovi, ubi esse statueram, quoad aliquid ad me de
eo scriberes, quod proximis litteris scripseras, fore, uti secundum
comitia aliquid de nobis in senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse.
Qua de re, quoniam comitia habita sunt tuque nihil ad me scribis, 2
proinde habebo, ac si scripsisses nihil esse, neque, me temporis non
longinqui spe ductum esse, moleste feram. Quem autem motum te 3
videre scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui
veniunt, nullum fore. In tribunis plebis designatis reliqua spes est;
quam si exspectaro, non erit, quod putes me causae meae ac voluntati
meorum defuisse. Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam 4
graviter feram, debes ignoscere, quum ita me afflictum videas, ut nemi-
nem unquam nec videris nec audieris. Nam quod scribis te audire, me 5
etiam mentis errore ex dolore affici; mihi vero mens integra est; atque
utinam tam in periculo fuisset, quum ego iis, quibus meam salutem
carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum,
qui, ut me paullum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni
suo scelere et perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam 6
est Cyzicum nobis eundum, quo rarius ad me litterae perferentur, hoc
velim diligentius omnia, quae putaris me scire opus esse, perscribas.
Quintum fratrem meum fac diligas; quem ego miser si incolumem
relinquo, non me totum perisse arbitrabor. Dat. Non. Sext.

EPISTOLA XXVI. (Ad Q. Fr. I. 4.)

Scr. Thessalonicae mense Sextili A. U. C. 695.

MARCUS Q. FRATRI S.

Amabo te, mi frater, ne, si uno meo facto et tu et omnes 1
mei corruistis, improbitati et sceleri meo potius, quam imprudentiae

vel potius noster. ep. XLI, 73. *Lentuli tui nostrique.*

§. 1. * *scripseram,* ad Att. III, 10, 1. *aut ibidem opperiar, aut me ad te conferam.* Nam Atticus scripserat Ciceroni, se Kal. Iun. Roma in Epirum esse profecturum, ad Att. III, 9.

* *secundum comitia,* post com. consularia.

§. 3. * *motum,* cf. ad Att. III, 8, 3. *Motum in re publica non tantum impendere video, quantum tu aut vides aut ad me consolandum affers.* ad Att. III, 10, 1. ep. XXVI, 2.

* *tribunis plebis,* cf. ep. XXVI, 3. — *exspectaro,* Thessalonicae.

§. 6. * *rarius ad me litterae perferentur,* quia longius abest Roma.

* Ep. XXVI, §. 1. *Amabo te,* formula amice rogantis, plerumque iungitur cum imperativo.

miseriaeque assignes. Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar. Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit aut mihi invidit; ita mihi nihil misero
2 praeter fidem amicorum cautum; meum consilium defuit. Quodsi te satis innocentia tua et misericordia hominum vindicat hoc tempore a molestia, perspicis profecto, ecquaenam nobis spes salutis relinquatur. Nam me Pomponius et Sestius et Piso noster adhuc Thessalonicae retinuerunt, quum longius discedere propter nescio quos motus vetarent; verum ego magis exitum illorum litteris, quam spe certa exspectabam. Nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione
3 obtrectatorum, infidelibus amicis, plurimis invidis? De novis autem tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sestius et, spero, Curius, Milo, Fadius, Fabricius, sed valde adversante Clodio, qui etiam privatus eadem manu poterit contiones concitare; deinde etiam
4 intercessor parabitur. Haec mihi proficiscenti non proponebantur; sed saepe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. Quid tu igitur? inquies. Quid? Multa convenerunt, quae mentem exturbarent meam: subita defectio Pompeii, alienatio consulum, etiam praetorum, timor publicanorum, arma. Lacrimae meorum me ad mortem ire prohibuerunt; quod certe et ad honestatem et ad effugiendos intole-
5 rabiles dolores fuit aptissimum. Sed de hoc scripsi ad te in ea epistola, quam Phaëthonti dedi. Nunc tu, quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo unquam, si levare potest communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris; sin plane occidimus; (me miserum!) ego omnibus meis
6 exitio fuero, quibus ante dedecori non eram. Sed tu, ut ante ad te scripsi, perspice rem et pertenta, et ad me, ut tempora nostra,

* *nihil praeter fidem amicorum cautum*, satis provisum putavi saluti meae fide amicorum; *meum consilium defuit*, imprudens feci, quod me simul et vos omnes perdidi.

§. 2. *Sestius*, trib. pl. designatus, pro quo exstat Ciceronis oratio. *Piso*, gener Ciceronis.

motus. cf. XXV, 3.

§. 3. * M' *Curius* qui quaestor urbanus Silano et Murena coss. fuerat. Exstat Ciceronis epistola ad eum scripta, ad Div. XIII, 49.

T. Annius *Milo*, quem Cicero postea accusatum de vi, quod Clodium occiderat, frustra defendit.

T. *Fadius* quaestor fuerat Ciceronе cons. Epist. ad eum scripta legitur ad Div. V, 18. Cf. ep. XXIX, 12.

Q. *Fabricius*, princeps rogationis de Cicerone revocando, p. Sest. 35.

* *eadem manu*, hominum perditorum, qua trib. pl. usus erat. *intercessor*, trib. pl. qui intercedat legi de Cicerone revocando.

§. 4. *consulum*, Pisonis et Gabinii.

§. 5. * *Phaëthonti*, liberto Quinti, cf. ad Att. III, 8, 2.

* *quantum*, repetenda ex superioribus praepositio *in*; sic saepe praepositio relativo non additur, quando cum demonstrativo praecedit; cf. ep. XXVIII, 3. *in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum*; ep. CIX, 10. *res publica ab iis ipsis, quibus tenetur, impetrabit.*

non ut amor tuus fert, vere perscribe. Ego vitam, quoad putabo tua interesse aut ad spem servandam esse, retinebo. Tu nobis amicissimum Sestium cognosces; credo tua causa velle Lentulum, qui erit consul. Quamquam sunt facta verbis difficiliora. Tu et quid 7
opus sit et quid sit, videbis omnino. Si tuam solitudinem communemque calamitatem nemo despexerit, aut per te aliquid confici, aut nullo modo poterit; sin te quoque inimici vexare coeperint, ne cessaris. Non enim gladiis tecum sed litibus agetur. Verum haec absint velim. Te oro, ut ad me de omnibus rebus scribas, et in me animi 8
potius aut consilii minus putes esse, quam antea, amoris vero et officii non minus.

EPISTOLA XXVII. (Att. III. 15.)

Data Thessalonicae XIV. Kal. Sept. A. U. C. 695.

CICERO ATTICO S.

Accepi Id. Sext. quattuor epistolas a te missas; unam, qua me 1
obiurgas, ut sim firmior, alteram, qua Crassi libertum ais tibi de mea sollicitudine macieque narrasse, tertiam, qua demonstras acta in senatu, quartam de eo, quod a Varrone scribis tibi esse confirmatum de voluntate Pompeii. Ad primam tibi hoc scribo: me ita 2
dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firma mente ubi utar et quibuscum, non habere. Nam si tu me uno non sine maerore cares, quid me censes, qui et te et omnibus? et si tu incolumis me requiris, ecquo modo a me ipsam incolumitatem desiderari putas? nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. Hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum 3
quemquam, neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modo non levat luctum hunc, sed etiam auget: nam ceteri dolores mitigantur vetustate, hic non potest non et sensu praesentis miseriae et recordatione praeteritae vitae quotidie augeri. Desidero enim non mea solum neque meos, sed me ipsum. Quid enim sum? Sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus saepius manus afferam. Nam quod purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, 4
et in eis Catonem; ego vero tantum illum puto ab isto scelere ab-

§. 6. * *tua causa velle*, cf. ep. LVIII, 1. LXIII, 9.

§. 7. * *ne cessaris*, ne sis languidior, sed strenue resistas. MAN.

§. 3. * *me ipsum*, cf. ep. XXIV, 3. — *meis vulneribus manus afferam*, ut supra: *ne scindam dolorem meum.*

§. 4. * *scripsi invidisse*, cf. ep. XXIII, 5. *Nos non inimici, sed invidi perdiderunt.* — *aliorum*, Hortensii et Arrii, cf. ep. XXIV, 20.

fuisse, ut maxime doleam, plus apud me simulationem aliorum, quam istius fidem, valuisse. Ceteros quod purgas, debent mihi purgati esse,
5 tibi si sunt. Sed haec sero agimus. Crassi libertum nihil puto sincere locutum. In senatu rem probe scribis actam. Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quae unde sit prolata, nescio. Sed Axius, eiusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem. At potest ille aliquid praetermittere; tu, nisi quod erat, profecto non scripsisti. Varronis sermo facit exspectationem Caesaris; atque utinam ipse Varro incumbat in causam! quod profecto quum sua
6 sponte, tum te instante faciet. Ego, si me aliquando vestri et patriae compotem fortuna fecerit, certe efficiam, ut maxime laetere unus ex omnibus amicis, meaque officia et studia, quae parum antea luxerunt, (fatendum est enim) sic exsequar, ut me aeque tibi ac fratri et
7 liberis nostris restitutum putes. Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignosce: in me enim ipsum peccavi vehementius. Neque haec eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam; sed profecto, si, quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, nunquam esses passus me, quo tu abundabas, egere consilio, nec esses passus mihi persuaderi, utile
8 nobis esse legem de collegiis perferri. Sed tu tantum lacrimas praebuisti dolori meo, quod erat amoris, tamquam ipse ego; quod meritis meis perfectum esse potuit, ut dies et noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, non tuo scelere praetermissum est.

§. 5. *illam orationem*, in Clodium et Curionem. Quint. III, 7, 2. *et editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri vituperationem continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiae.* cf. id. V, 10, 92. Cic. ad Att. III, 12. *Scripsi equidem olim iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam manaturam putarem. Quo modo exciderit, nescio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, et quia scripta mihi videtur negligentius, quam ceterae, puto posse probari, non esse meam.* Curio intelligendus esse videtur pater: sed cf. Spald. ad Quint. III, 7, 2.

* *Axius*, senator, amicus Ciceronis, ad Att. IV, 15, 5. — *facit exspectationem Caesaris*, facit, ut sperem Caesarem quoque aliquid pro me facturum.

[§. 7. *ac potius*, sed potius. de orat. II, 18, 74. *nos, qui nunquam sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus.* Vid. Heusing. ad Cic. Off. III, 6, 16.]

de collegiis, sodalitatibus plebis, in quas ea descripta erat ex instituto Numae. pro Sextio 15, 34. *Iisdem consulibus inspectantibus servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.* Lata est autem lex de collegiis restituendis novisque instituendis a Clodio, quam passus est Cicero perferri, sperans, eum nihil contra se moliturum esse. cf. Dio Cass. 38, 15.

§. 8. * *meritis meis*, quae in te conferre debueram; nam parum antea officia mea et studia luxerant, §. 6.

Quodsi non modo tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeii minus 9
liberali responso perterritum a turpissimo consilio revocaret, quod unus
tu facere maxime potuisti; aut occubuissem honeste, aut victores
hodie viveremus. Hic mihi ignosces: me enim ipsum multo magis 10
accuso, deinde te, quasi me alterum, et simul meae culpae socium
quaero; ac si restituor, etiam mihi minus videbimur deliquisse, abs
teque certe, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur.
Quod te cum Culeone scribis de privilegio locutum, est aliquid; sed 11
multo est melius abrogari. Si enim nemo impediet, quid est firmius?
sin erit, qui ferri non sinat; idem senatus consulto intercedet. Nec
quicquam aliud opus est abrogari: nam prior lex nos nihil laedebat.
Quam si, ut erat promulgata, laudare voluissemus, aut, ut erat
negligenda, negligere, nocere omnino nobis non potuisset. Hic mihi 12
primum meum consilium non solum defuit, sed etiam obfuit. Caeci,
caeci, inquam, fuimus, in vestitu mutando, in populo rogando;
quod, nisi nominatim mecum agi coeptum esset, fieri perniciosum
fuit. Sed pergo praeterita; verumtamen ob hanc causam, ut, si quid 13
agetur, legem illam, in qua popularia multa sunt, ne tangatis.
Verum est stultum, me praecipere, quid agatis aut quo modo. Uti- 14
nam modo agatur aliquid! in quo ipso multa occultant tuae litterae,
credo, ne vehementius desperatione perturber. Quid enim vides agi
posse, aut quo modo? Per senatumne? Ast tute scripsisti ad me,
quoddam caput legis Clodium in curiae poste fixisse, ne referri neve
dici liceret. Quo modo igitur Domitius se dixit relaturum? quo modo 15
autem iis, quos tu scribis, et de re dicentibus et, ut referretur,

§. 9. *minus liberali responso*, nempe se contra Caesaris voluntatem nihil facere posse, (ad Att. X, 4.) nec contra armatum trib. pl. sine consilio publico decertare velle, consulibus ex SC. remp. defendentibus, se arma sumturum (in Pis. 31).

* *turpissimo consilio*, urbem relinquendi sine certamine.

§. 11. *Culeone*, amico Pompeii.

de privilegio, legem Clodii de Cicerone non esse legem, sed privilegium, quod leges XII tab. fieri vetabant. Sext. 30, 65.

* *abrogari*, legem Clodii de Ciceronis exsilio, quod cives indicta causa occidisset.

impediet, rogationem de Clodii lege in Ciceronem abroganda.

prior lex, in qua universe, non nominatim, Clodius tulerat de iis, qui civem indicta causa occidissent.

§. 12. * *in vestitu mutando, in populo rogando*. pr. Sestio c. 11. *Vos, equites Romani et omnes boni, veste mutata vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis, quum vestris precibus a latrone illo repudiatis, — L. Mummius ad senatum de republica retulit, senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit.*

[§. 13. *Pergo praeter.* commemorare ac reprehendere. *Legem illam* priorem.]

[§. 14. ad Att. III, 12. *caput rogationis proponi scribis, quare in senatu dici nihil liceat.*] * Erat hoc caput legis, quae nominatim in Ciceronem scripta erat.

§. 15. * *Domitius*, Ahenobarbus, cf. ep. IX, 29., *dixit se relaturum*, si consul factus esset; sed quum se etiam Iulias leges oppugnaturum profiteretur, tribus demum annis post designatus est.

postulantibus, Clodius tacuit? Ac, si per populum, poteritne, nisi de omnium tribunorum plebis sententia? Quid de bonis? quid de domo? poteritne restitui? Aut, si non poterit, egomet quo modo potero? Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? Sin autem spei
16 nihil est, quae est mihi vita? Itaque exspecto Thessalonicae acta Kal. Sext., ex quibus statuam, in tuosne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim, et te, ut scribis, videam, et propius sim, si quid agatur, idque intellexi quum tibi, tum Quinto fratri placere,
17 an abeam Cyzicum. Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam, quod aut in me ipso satis esse consilii decreras, aut te nihil plus mihi debere, quam ut praesto esses, quoniamque ego proditus, inductus, coniectus in fraudem omnia mea praesidia neglexi, totam Italiam iam erectam ad me defendendum destitui et reliqui, me, meos meis tradidi inimicis, inspectante et tacente te, qui si non plus ingenio valebas, quam ego, certe timebas minus; si potes, erige afflictos et in eo nos iuva; sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus, et nos aliquando aut obiurgare
18 aut comiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem; meam amentiam accuso, quod a te tantum amari, quantum ego vellem, putavi; quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses, me certe ad exitium praecipitantem retinuisses, istos labores, quos nunc in naufragiis nostris
19 suscipis, non subisses. Quare fac, ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas, meque, ut facis, velis esse aliquem, quoniam, qui fui et qui esse potui, iam esse non possum, et ut his litteris non te, sed me ipsum a me esse accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine litteras dari, velim conscribas, curesque dandas. Dat. XIV. Kal. Sept.

EPISTOLA XXVIII. (Att. III. 19.)

Scr. Thessalonicae d. XVI. Kal. Oct. A. U. C. 695.

CICERO ATTICO S.

1 Quoad eiusmodi mihi litterae a vobis afferebantur, ut aliquid ex

§. 15. * *de bonis*, de re familiari Ciceroni lege Clodii ademta; *de domo*, diruta.

§. 16. * *in tuosne agros*, Buthrotum in Epiro.

§. 17. * *totam iam Italiam erectam ad m. def.*, pr. Sext. 14. *Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium —, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute.*

§. 18. * *a te tantum amari — putavi*, omisso accus. subi. *me*. Sic ep. LXV, 5. *Significabant litterae tuae, subdubitare, qua essem erga illum voluntate.* ep. CIX, 11. *Omnes vias persequar, quibus putabo ad id quod volumus pervenire posse.* Cf. etiam ep. XXVIII, 4.

§. 19. * *esse aliquem*, non amplius *quandam effigiem spirantis mortui*, ep. XXIV, 3.

iis esset exspectandum, spe et cupiditate Thessalonicae retentus sum; postea quam omnis actio huius anni confecta nobis videbatur, in Asiam ire nolui, quod et celebritas mihi odio est et, si fieret aliquid a novis magistratibus, abesse longe nolebam. Itaque in Epirum ad te 2
statui me conferre; non quo mea interesset loci natura, qui, lucem omnino fugerem, sed et ad salutem libentissime ex tuo portu proficiscar et, si ea praecisa erit, nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo vel, quod multo est melius, abiecero. Ero cum paucis, multitudinem dimittam. Me tuae litterae nunquam in tantam 3
spem adduxerunt, quantam aliorum. Attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quam tuae litterae. Sed tamen, quoniam coeptum est agi, quoquo modo coeptum est et quacunque de causa, non deseram neque optimi atque unici fratris miseras ac luctuosas preces, nec Sestii ceterorumque promissa, nec spem aerumnosissimae mulieris Terentiae, nec miserrimae Tulliolae obsecrationem et fideles litteras tuas. Mihi Epirus aut iter ad salutem dabit, aut quod scripsi supra. Te oro et obsecro, T. Pomponi, si me omnibus amplissimis, caris- 4
simis iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatum, si me a meis consiliariis proditum et proiectum vides, si intelligis me coactum, ut ipse me et meos perderem, ut me tua misericordia iuves et Quintum fratrem, qui potest esse salvus, sustentes, Terentiam liberosque meos tueare, me, si putas te istic visurum, exspectes, si minus, invisas; si potes, mihique ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest, et pueros ad me cum litteris quam primum et quam saepissime mittas. Dat. XVI. Kal. Octobr.

EPISTOLA XXIX. (Att. III. 23.)

Data Dyrrhachii prid. Kal. Dec. A. U. C. 695.

CICERO ATTICO S.

A. d. v. Kal. Decemb. tris epistolas a te accepi, unam datam 1
a. d. VIII. Kal. Novembr. in qua me hortaris, ut forti animo mensem Ianuarium exspectem, eaque, quae ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metelli voluntate, de tota Pompeii ratione, perscribis. In altera epistola, praeter consuetudinem tuam, diem non adscribis; 2

§. 1. * *celebritas*, cf. ep. XIII, 18. §. 2. * *loci natura*, insolita ratione subiectum refertur ad *interesset*. §. 3. * *in tantam spem adduxerunt, quantam*, cf. ad ep. XXVI, 5. — *Sestii ceterorumque*, tribunorum pl., *promissa* cf. ep. XXVI, 2. 3. — *quod scripsi supra*, §. 2. *hanc miserrimam vitam abiecero*. §. 4. *coactum ut*. Sic pro Mil. 26, 71. et cf. ad or. Catil. IV, 3, 5.] * *istic*, Romae. — *putas, te istic visurum*, cf. ep. XXVII, 18.

Ep. XXIX. §. 1. * *mensem Ianuarium*, quo novi consules, P. Cornelius Lentulus Spinther et Q. Caecilius Metellus Nepos magistratum erant inituri.

sed satis significas tempus. Lege enim ab octo tribunis plebis promulgata, scribis te eas litteras eo ipso die dedisse, id est, a. d. IIII. Kal. Novembr. et, quid putes utilitatis eam promulgationem attu-
3 lisse, scribis. In quo si iam haec nostra salus cum hac lege desperata erit, velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quam ineptam, putes; sin est aliquid spei, des operam, ut maiore diligentia posthac a novis magistratibus defenda-
4 mur. Nam ea veterum tribunorum plebis rogatio tria capita habuit; unum de reditu meo, scriptum incaute: nihil enim restituitur, praeter civitatem et ordinem; quod mihi pro meo casu satis est, sed, quae
5 cavenda fuerint et quo modo, te non fugit. Alterum caput est tralaticium de impunitate, si quid contra alias leges eius legis ergo factum sit. Tertium caput, mi Pomponi, quo consilio et a quo sit inculcatum, vide: scis enim Clodium sanxisse, ut vix aut omnino non posset nec per senatum, nec per populum infirmari sua lex.
6 Sed vides, nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quae abrogarentur. Nam si id esset, nulla fere abrogari posset: neque enim ulla est, quae non ipsa se saepiat difficultate abrogationis; sed, quum lex abrogatur, illud ipsum abrogatur, quo non eam abrogari
7 oporteat. Hoc quum et re vera ita sit, et quum semper ita habitum observatumque sit, octo nostri tribuni plebis caput posuerunt hoc: SI QUID IN HAC ROGATIONE SCRIPTUM EST, QUOD PER LEGES PLEBISVE SCITA (hoc est, quod per legem Clodiam) PROMULGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE S. F. SUA NON LICEAT, NON LICUERIT; QUODVE EI QUI PROMULGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT, OB EAM REM
8 POENAE MULTAEVE SIT, E. H. L. N. R. Atque hoc in illis tribunis plebis non laedebat: lege enim collegii sui non tenebantur; quo maior est suspicio malitiae alicuius, quum id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserunt, ut novi tribuni plebis, si
9 essent timidiores, multo magis sibi eo capite utendum putarent. Neque id a Clodio praetermissum est. Dixit enim in contione a. d. III. Non. Nov. hoc capite designatis tribunis plebis praescriptum esse, quid liceret; tamen in lege nulla esse eiusmodi caput, te non fallit. Quod
10 si opus esset, omnes in abrogando uterentur. Ut Ninnium aut ceteros

§. 2. * *lege*, de qua infra accuratius.

[§. 4. *quae cavenda fuer.* ut de domo et de bonis.]

§. 5. * *tralaticium*, ex prioribus legibus translatum.

§. 7. * *octo nostri tribuni pl.*, octo tribuni pl. qui nobiscum faciunt. Erant enim decem trib. pl.

* *hoc est, quod per legem Clodiam.* Haec a Cicerone ipso interponuntur, quo magis demonstret, quam inepte concepta sit ista formula a tribunis pl. ORELLI.

[*S. F.* salva fide.]

E. H. L. N. R. i. e. eius hac lege nihil rogatum.

§. 8. *lege collegii sui*, lege quam ipsi tulerant.

§. 10. * *Ninnium*, qui tum erat tribunus pl. et iam Kal. Iun. ad senatum retulerat de Ciceronis reditu. pr. Sest. 31.

fugerit, investiges velim, et quis attulerit, et quare octo tribuni plebis ad senatum de me referre non dubitarint, quod observandum illud caput non putabant, iidem in abrogando tam cauti fuerint, ut id metuerent, soluti quum essent; quod ne iis quidem, qui lege tenentur, est curandum. Id caput sane nolim novos tribunos plebis 11
ferre. Sed perferant modo quod libet. Uno capite, quo revocabor, modo res conficiatur, ero contentus. Iam dudum pudet tam multa 12
scribere: vereor enim, ne re iam desperata legas, ut haec mea diligentia miserabilis tibi, aliis irridenda videatur. Sed si est aliquid in spe, vide legem, quam T. Fadio scripsit Visellius; ea mihi perplacet. Nam Sestii nostri, quam tu tibi probari scribis, mihi non placet. Tertia est epistola prid. Id. Novembr. data, in qua exponis 13
prudenter et diligenter, quae sint, quae rem distinere videantur, de Crasso, de Pompeio, de ceteris. Quare oro te, ut, si qua spes erit, posse studiis bonorum, auctoritate, multitudine comparata, rem confici, des operam, ut uno impetu perfringatur; in eam rem incumbas, ceterosque excites. Sin, ut ego perspicio quum tua con- 14
iectura, tum etiam mea, spei nihil est; oro obtestorque te, ut Quintum fratrem ames, quem ego miserum misere perdidi, neve quid eum patiare gravius consulere de se, quam expediat sororis tuae filio, meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo praeter invidiam et ignominiam nominis mei, tueare, quoad poteris, Terentiam, unam omnium aerumnosissimam, sustentes tuis officiis. Ego in Epirum proficiscar, quum primorum dierum nuntios excepero. Tu ad me velim proximis litteris, ut se initia dederint, perscribas. Data prid. Kal. Decembr.

EPISTOLA XXX. (Ad Div. XIV. 3.)

Data Dyrrhachii prid. Kal. Dec. A. U. C. 695.

M. TULLIUS S. D. TERENTIAE SUAE ET TULLIAE ET CICERONI.

Accepi ab Aristocrito tris epistolas, quas ego lacrimis prope 1
delevi. Conficior enim maerore, mea Terentia, nec meae me miseriae magis excruciant, quam tuae vestraeque. Ego autem hoc miserior 2
sum, quam tu, quae es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium,

§. 12. * *T. Fadio*, cf. ep. XXVI, 3. — C. *Visellius* Varro, Ciceronis consobrinus, iuris civilis a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. Post curulem aedilitatem quum iudex quaestionis esset, est mortuus. Cic. Brut. 86, 264.

§. 14. * *sororis tuae*, et Quinti fratris, *filii*; Q. enim Cicero Pomponiam Attici sororem duxerat, cf. ep. X, 6.

* *primorum dierum*, post magistratum a novis tribunis initum.

§. 1. * *Aristocrito*, tabellario, cf. §. 7.

vel legatione vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere, vel cadere fortiter; hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit.
3 Quare quum dolore conficiar, tum etiam pudore: pudet enim me uxori optimae, suavissimis liberis virtutem et diligentiam non praestitisse. Nam mi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester et maeror et infirmitas valetudinis tuae, spes autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi, invidi paene omnes. Eiicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quamdiu vos eritis
4 in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur. Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam
5 inimici volunt vivere in his tantis miseriis. Ego tamen faciam, quae praecipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias, et eas litteras Dexippo dedi, meque de eorum officio scripsi a te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio, et ego perspicio et omnes praedicant. Dii faxint, ut tali genero mihi
6 praesenti tecum simul et cum liberis nostris frui liceat! Nunc spes reliqua est in novis tribunis plebis et in primis quidem diebus. Nam
7 si inveterarit, actum est. Ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum et rationem totius negotii posses scribere; etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim huc ut recurreret,
8 et ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum Dyrrhachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, et sum tuto: civitas enim haec semper a me defensa est.
9 Quum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si velim, ad me venturam; ego vero, quum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet. Sin autem — sed nihil opus est reliqua scribere. Ex primis aut summum secundis litteris tuis
10 constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me velim omnia diligentissime perscribas; etsi magis iam rem, quam litteras, debeo exspectare. Cura, ut valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, quam ego videre videor. Itaque debilitor lacrimis. Vale. Pridie Kalendas Decembres.

[§. 2. *legatione*, a Caesare Galliae procos. delata.] cf. ep. XVI, 12. — *hoc miserius*, hac conditione, qua nunc exsul vivo.

§. 3. *quum dol. conficiar*, vid. Goerenz ad Cic. Leg. II, 14, 36. Gernhard ad Off. III, 2, 5. Ernest. ad Verr. II, 2, 11, 30.

* *excludere*, reditu.

§. 5. * *Dexippo*, servo. — *frui liceat*. Non licuit; mortuus enim est Piso ante Ciceronis reditum; pr. Sest. 31. *Piso ille, gener meus, cui fructum pietatis suae neque ex me, neque a populo Romano ferre licuit.*

§. 8. * *Dyrrhachii*, in urbe Illyrici, unde traiectus in Italiam.

§. 9. * *istius oneris*, curae de reditu meo.

EPISTOLA XXXI. (Ad Div. V. 4.)

Scr. post initium anni A. U. C. 696.

M. T. CICERO S. D. Q. METELLO NEPOTI COS.

Litterae Quinti fratris et T. Pomponii necessarii mei tantum spei 1
dederant, ut in te non minus auxilii, quam in tuo collega, mihi constitutum fuerit. Itaque ad te litteras statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, et gratias tibi egi, et de reliquo tempore auxilium petii. Postea mihi non tam meorum litterae, quam sermones 2
eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. Quae res fecit, ut tibi litteris obstrepere non auderem. Nunc mihi 3
Quintus frater meus mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit; qua inductus ad te scribere sum conatus, et abs te, quantum tua fert voluntas, peto quaesoque, ut tuos mecum serves potius, quam propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu tuas inimicitias ut rei publicae donares, te vicisti; alienas ut contra rem publicam confirmes, adduceris? Quodsi mihi 4
tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate, tibi confirmo; sin mihi neque magistratus neque senatum neque populum auxiliari propter eam vim, quae me cum re publica vicit, licuerit; vide, ne, quum velis revocare tempus omnium servandorum, quum, qui servetur, non erit, non possis. Vale.

EPISTOLA XXXII. (Att. IV. 1.)

Scr. Romae Non. Sext. A. U. C. 696.

CICERO ATTICO S.

Quum primum Romam veni, fuitque, cui recte ad te litteras 1
darem, nihil prius faciendum mihi putavi, quam ut tibi absenti de

§. 1. * *in tuo collega*, P. Cornelio Lentulo.

§. 3. *mitissimam tuam orat.* pro Sext. 33. *Veniunt Kalendae Ian. Vos haec melius scire potestis, equidem audita dico, quae tum frequentia senatus —, — quae virtus, actio, gravitas P. Lentuli cos. fuerit, quae etium collegae eius moderatio de me: qui quum inimicitias sibi mecum ex reip. dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit et temporibus reip. permissurum.*

[*tuorum*, Clodiorum, quum esset frater P. Clodii. *Man.*]

[*tuas inimicitias*, quas mecum in tuo tribunatu ex reip. dissensione susceptas, in templo Iovis Opt. Max. dixisti te et temporibus et reip. permissurum. *Corrad.*] * cf. ep. IV. V.

§. 4. * *me fore in tua potestate*, cf. ad ep. II, 4.

* *eam vim*, Clodii.

reditu nostro gratularer. Cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quam me ipsum, nec etiam, pro praeterita mea in te observantia, nimium in custodia salutis meae diligentem, eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse, plurimumque operae, studii,
2 diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. Itaque hoc tibi vere affirmo, in maxima laetitia et exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conspectum aut potius complexum mihi tuum defuisse, quem semel nactus numquam dimisero, ac, nisi etiam praetermissos fructus tuae suavitatis omnes exegero, profecto
3 hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem et in senatu auctoritatem et apud viros bonos gratiam magis, quam optaramus, consecuti sumus. In re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus, tuarumque non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam consiliorum ad colligendas et
4 constituendas reliquias nostras indigemus. Nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea scribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris
5 velle cognoscere. Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Nonis Sext.; ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundisinae coloniae et tuae vicinae Salutis. Quae res animadversa a multitudine summa Brundisinorum gratulatione cele-
6 brata est. Ante diem VI. Id. Sext. cognovi, quum Brundisii essem,

§. 1. *te in consil. mihi dandis — diligentem.* Haec ad tempus ante exsilium pertinent, quo se ab Attico non satis consilio adiutum esse saepius conqueritur Cicero, v. c. supra ep. XXVII, 8. 9. 10. Eadem sententia repetitur verbis *qui primis temporibus — socius fuisses*, et idem est ac si dixisset: cognoram enim, etsi tu in consiliis mihi dandis nec fortior nec prudentior me ipso fuisses, nec nimium in cust. sal. meae diligens, tamen — acerbissime discidium nostrum tulisse. Sic Off. I, 24, 84. *inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent*, pro qui, etsi non modo — parati essent, tamen gloriae etc. Cf. pro Arch. 4, 9. 7, 15. et supra ad XIII, 33.

* *pro praeterita mea in te observantia*, cf. ep. XXVII, 6.

§. 3. * *facultatum*, cf. ad Att. III, 20, 2. *Quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuver, id quantum sit praesidii, video.* Facultates vero Attici, qui iam antea dives fuerat, multo etiam maiores tum factae erant. Q. Caecilius enim moriens testamento adoptaverat eum haeredemque fecerat ex dodrante, ex qua haereditate accepit circiter centies H-S. cf. ad Att. III, 20. Corn. Nep. v. Attic. 5.

§. 5. *Salutis*, aedis Salutis, quae erat vicina aedibus Attici in monte Quirinali.

litteris Quinti fratris, mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae, legem comitiis centuriatis esse perlatam. Inde, a Brundisinis honestissime ornatus, iter ita feci, ut undique 7
ad me cum gratulatione legati convenerint. Ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare aut negare. Quum venissem ad portam Capenam, gradus 8
templorum ab infima plebe completi erant; a qua plausu maximo quum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit, in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in senatu, qui fuit dies Non. 9
Septembr. senatui gratias egimus. Eo biduo quum esset annonae summa caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent impulsu Clodii, mea opera frumenti inopiam esse clamarent, quum per eos dies senatus de annona haberetur, et ad eius procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet; feci et accurate sententiam dixi, quum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messalam et Afranium. Factum est senatus consultum in 10
meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur; quo senatus consulto recitato quum continuo more hoc insulso et novo plausum, meo nomine recitando, dedisset, habui contionem; omnes magistratus praesentes, praeter unum praetorem

§. 6. * *concursu Italiae*, civibus ex omni Italia, ut legem suffragiis suis perferrent, Romam concurrentibus; *comitiis centuriatis*, vetabat enim lex XII. tab., ferri de capite civis nisi maximo comitiatu, i. e. com. centur.

§. 7. * *nomenclatori*, servo, qui domino nomina civium obviorum suggerebat, ut nominatim eos appellare posset. — *id ipsum*, se inimicos esse.

§. 8. * *ab infima plebe*; non optimatibus solum, sed etiam plebi gratum fuisse Ciceronis reditum, hoc plausu probatum est.

* *ad Capitolium*, quo Cicero triumphantium more ascendit, diis gratias acturus.

§. 9. * *senatui gratias egimus*, oratione quae adhuc exstat *post reditum in senatu.*

[*ad theatrum.* Ascon. ad Milon. c. 14. *L. Caecilius Rufus praetor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote coss. quo anno Cicero restitutus est. Is quum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa conseederant, pellerentur.*]

* *mea opera*, quod Ciceronis causa tot cives ex omni Italia Romam convenissent.

* M. Valerius *Messala* biennio post Ciceronem consul fuerat, cf. ep. VII, 9. VIII, 5. 16. De *L. Afranio* cf. ep. IX, 27.

* *quod tuto se negarent sententiam dicere posse*, cf. pr. domo 5.

[§. 10. *meo nomine recitando*, quum meum nomen recitaretur. Orat. 22, 74. *quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset.* cf. ib. 68. 228.]

* *habui contionem*, orationem *post reditum ad Quirites.*

* *praeter unum praetorem*, Appium Claudium Pulchrum, fratrem

11 et duos tribunos plebis, dederunt. Postridie senatus frequens et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim quum postularet, me principem nominavit, et ad omnia me alterum se fore dixit. Legem consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur; alteram Messius, qui omnis pecuniae dat potestatem et adiungit classem et exercitum et maius imperium in provinciis, quam
12 sit eorum, qui eas obtineant. Illa nostra lex consularis nunc modesta videtur, haec Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc. Consulares, duce Favonio, fremunt; nos tacemus, et eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc pontifices responderunt. Qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus; superficiem consules ex senatus consulto aestimabunt; sin aliter, de-
13 molientur, suo nomine locabunt, rem totam aestimabunt. Ita sunt res nostrae, ut in secundis, fluxae, ut in adversis, bonae. In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati. Praeterea sunt quaedam
14 domestica, quae litteris non committo. Quintum fratrem, insigni pietate, virtute, fide praeditum, sic amo, ut debeo. Te exspecto, et oro, ut matures venire, eoque animo venias, ut me tuo consilio
15 egere non sinas. Alterius vitae quoddam initium ordimur. Iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci, aperte invidere. Vehementer te requirimus.

EPISTOLA XXXIII. (Att. IV. 2.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 696.

CICERO ATTICO S.

1 Si forte rarius tibi a me, quam a ceteris, litterae redduntur, peto a te, ut id non modo negligentiae meae, sed ne occupationi quidem tribuas, quae etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta,
2 ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei. Nam ut veni Romam,

Clodii; *et duos tribunos pl.*, Numerium Quintium et Atilium Serranum.

dederunt contionem: nam contionem habere privato non licebat, nisi magistratus curulis aut trib. pl. dedisset.

§. 11. * *me principem nominavit*, cf. ep. XXXIII, 15.

[*Messius*, trib. pl. qui etiam legem tulisse de Ciceronis reditu narratur in orat. in sen. post reditum 8.]

§. 12. * *familiares*, Pompeii. *Favonio*, cf. ep. VIII, 13.

* *si sustulerint religionem*, Clodius enim partem domus Ciceronianae, quae porticum Catuli attingebat, Libertati dedicaverat, cf. ep. XXXIII, 5.

§. 13. * *ut in secundis*, cf. ad ep. XIII, 85. — *quaedam domestica*, cf. ep. XXXIII, 17.

[XXXIII, §. 1. *non modo* pro *non modo non* ponitur sq. *sed ne — quidem*, quando utrique membro unum vocabulum, imprimis praedicatum, commune est. Vid. *Ramshorn. gramm. lat.* §. 181. B. 1. d. p. 536.]

iterum nunc sum certior factus, esse, cui darem litteras: itaque has alteras dedi. Prioribus tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset, et quis esset status, atque omnes res nostrae quemadmodum essent, ut in secundis, fluxae, ut in adversis, bonae. Post illas datas lit- 3
teras secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si nunquam alias fuimus, tum profecto dolor et rei magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio inventuti nostrae deberi non potest; quam tibi etiam si 4
non desideras, tamen mittam cito. Quum pontifices decressent ita, 5
SI NEQUE POPULI IUSSU, NEQUE PLEBIS SCITU, IS QUI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTUS ESSET, NEQUE POPULI IUSSU, AUT PLEBIS SCITU ID FACERE IUSSUS ESSET; VIDERI, POSSE SINE RELIGIONE EAM PARTEM AREAE MI RESTITUI; mihi facta statim est gratulatio: nemo enim dubitabat, quin domus nobis esset adiudicata. Tum su- 6
bito ille in contionem ascendit, quam Appius ei dedit. Nuntiat inani populo, pontifices secundum se decrevisse, me autem vi conari in possessionem venire. Hortatur, ut se et Appium sequantur, et suam Libertatem ut defendant. Hic quum etiam illi infimi partim admira- 7
rentur, partim irriderent hominis amentiam; ego statueram illuc non accedere, nisi quum consules ex senatus consulto porticum Catuli restituendam locassent. Kal. Octobr. habetur senatus frequens. Ad- 8
hibentur omnes pontifices, qui erant senatores; a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quaesivit, quid essent in decernendo secuti. Tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices pontifices fuisse, legis senatum; se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statu-

§. 3. * *Diximus apud pontifices*, exstat oratio *pro domo sua ad pontifices*, qua Cicero ostendere conatur, domum suam neque publicari, neque consecrari iure potuisse.

[§. 4. *deberi non potest*, sed edenda est. Cf. Topic. 1, 4. ad Div. VII, 19. Tusc. II. extr.]

§. 5. *eam partem*, cum Catuli portieu iunctam, in qua Clodius atrium Libertatis aedificaverat.

§. 6. * *quam Appius ei dedit*, cf. ad ep. XXXII, 10.

* *secundum se*, ut ipse voluisset, contra Ciceronem. — *suam Libertatem*, atrium Libertatis a se exstructum.

§. 7. * *illi infimi*, quos supra §. 6. *imanem populum* dixit. — *illuc*, ad aream domus dirutae.

porticum Catuli, quam in domo M. Fulvii Flacci, qui cum C. Graccho interfectus erat, eversa de Cimbricis manubiis a Q. Lutatio Catulo factam P. Clodius una cum Ciceronis domo everterat. pro dom. 38.

§. 8. *Marcellinus*, Corn. Lentulus Marc. hoc anno consul designatus cum L. Marcio Philippo.

* *primus rogatus*, designati consules primi sententias rogabantur. — *in decernendo*, cf. §. 5. 6.

* M. Terentius Varro *Lucullus* (adoptatus enim a Varrone hoc nomine appellatus est, quum esset gentis Liciniae) consul cum C. Cassio Varo a. u. c. 680., proconsul e Macedonia rediens triumphavit, cf. etiam ep. XI, 10. — *collegarum*, pontificum.

9 turos. Quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secundum causam nostram disputavit. Quum ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere, neque ei finis est factus; sed tamen, quum horas tris fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando per-
10 orare. Quum fieret senatus consultum in sententiam Marcellini, omnibus praeter unum assentientibus, Serranus intercessit. De intercessione statim ambo consules referre coeperunt. Quum sententiae
11 gravissimae dicerentur, senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi, si qua vis esset facta, senatum existimaturum, eius opera factum esse, qui senatus consulto intercessisset; Serranus pertimuit, et Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit; abiecta toga, se ad
12 generi pedes abiecit. Ille noctem sibi postulavit. Non concedebant: reminiscebantur enim Kal. Ianuar. Vix tamen id ei de mea voluntate
13 concessum est. Postridie senatus consultum factum est id, quod ad te misi. Deinde consules porticum Catuli restituendam locarunt; illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. Nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt H-S vicies; cetera valde illiberaliter, Tusculanam villam quingentis milli-
14 bus, Formianum H-S ducentis quinquaginta millibus. Quae aestimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur. Dices, quid igitur causae fuit? Dicunt illi quidem, pudorem meum, quod neque negarim, neque vehementius postularim. Sed non est id. Nam hoc quidem etiam profuisset. Verum iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci; sed, ut spero, iam renascuntur. Tu modo ad nos veni; quod vereor ne tardius interventu Varronis tui nostrique facias.

15 Quoniam acta quae sint, habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me a Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere posse, aut votivam legationem suscipere prope omnium fanorum, lucorum. Sic enim nostrae rationes postulabant. Sed volui meam potestatem esse vel petendi vel ineunte aestate exeundi, et interea me esse in oculis civium, de me

§. 9. * *secundum causam nostram*, cf. §. 6. — *diem consumere*, dicendo.

§. 10. * *Serranus*, trib. pl. cf. ep. XXXII, 10.

§. 11. * *auctoritatem ordinis*, nam si propter intercessionem Senatus consultum fieri non poterat, auctoritas senatus perscribebatur.

Cornicinus, Cn. Oppius, qui idem Kal. Ian. fecerat. pro Sextio c. 34. ad Quir. p. red. 5.

[*generi*, Serrani.]

§. 13. * *illam porticum*, Clodii.

§. 15. * *me a Pompeio legari*, cf. ep. XXXII, 11.

* *fanorum, lucorum*, quum manifesto sint verba solemnia e formula aliqua petita, videndum, ne altera pars eiusdem formulae lateat in voce *prope*, ita ut fuerit: *pro P. R.* Id per se intelligitur formulam istam h. l. per iocum appositam esse. ORELL.

optime meritorum, non alienum putavi. Ac forensium quidem rerum 16
haec nostra consilia sunt, domesticarum autem valde impedita. Domus
aedificatur. Scis, quo sumptu, qua molestia reficiatur Formianum;
quod ego nec relinquere possum, nec videre. Tusculanum proscripsi, 17
suburbano non facile careo. Amicorum benignitas exhausta est in ea
re, quae nihil habuit praeter dedecus; quod sensisti tu absens: prae-
sentes, quorum studiis ego et copiis, si esset per meos defensores
licitum, facile essem omnia consecutus. Quo in genere nunc vehe-
menter laboratur. Cetera, quae me sollicitant, μυστικώτερα sunt.
Amamur a fratre et a filia. Te exspectamus.

EPISTOLA XXXIV. (Att. IV. 3.)

Scr. Romae d. VIII. Kal. Decembr. A. U. C. 696.

CICERO ATTICO S.

Avere te certo scio quum scire, quid hic agatur, tum mea a 1
me scire, non quo certiora sint ea, quae in oculis omnium geruntur,
si a me scribantur, quam quum ab aliis aut scribuntur tibi aut nun-
tiantur, verum ut perspicias ex meis litteris, quo animo ea feram,
quae geruntur, et qui sit hoc tempore aut mentis meae sensus aut
omnino vitae status. Armatis hominibus ante diem tertium Non. 2
Novembr. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli,
quae ex senatus consulto consulum locatione reficiebatur et ad tectum
paene pervenerat; Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum
ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodii, inspectante urbe,
coniectis ignibus, magna querela et gemitu, non dicam bonorum,
qui nescio an nulli sint, sed plane hominum omnium. Ille demens 3
ruere; post hunc furorem nihil nisi caedem inimicorum cogitare;
vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere. Etenim antea,
quum iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem manifestamque
causam, sed tamen causam; poterat infitiari; poterat in alios deri-

§. 16. * *nec videre*, eversum ab inimicis, nimis enim dolerem.

§. 17. * *Amicorum — consecutus.* His verbis quid Cicero significet, non satis apparet. Non recte Manutium ad pecunias referre, quas amici Ciceroni exsuli suppeditarint, intelligitur ex verbis *quod — praesentes*; haec enim referenda ad tempus post Ciceronis reditum, quum Atticus Roma aberat. Neque queri Ciceronem, ut alii voluerunt, quod Atticus pecuniam mutuam dare noluerit, colligitur coll. ep. XXXII, 3. Videtur Cicero opibus amicorum usus esse ad suffragia emenda, tribunos corrumpendos vel simile aliquid, neque tamen consecutus quae voluit, impeditus ab illis potentioribus salutis suae defensoribus.

* *a fratre et filia*, nihil de Terentia uxore addit, cui iam tum succensuisse videtur, cf. ep. XXXII, 13. Postea divortium cum ea fecit.

§. 3. *quum iudicium nolebat*, de vi accusatus a Milone. Rem narrat Cic. pro Sextio c. 35—43. cf. pro Mil. 26. pro Sull. 5.

4 vare; poterat etiam aliquid iure factum defendere. Post has ruinas, incendia, rapinas, desertus a suis, vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet; servorum consiliis utitur; videt, si omnes, quos vult, palam occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quam adhuc 5 sit, in iudicio futuram. Itaque ante diem tertium Idus Novembr. quum Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis. Clamor, lapides, fustes, gladii, haec improvisa omnia. Discessimus in vestibulum Tettii Damionis. Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipse occidi potuit. Sed ego diaeta curari incipio; chirurgiae 6 taedet. Ille omnium vocibus quum se non ad iudicium, sed ad supplicium praesens trudi videret, omnes Catilinas, Acidinos postea reddidit. Nam Milonis domum, eam quae est in Germalo, pridie Id. Novembr. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora v. cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugna- 7 tionem sumpserat. Tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos; ipsum cupivit; sed ille se in interiora aedium Sullae. Exin senatus postridie Idus; domi Clodius; egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuvante Appio, etiam hercule familiari tuo; de cuius constantia, virtute tuae verissimae litterae. Sestius furere. Ille postea, si comitia sua non fierent, 8 urbi minari. Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram causam areae, incendiorum, periculi mei, iudicio complecteretur, eaque omnia comitiis anteferret, proscripsit, se per omnes dies comitiales de coelo servaturum. Contiones turbulentae Metelli, temerariae Appii, furiosissimae Publii. Haec tamen 9 summa: nisi Milo in campum obnuntiasset, comitia futura. Ante diem XII. Kal. Decembr. Milo media nocte cum magna manu

§. 4. De *Decimo* vid. de dom. 19. de *Gellio* pro Sext. 51. §. 110 sq. in Vatin. 2.

§. 5. * *Sacra via*, quae a Capitolio per forum ad Carinas ducebat.

* *operas*, cf. ad ep. VII, 9.

* *diaeta curari incipio, chirurgiae taedet*, institui me tueri contra meos inimicos moderatione quadam, qua utens spero fore ut huic malo dies quotidie magis medeatur, sicuti solet diaeta non recte se habentibus; ferro ut res agatur, minime velo. MAN.

§. 6. *Acidinos*. C. Manlius Acidinus, Catilinae coniurationis socius, princeps belli patriae inferendi. Sensus est: fecit, ut, qui clandestinis antea consiliis, mox aperta vi adversarios impugnarent.

* *Milonis*, cf. ep. XXVI, 3.

in Germalo, monte et parte urbis Romae. Diversa est Anniana Mil. domus §. 7.

§. 7. * *Metellus* (cf. ep. XXXI.) — *tempus exemit*, cf. ep. XXXIII, 9.

familiari tuo, Hortensio.

* *tuae verissimae litterae*, ironice dictum. *Sestius*, inimicus Clodii.

Comitia sua, quibus aedilitatem petiturus erat Clodius; * nam aedilis designatus in iudicium vocari non potuit.

§. 8. * *proscripsit*, Sestius; nam Marcellinus, privatus, de coelo servare non potuit.

in campum venit, Clodius, quum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem mirifica hominum laetitia, summa cum gloria. Contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur; nihil esse, quod in campum nocte veniretur; se hora prima in Comitio fore. Itaque ante diem XI. Kal. in Comi- 10
tium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat; assequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat. Ille se recepit, magno et turpi Q. Flacci convicio. Ante diem X. Kal. nundinae. Contio biduo nulla. Ante diem VIII. Kal. haec ego scribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat. Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. Clodii vestibulum vacuum sane mihi nuntiabatur: pauci pannosi, linea laterna. Meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroë 11
esset animi, quantum etiam consilii. Miranda virtus est. Nova quaedam divina mitto. Sed haec summa est: Comitia fore non arbitror. Reum Publium, nisi ante occisus erit, fore a Milone puto; si se inter viam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. Non dubitat facere; prae se fert; casum illum nostrum non extimescit. Numquam enim cuiusquam invidi et perfidi consilio est usus, nec inerti nobili crediturus.

Nos animo dumtaxat vigemus, etiam magis, quam quum flore- 12
bamus; re familiari comminuti sumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem illo recusante, subsidiis amicorum respondemus. Quid consilii de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. Quare appropera.

EPISTOLA XXXV. (Ad Div. V. 12.)

Scr. A. U. C. 697. mense Maio.

M. T. CICERO S. D. L. LUCCEIO, Q. F.

Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit 1
pudor quidam paene subrusticus, quae nunc expromam absens audacius:

* *in campum*, Martium, ubi comitia magistratibus creandis habebantur.

§. 9. *fratrum trium*, Metelli, Appii, Clodii.

§. 10. * *itineribus prope deviis*, ut falleret Milonem. *Q. Flacci*, cf. §. 7. — *nundinae*, quibus comitia fieri nefas. — C. Claudius *Marcellus* aedilitatem simul cum Clodio petiit.

§. 11. * *in illo heroë*, Milone. — *occisum iri video*, quod annis quattuor post re vera factum est. — *casum illum nostrum*, exsilium propter cives perditos necatos.

§. 12. * *ne omnino exh. essem illo recus.*, illo ideo recusante, ne id si facerem omnino exhaustus essem.

Ep. XXXV. De hac epistola ut recte iudicetur, cogitandum est, quo tempore eam scripserit Cicero, nempe anno post quam ab exsilio redierat, quum propter rempublicam admini-

epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur
2 et celebretur tuis. Quod etsi mihi saepe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae: genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita vel cepit vel incendit, ut cuperem quam
3 celerrime res nostras monumentis commendari tuis. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui vel indicio
4 benevolentiae vel suavitate ingenii vivi perfruamur. Neque tamen, haec quum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum; sed quia videbam, Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam, dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt, tu quoque item civilem coniura-
5 tionem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse; sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, dum ad locum venias, ac statim causam illam totam et tempus arripere. Et simul, si uno in argu-

stratam multorum adhuc invidia flagrabat. Huic ita optime occurri posse, si omnia consilia, quae in consulatu suo secutus esset, perspicue et vere exponerentur, non iniuria sperabat. Similiter accipienda sunt, quae ad Atticum scribit ep. XII. §. 10 sqq. Recte Quintil. XI, 1, 17. ***Plerumque vero,*** **inquit,** ***deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem: sed in veris quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quamquam is quidem rerum a se gestarum maior, quam eloquentiae, fuit in orationibus utique iactator. At plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit: aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione, aut respondebat invidiae; cui tamen non fuit par, servatae patriae poenam passus exsilium, ut eorum, quae egerat in consulatu, frequens commemoratio possit videri non gloriae magis, quam defensioni, data.*** **[Similis causa est Scipionis apud Liv. 38, 50. Cf. Muret. V. L. XII, 20.]**

§. 3. ***Sed etiam illa cupiditas*** **sc. erigit, quod per figuram,** ***ζεῦγμα*** **dictam, e vv.** ***ad spem immortalit. rapit,*** **eliciendum. [Sed** ***cupiditas rapit*** **dixit etiam Horat. Serm. II, 1, 10. Corn. N. Eumen. 6. Goerenz ad Cic. Acad. II, 36.**

§. 4. * ***Italici belli,*** **quod etiam sociale dicitur;** ***civilis,*** **quod inter Marium et Sullam gestum est.**

***** ***Callisthenes,*** **Olynthius, Aristotelis discipulus; scripsisse hunc** ***Crisaicum*** **bellum, tradit Athenaeus XIII, 560. C., laudante Orell., qui iure suspicatur, hoc loco legendum esse** ***Crisaicum.***

***** ***Timaeus,*** **Tauromenites, regnante Agathocle vixit, eruditissimus et eloquentissimus historicus. Ern.**

***** ***Polybius,*** **Megalopolitanus, celeberrimus historiarum scriptor, qui floruit altero saeculo a. Ch. n.**

§. 5. ***ac statim*** **pro sed potius statim. vid. Heusing. ad Cic. Off. p. 617. not. y. cf. ad ep. XXVII, 7.**

mento unaque in persona mea tua tota versabitur, cerno iam animo, quanto uberiora atque ampliora futura sint omnia. Neque tamen ignoro, 6
quam impudenter etiam, qui primum tibi tantum oneris imponam, (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam 7
rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas, gratiamque illam, de qua suavissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te flecti non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate, eam, si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere, amorique nostro plusculum etiam, quam concedat veritas, largiare. Quod si te ad- 8
ducemus, ut hoc suscipias, erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate et copia tua. A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse, in quo et illa poteris uti civilium commutationum scientia vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum, quum et reprehendes ea, quae vituperanda duces, et quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis, et si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri varietatem tibi in scribendo suppeditabunt, 9
plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo tuo scripto retinere possit: nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunaeque vicissitudines, quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae: habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem, ceteris vero nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non 10
cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clipeum esse salvum; ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga redituque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi 11

§. 7. *ut ornes ea vehementius.* Recte hoc Schützius, modestiae meritorum suorum dissimulationi potius, quam vanitati, tribuendum putat. Certe iocari eum potius, quam serio agere, e fine §. 6. intelligitur.

* *Herculem Xenophontium*, Xen. Memorab. II, 1.

§. 10. *Epaminondas.* Corn. N. Epam. 9. Cic. Fin. II, 30. Tusc. Qu. II, 24.

* *fuga redituque*; sed Themistocles nunquam rediit in patriam, neque credibile, Ciceronem in re notissima errasse. Itaque legendum *exitu*.

exitu, morte. vid. Thuc. I, 138. Plut. in vita Corn. N. Them. extr.

§. 11. *ordo ipse*, o. per se solus, etiam non adiectis variis illis casibus, qui animum movent. — *Mediocriter.* opp. *iucundissima voluptas.*

enumeratione fastorum; at viri saepe [illegible]ellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, [illegible] molestiam, spem, timorem; si vero exitu notabili concluduntur, explet[illegible]animus iucun-
12 dissima lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, [illegible] hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetua rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum: habet enim varios actus multasque
13 actiones et consiliorum et temporum. Ac non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, quum hoc demonstrem, me a te potissimum ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, qui, qui sis, nescias, et qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quam eos, qui laudent, assentatores arbitrere; neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat, sed quod
14 illorum artem quum ipsis, tum etiam sibi gloriae fore putabat. Atqui illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant, quae vel si
15 nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari viri. Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes
16 imagines omnium statuasque superavit. Atque hoc praestantius mihi fuerit et ad laetitiam animi et ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timaeo aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri et in rei publicae maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati; ut mihi non solum praeconium, quod, quum in Sigeum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit; sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur: placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum laudari

* *saepe* refertur ad *habent*; recte *Süpfl.* comparat Cic. Verr. IV. 49. *multa saepe prodigia vim eius numenque declarant.*

§. 12. * *actus* sunt partes, in quas fabulae dividuntur, *actiones*, quae in quovis actu singulis personis tribuuntur.

§. 14. *ignotis*, qui eum non noverant. cf. ad Att. XII, 1.

§. 15. *Agesilaus.* Plut. Ages. 2. *τῆς δὲ μορφῆς εἰκόνα μὲν οὐκ ἐχομεν· αὐτὸς γὰρ οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλὰ καὶ ἀποθνήσκων ἀπεῖπε μήτε πλαστὰν μήτε μιμηλάν τινα ποιήσασθαι τοῦ σώματος εἰκόνα.* cf. Xenoph. Ages. 11, 7.

in eo genere, in eo, ut corporis imago exstaret.

§. 16. * *Timoleonti*, Corinthio, qui postquam fratrem patriae tyrannum occidit, Syracusas a Dionysii dominatione liberavit. — *a Timaeo*, cf. §. 4.

* *Sigeum*, promontorium et oppidum Troadis.

Alexander, *ab Homero*. cf. pro Arch. c. 10, 24.

Hector ille — Naevianus. Tusc. Qu. IV, 31. aliter enim Naevianus

se laetatur, sed addit etiam, a laudato viro. Quod si a te non 17
impetro, hoc est, si quae te res impedierit (neque enim eas esse
arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse
facere, quod multi saepe reprehendunt: scribam ipse de me, mul-
torum tamen exemplo et clarorum virorum. Sed quod te non fugit, 18
haec sunt in hoc genere vitia: et verecundius ipsi de sese scribant
necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si quid repre-
hendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, 19
[illegible] denique reprehendant, et dicant, verecundiores esse praecones
ludorum [illegible]nicorum, qui, quum ceteris coronas imposuerint victo-
ribus eorumque [illegible]mina magna voce pronuntiarint, quum ipsi ante
ludorum missionem coron[illegible]donentur, alium praeconem adhibeant, ne
sua voce ipsi se victores esse [illegible]aedicent. Haec nos vitare cupimus, 20
et, si recipis causam nostram, vitabi[illegible], idque ut facias, rogamus.
Ac, ne forte mirere, cur, quum mihi sae[illegible] ostenderis, te accura- 21
tissime nostrorum temporum consilia atque even[illegible] litteris mandatu-
rum, a te id nunc tanto opere et tam multis verbis petamus, illa
nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod ala-
cres animo sumus, ut et ceteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos
cognoscant, et nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. His de 22
rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi
velim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum
omnium; sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar.
Tu interea non cessabis, et ea quae habes instituta, perpolies, nos-
que diliges.

ille gaudet Hector: *Laetus' sum laudari me abs te, pater, a laudato viro.* cf. ep. LXXI, 1.

§. 17. * *scribam ipse de me*; Ciceronem iam aliquot annis ante composuisse commentarium consulatus sui Graecum, incepisse Latinum, poëma quoque iisdem de rebus scribere in animo habuisse, legimus ep. XII, 18.

* *multorum — virorum*, ut L. Sullae, M. Scauri, P. Rutilii, quos Manut. laudat.

§. 19. *praecones lud. gymn.* De praeconibus Olympiae inter se certantibus vid. Paus. V, 22 in. Lucian. Demon. 65. Tom. V. p. 254. ed. Bip. Fabri Agonist. II, 15. Similiter Plut. T. III. p. 178. ed. Wytt. ὁ *Πίνδαρος — οὐ παύεται μεγαληγορῶν περὶ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως, ἀξίας μὲν ἐγκωμίων οὔσης, (τίς γὰρ οὐ φησιν;) ἀλλὰ καὶ τοὺς στεφανουμένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἕτεροι νικῶντας ἀναγορεύοντι, τὴν ἀηδίαν τῆς περιαυτολογίας ἀφαιροῦντες.* [Cf. Boeckh. *Staatshaush.* II. p. 361.]

§. 21. *cupiditas — festinationis* i. e. cupiditas, nimirum festinatio. Sic Off. II, 5, 16. *Est Dicaearchi liber de interitu hominum, — qui, collectis ceteris causis* (interitus hom.) *eluvionis, pestilentiae, vastitatis, belluarum etiam repentinae multitudinis, — deinde comparat* etc. pro quae causae sunt eluvio, pestilentia, vastitas, bel. multitudo. pro Mur. 10, 23. *Aliis ego te virtutibus, continentiae, gravitatis, iustitiae, fidei, ceteris omnibus, consulatu et omni honore semper dignissimum iudicavi*, pro quae virt. sunt continentia etc.

§. 22. * *commentarios*, perpetuam ac diligentem, nullis ingenii luminibus distinctam, rerum narrationem, quae historiam scripturo materiam praebeat.

EPISTOLA XXXVI. (Ad Div. I. 7.)

Scr. Romae mense circiter Maio A. U. C. 697.

M. T. CICERO P. LENTULO PROCS. S. D.

1 Legi tuas litteras, quibus ad me scribis, gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus et meam erga te benevolentiam facile perspicias; quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse [illegible]isti, alterum facio libenter, ut, quoniam intervallo locorum [illegible] temporum disiuncti sumus, per litteras tecum quam saepissime colloquar. Quod si rarius fiet, quam tu exspectabis, id erit causae, quod non eius generis meae litterae sunt, ut eas audeam temere committere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non prae-
2 termittam. Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate; difficile dictu est de singulis. Unum illud audeo, quod antea tibi saepe significavi, nunc quoque, re perspecta et cognita, scribere, vehementer quosdam homines, et eos maxime, qui te et maxime debuerunt et plurimum iuware potuerunt, invidisse dignitati tuae, simillimamque in re dissimili tui temporis nunc et nostri quondam fuisse rationem, ut, quos tu rei publicae causa laeseras, palam te oppugnarent, quorum auctoritatem, dignitatem voluntatemque defenderas, non
3 tam memores essent virtutis tuae, quam laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognovi Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum, ex magistratibus autem L. Racilium et fide et animo singulari. Nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuae propter magnitudinem beneficii tui fortasse plerisque officii maio-
4 rem auctoritatem habere videatur, quam sententiae. Praeterea quidem

§. 1. Quum Ptolemaeus Auletes, rex Aegypti regno pulsus, Romae gratia et largitionibus efficere studuisset, ut ab exercitu Romano in regnum reduceretur, Cicero Lentulo, qui consul ipsius reditum maxime adiuverat, quique tunc Ciliciam et Cyprum proconsul administrabat, hanc provinciam SC. tradi cupiebat, aliis Pompeio faventibus. Quod ne decerneretur, effecit C. Cato trib. pl. ficto carmine Sibyllino, quod Aegyptum cum exercitu intrare vetabat. Itaque haec causa paulatim refrixit, intervenientibus aliis maioris momenti rebus, nec Lentulus consilium, a Cicerone hac epistola datum, sequi satis sibi tutum existimavit.

* *intervallo locorum et temporum*, quod tam longe et tam diu a me abes; nam Lentulus proconsul Ciliciae praefuit. — *temere committere*, cf. ep. VII, 2.

§. 2. * *quosdam homines*; quos significet, apparet ex §. 4.

§. 3. *L. Racilium*, hoc anno trib. pl. * qui Clodio et C. Catoni inimicus erat, cf. ad Q. fr. II, 1. II, 6.

* *magnitudinem beneficii tui*, quod tua opera sum restitutus.

[*officii mai. auctor.* maiorem vim habere in eo positam, quod meis in te officiis satisfaciam, quam quod verè ita sentiam, i. e. magis officium meum declarare, quam sententiam. Eidem Lentulo scribit ad Div. I, 1. *Nos in causa auctoritatem*

de consularibus nemini possum aut studii erga te aut officii aut amici animi esse testis. Etenim Pompeium, qui mecum saepissime, non solum a me provocatus, sed etiam sua sponte de te communicare solet, scis, temporibus illis non saepe in senatu fuisse. Cui quidem 5 litterae tuae, quas proxime miseras, quod facile intellexerim, periucundae fuerunt; mihi quidem humanitas tua, vel summa potius sapientia, non iucunda solum, sed etiam admirabilis visa est: virum enim excellentem et tibi tua praestanti in eum liberalitate devinctum, nonnihil suspicantem, propter aliquorum opinionem suae cupiditatis te ab se abalienatum; illa epistola retinuisti. Qui mihi quum semper tuae 6 laudi favere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano, tum vero, lectis tuis litteris, perspectus est a me toto animo de te ac de tuis ornamentis et commodis cogitare. Quare ea, quae scri- 7 bam, sic habeto, me cum illo re saepe communicata de illius ad te sententia atque auctoritate scribere: quoniam senatusconsultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit, eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur, te perspicere posse, qui Ciliciam Cyprumque teneas, quid efficere, quid consequi possis, et, si res facultatem habitura videatur, ut Alexandream atque Aegyptum tenere possis, esse et tuae et nostri imperii dignitatis, Ptolemaide aut aliquo propinquo loco rege collocato, te cum classe atque exercitu proficisci Alexandream, ut, eam quum pace praesidiisque firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum; ita fore, ut et per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit, et sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllae placere dixerunt. Sed haec sententia sic et illi et nobis probabatur, ut ex eventu homi- 8 nes de eo consilio existimaturos videremus; si cecidisset, ut volumus et optamus, omnes te et sapienter et fortiter, sin aliquid esset offensum, eosdem illos et cupide et temere fecisse dicturos. Quare quid 9 assequi possis, non tam facile est nobis, quam tibi, cuius prope

eo maiorem habemus, quod tibi debemus.]

§. 4. *non saepe in senatu fuisse*, quia, quum eo tempore rei frumentariae praefectus esset, ingredi ei urbem, nisi venia a senatu impetrata, non licebat.

§. 5. *virum — excellentem*, Pompeium. *tibi — devinctum*, quia Lentulus ei curationem rei frumentariae deferendam consul curaverat. — *suae cupiditatis*, Ptolemaeum reducendi.

§. 6. *tempore Caniniano*, quum Caninius trib. pl. tulisset, ut Pompeius regem reduceret.

[*perspectus est a me — cogitare.* Vid. ad or. pro l. Man. §. 34.]

§. 7. * *auctoritas*, cf. ad ep. XXXIII, 11.

[*tantam vim*, i. e. tantillam, tam exiguam. vid. ad or. pro l. Man. §. 14.]

* *Ciliciam Cyprumque*, Aegypto proximas. — *res*, cf. §. 13.

* *Ptolemaide*, in oppido Syriae; fuit praeterea Ptolemais in Aegypto ad sinum Arabicum sita, alia in regione Cyrenaica.

in conspectu Aegyptus est, iudicare. Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum,
10 si dubium sit, non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore, ut absens a multis, quum redieris, ab omnibus collaudere. Offensionem esse periculosam, propter interpo-
11 sitam senatus auctoritatem religionemque, video. Sed ego te, ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo, redeoque ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex con-
12 silio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. Quod si haec ratio rei gerendae periculosa tibi esse videbitur, placebat illud, ut, si rex amicis tuis, qui per provinciam atque imperium tuum pecunias ei credidissent, fidem suam praestitisset, et auxiliis eum tuis et copiis adiuvares; eam esse naturam et regionem provinciae tuae, ut illius
13 reditum vel adiuvando confirmares, vel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillime optimeque perspicies; quid nobis placuisset, ex me potissimum putavi
14 te scire oportere. Quod mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de levitate et imbecillitate Clodii gratularis, minime miramur, te tuis, ut egregium artificem, praeclaris operibus laetari; quamquam est incredibilis hominum perversitas (graviore enim verbo uti non libet) qui nos, quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt. Quorum malevolentissimis obtrectationibus nos scito de vetere illa nostra diuturnaque sententia prope iam esse depulsos, non nos quidem ut nostrae dignitatis simus obliti, sed ut
15 habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat utrumque praeclare, si esset fides, si gravitas in hominibus consularibus. Sed tanta est in plerisque levitas, ut eos non tam constantia in re publica
16 nostra delectet, quam splendor offendat. Quod eo liberius ad te scribo, quia non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatique favisti, simulque quod video, non, ut antehac putabam, novitati esse invisum meae — in te enim, homine omnium nobilissimo, similia invidorum vitia perspexi — quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi,

[§. 13. *Quid res, quid causa.* Res causam continet: totum enim Alexandrinum negotium significat; causa vero partem negotii, quae ad Lentulum regemque pertinet, id est, ut Lentulus ipse regem reducat. *Manut.*]

§. 14. * *de nostro statu*, quod splendorem forensem, auctoritatem in senatu, gratiam apud viros bonos consecutus sim, ep. XXXII, 3.

* *hominum*, optimatium, qui licet de republica optime sentirent, Cicereni tamen, novo homini, tantam gloriam et dignitatem adepto, invidebant atque etiam obtrectabant. MANUT. cf. ep. XLI, 23.

[*graviore.* Legebatur *graviori*; sed Cicero non nisi uno loco, Tusc. I, 49, 117, terminationem comparativorum i habet; et eo etiam loco nunc legitur *superiore e loco.*]

* *homine omnium nobilissimo*; cf. ep. LXIII, 6. *ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis existimas?*

evolare altius certe noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortu- 17
nam: multum enim interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur. Me meae tamen ne nimis poeniteret, tua virtute perfectum est: curasti enim, ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quam demptum de fortuna videretur. Te vero emoneo, quum beneficiis tuis 18
tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare, magnitudinemque animi tui, quam ego semper sum admiratus semperque amavi, ne unquam inflectas cuiusquam iniuria. Magna est hominum 19
opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. Haec profecto vides quanto expressiora quantoque illustriora futura sint, quum aliquantum ex provincia atque ex imperio laudis accesserit. Quamquam te ita gerere volo, quae per exercitum atque 20
imperium gerenda sunt, ut haec multo ante meditere, huc te pares, haec cogites, ad haec te exerceas, sentiasque, id quod, quia semper sperasti, non dubito, quin adeptus intelligas, te facillime posse obtinere summum atque altissimum gradum civitatis. Quae quidem 21
mea cohortatio ne tibi inanis aut sine causa suscepta videatur, illa me ratio movit, ut te ex nostris eventis communibus admonendum putarem, ut considerares, in omni reliqua vita quibus crederes, quos caveres.

Quod scribis te velle scire, qui sit rei publicae status: summa 22
dissensio est, sed contentio dispar. Nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profecisse tantum mihi videntur stultitia et inconstantia adversariorum, ut etiam auctoritate iam plus valerent. Itaque, per- 23
paucis adversantibus, omnia, quae ne per populum quidem sine seditione se assequi arbitrabantur, per senatum consecuti sunt: nam et stipendium Caesari decretum est et decem legati, et, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est. Quod eo ad te bre- 24
vius scribo, quia me status hic rei publicae non delectat; scribo

[§. 17. *utrum laus* etc. ad Div. I, 6. ad eundem Lentulum: *minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.*]

* *meae*, fortunae.

§. 19. * *liberalitatis*, nam aedilis curulis ludos ediderat splendidissimos; de offic. II, 16. *L. Crassus — magnificentissima aedilitate functus est; — omnes autem P. Lentulus, me consule, vicit superiores.* Idem praetor ludis Apollinaribus scenam argentatis choragiis adornavit. Valer. Max. II, 4.

§. 20. * *haec*, res urbanas.

§. 21. * *eventis communibus*, utereque enim ab iis, quorum amicitiae et fidei se crediderat, destitutus est.

§. 22. *qui plus — valent*, Pompeius, Caesar, Crassus. Eorum adversarii erant optimates, usque adeo inconstantes et stulti, ut cum Clodio contra Caesarem in gratiam redierint.

§. 23. * *stipendium*, quod legionibus suis solveret, *decem legati*, nullo exemplo, cf. de pr. consul. 12. *lege Sempronia*, C. Gracchi, qua sancitum erat, ut consulibus designatis provinciae consulares a senatu decernerentur; quod si factum esset hoc anno, Caesari e Gallis decedendum fuisset.

tamen, ut te admoneam, quod ipse, litteris optimis a pueritia deditus, experiendo tamen magis, quam discendo cognovi, tu tuis rebus integris discas, neque salutis nostrae rationem habendam nobis esse
25 sine dignitate, neque dignitatis sine salute. Quod mihi de filia et de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam, speroque et opto,
26 nobis hanc coniunctionem voluptati fore. Lentulum nostrum eximia spe summae virtutis adolescentem, quum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias. Nulla enim erit hac praestantior disciplina; quem nos, et quia tuus et quia te dignus est filius et quia nos diligit semperque dilexit, in primis amamus carumque habemus.

EPISTOLA XXXVII. (Ad Div. VII. 1.)

Scr. Romae A. U. C. 698.

M. CICERO S. D. M. MARIO.

1 Si te dolor aliqui corporis aut infirmitas valetudinis tuae tenuit, quo minus ad ludos venires, fortunae magis tribuo, quam sapientiae tuae; sin haec, quae ceteri mirantur, contemnenda esse duxisti, et quum per valetudinem posses, venire tamen noluisti, utrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse, quum ea, quae sine causa mirantur alii, neglexeris; modo, ut tibi constiterit fructus otii tui, quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, quum esses in ista
2 amoenitate paene solus relictus. Neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti et patefecisti Misenum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris, quum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos

§. 25. * *de filia et Crassipede,* Tullia prid. Non. April. Furio Crassipedi desponsata erat, ad Q. fr. II, 5.

§. 1. *dolor aliqui corp.* ad Q. fr. II, 10. *Marius et valetudine est et natura imbecillior.* Podagra eum laborasse, ex epist. 4. libri VII. ad Div. intelligitur.

ad ludos, quos dedit Pompeius iterum consul in dedicando templo Veneris victricis una cum theatro. v. Manut.

contemnenda esse duxisti. Sic Phil. II, 20, 50. *id enim unum in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus perfugium esse ducebat.* cf. infra ep. 44, §. 7. [Cf. ad ep. X, 11.]

constiterit, constans fuerit, non interpellatus, modo ut otio tuo vere frui potueris.

* *paene solus,* magna enim hominum multitudo ad ludos spectandos Romam undique convenerat; infra, *qui te istic reliquerunt.*

§. 2. *Stab. perf. et patef. Mis.* prospectum in ea loca tibi aperuisti. *Stabiae* oppidum Campaniae bello sociali deletum, in villas abierat. Plin. III, 5.

* *Misenum,* oppidum et promontorium Campaniae, ad sinum Cumanum. Apparet, M. Marium, quum Arpinas esset, tunc versatum esse in praedio haud procul Neapoli sito, unde Misenum simul et Stabias prospicere posset.

semisomni. Reliquas vero partes diei tu consumebas iis delectationibus, 3
quas tibi ipse ad arbitrium tuum compararas; nobis autem erant ea
perpetienda, quae scilicet Sp. Maecius probavisset. Omnino, si quae- 4
ris, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi: coniecturam enim facio
de meo. Nam primum honoris causa in scenam redierant ii, quos
ego honoris causa de scena decesse arbitrabar. Deliciae vero tuae,
noster Aesopus, eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines
liceret. Is iurare quum coepisset, vox eum defecit in illo loco, SI
SCIENS FALLO. Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos 5
ludos. Quid? ne id quidem leporis habuerunt, quod solent media-
cres ludi: apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem; quo
quidem apparatu non dubito quin animo aequissimo carueris. Quid 6
enim delectationis habent sexcenti muli in Clytaemnestra? aut in Equo
Troiano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equi-
tatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, de-
lectationem tibi nullam attulissent. Quodsi tu per eos dies operam 7
dedisti Protogeni tuo, dummodo is tibi quidvis potius, quam oratio-
nes meas, legerit, nae tu haud paulo plus, quam quisquam nostrum,
delectationis habuisti. Non enim te puto Graecos aut Oscos ludos
desiderasse, praesertim quum Osios ludos vel in senatu vestro spe-
ctare possis, Graecos ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam
via Graeca ire soleas. Nam quid ego te athletas putem desiderare, 8
qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompeius confitetur se
et operam et oleum perdidisse. Reliquae sunt venationes binae per 9

semisomni, quia matutino tempore.

§. 3. *Sp. Maecius* Tarpa, severus poematum iudex. Hor. Serm. I, 10, 38. Ep. ad Pis. 386.

§. 4. * *honoris causa in scenam red.*, ut Pompeii ludi apparatiores fierent, ut Pompeium honorarent, in scenam redierant senes, qui antea, ne quid aetatis vitio peccarent, sui honoris causa in scena agere desierant. — *decesse pro decessisse*; cf. loc. quos Ramsh. laudat Lucr. I, 1104. Ter. Heautont. pr. 32. (ubi *dixisse* legitur e Bentl. coni.) Stat. Theb. II, 311. Ter. Ad. III, 2, 51.

* *Aesopus*, tragoedus nobilissimus, qui Ciceroni quoque in deliciis erat, de Divin. I, 36. Macrob. Saturn. XI, 10.

* *si sciens fallo*, verba iurisiurandi. Lapidem enim silicem tenebant iuraturi per Iovem, haec verba dicentes: *Si sciens fallo, tum me Diespiter, salvo urbe arceque, bonis eiiciat, uti ego hunc lapidem.*

§. 6. *in Clytaemnestra*, fabula Attii, Agamemnonis in patriam reditum exhibente, ut *Equus Troianus* Livii Andronici. *Muli*, Troica praeda onusti. *craterarum*, in praeda et quasi pompa triumphali abductarum.

§. 7. *Protogeni*, anagnostae Marii. *Oscos l.* ludicrum levissimae apud vulgum delectationis, ut ait Tacit. Ann. IV, 14. ab Oscorum, populi veteris Campaniae, oppido Atella etiam fab. Atellanae dicti, multis iocis ineptis et obscoenis repleti. Similes ineptias in senatu, Pompeium et Caesarem adulante, spectare licebat.

* *in Senatu vestro*, municipali Arpinatium, Osca lingua loquentium. Marius enim senator Romae non fuit.

* *operam et oleum perdidisse*, cf. ep. XV, 2.

§. 9. *venationes*, θηρῶν ἄμιλλαι, ἐν αἷς πενταχόσιοι λέοντες ἀνῃρέθησαν Plut. Pomp. 52.

* *binae*, mane datae, post meridiem instauratae.

dies quinque, magnificae, nemo negat. Sed quae potest homini esse polito delectatio, quum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut praeclara bestia venabulo transverberatur? quae tamen, si videnda sunt, saepe vidisti, neque nos, qui haec spectavimus, quidquam novi vidimus. Extremus elephantorum dies fuit; in quo admiratio magna vulgi atque turbae, delectatio nulla exstitit. Quin etiam misericordia quaedam consecuta est atque opinio eiusmodi, esse quandam illi belluae cum genere humano societatem.

11 His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi me paene in iudicio Galli Caninii, familiaris tui. Quodsi tam facilem populum haberem, quam Aesopus habuit; libenter mehercule artem desinerem, tecumque 12 et cum similibus nostri viverem. Nam me quum antea taedebat, quum et aetas et ambitio me hortabatur et licebat denique, quem nolebam, non defendere, tum vero hoc tempore vita nulla est: neque enim fructum ullum laboris exspecto, et cogor nonnunquam homines non optime de me meritos rogatu eorum, qui bene meriti 13 sunt, defendere. Itaque quaero causas omnes aliquando vivendi arbitratu meo, teque et istam rationem otii tui et laudo vehementer et probo, quodque nos minus intervisis, hoc fero animo aequiore, quod, si Romae esses, tamen neque nos tempore tuo, neque te, si qui est in me, meo frui liceret propter molestissimas occupationes meas; quibus si me relaxaro, (nam ut plane exsolvam, non postulo,) te ipsum, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, 14 quid sit humaniter vivere. Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta et tuere, ut facis, ut nostras villas obire et mecum 15 simul lecticula concursare possis. Haec ad te pluribus verbis scripsi, quam soleo, non otii abundantia, sed amoris erga te, quod me quadam epistola subinvitaras, si memoria tenes, ut ad te aliquid eiusmodi scriberem, quo minus te praetermisisse ludos poeniteret. Quod si assecutus sum, gaudeo; sin minus, hoc me tamen consolor,

§. 10. *misericordia.* Plin. VIII, 7. *Amissa fugae spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris et munificentiae honori suo exquisitae flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.* Idem narrat Dio I. 39. c. 38. Pugnasse viginti aut secundum alios sedecim, narrat Plin. l. c.

§. 11. * *ludis scenicis*, qui dies festi non erant, quod non anniversarii, sed extra ordinem dati erant Pompeii ludi.

* *Galli Caninii*, cf. ep. XXXVI, 6.

§. 12. * *vita nulla est*, cf. ep. CVI, 7. *Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit.*

* *cogor — defendere*, cf. ep. XLI, 54.

§. 13. * *aliquando*, de re diu exspectata, quae tandem usu venit, cf. ep. CLXVI, 1. *quum vehementer tabellarios exspectarem, aliquando venerunt.*

humaniter, iucunde simul et honeste, cum iis voluptatibus et studiis, quibus remittitur quidem animus, nunquam tamen a virtute disiungitur. *Man.*

quod posthac ad ludos venies nosque vises, neque in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuae.

EPISTOLA XXXVIII. (Ad Div. VII. 5.)

Scr. Romae mense Februario aut Martio A. U. C. 699.

CICERO CAESARI IMP. S. D.

Vide, quam mihi persuaserim, te me esse alterum, non modo 1
in iis rebus, quae ad me ipsum, sed etiam in iis, quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocunque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus studiis, beneficiis quam ornatissimum domum reducerem. Sed posteaquam et Pompeii commoratio diuturnior erat, 2
quam putaram, et mea quaedam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam videbatur aut certe tardare, vide, quid mihi sumpserim: coepi velle, ea Trebatium exspectare a te, quae sperasset a me; neque mehercule minus ei prolixe de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. Casus vero mirificus quidam 3
intervenit, quasi vel testis opinionis meae vel sponsor humanitatis tuae: nam quum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, litterae mihi dantur a te, quibus in extremis scriptum erat: „M. Orfium, quem mihi commendas, vel regem Galliae faciam vel hunc Leptae delega, si vis. Tu ad me alium mitte, quem ornem.“ Sustulimus manus et ego et Balbus; tanta fuit oppor- 4
tunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea sponte, 5
post autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Caesar, sic 6
velim omni tua comitate complectare, ut omnia, quae per me possis adduci, ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas; de quo tibi homine haec spondeo, non illo vetere verbo meo, quod, quum

§. 15. *neque in epist. rel.* neque hanc solam spem mihi relinques, fore ut epistolis tantum meis tibi delectationis aliquid afferam.

§. 1. * *C. Trebatium* Testam, iuris peritum, quem Cicero in deliciis habebat, cf. ad Div. VII, 6—19.

quocunque exirem. Sperabat se exiturum in Hispaniam, legatum Pompeii, cui lege Trebonia ea provincia in quinquennium demandata erat. Sed non profectus est in provinciam Pompeius. — * *exirem*, ut ep. XXXIII, 15.

§. 2. *dubitatio.* Verebatur enim, ne Clodius absenti negotium facesseret.

§. 3. *cum Balbo nostro*, L. Cornelio B. Gaditano, Caesaris et Ciceronis amicissimo, pro quo exstat oratio.

Leptae delega, qui eum ornet. Sed tota historia et homo ille ignotus est. * Videtur tamen Caesar his verbis iocans significare, Orfium illum Ciceronis commendatione dignum non fuisse.

§. 4. *Sustulimus manus.* Acad. Qu. IV, 19. *Hortensius vehementer admirans, ut etiam manus saepe tolleret.* Catull. 53. *admirans ait haec manusque tollens.*

ad te de Milone scripsissem, iure lusisti, sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam
7 ducit, in iure civili singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque ullius beneficii certum nomen peto; benevolentiam tuam et liberalitatem peto, neque impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolae
8 insignibus. Totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum tuam istam, et victoria et fide praestantem. Simus enim putidiusculi, quam per te vix licet: verum, ut video, licebit. Cura, ut valeas, et me, ut amas, ama.

EPISTOLA XXXIX. (Ad Q. Fr. II. 14.)

Scr. in Cumano vel Pompeiano mense Maio A. U. C. 699.

MARCUS Q. FRATRI S.

1 Duas adhuc a te accepi epistolas, quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam; plures, quas scribis te dedisse,
2 non acceperam. Ego me in Cumano et Pompeiano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. Et eram in iisdem locis
3 usque ad Kal. Iun. futurus. Scribebam illa, quae dixeram, *πολιτικά*, spissum sane opus et operosum. Sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, in illud ipsum mare deiiciemus,
4 quod spectantes scribimus. Aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligenter et adiungendis hominibus

§. 6. * *de Milone*, videtur Cicero Milonem in consulatus petitione Caesari commendasse, quamquam Milo ab optimatium partibus stabat et Caesari plurimum adversabatur.

more Romano, exquisito et praestanti quodam genere commendationis.

* *quod familiam ducit*, quod caput est; sic de Fin. IV, 16. *Primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum.*

§. 7. * *tribunatum*, militum, *praefecturam*, fabrum.

§. 8. *de manu — in manum*. Dicitur de iis, quae, quia tanquam nostra plurimi facimus, diligentissime aliis tradimus. Cf. Cortium ad Sallust. Iug. 63. Ad sqq. cf. or. pro r. Deiot. c. 3. *per dexteram te istam oro, non tam in bellis et in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem.*

* *putidiusculi, quam*; sic Ter. Eun. III, 3, 21. *Thais, quam ego sum, maiuscula est. — licebit*, paullo putidiorem esse.

Ep. XXXIX. *Q. Fratri*, qui tunc legatus erat Caesaris.

§. 1. *Arimino*, primo provinciae Caesaris oppido, quum Quintus ad Caesarem proficisceretur. * *Ariminum* oppidum erat Umbriae, non Galliae; cf. Caes. b. civ. I, 10. *Caesar in Galliam reverteretur, Arimino excederet.*

§. 2. * *Cumae* et *Pompeii*, oppida Campaniae.

§. 3. *πολιτικά*, libros de re publica. [Vid. ad Qu. Fr. III, 5.]

et quibusdam non alienandis. Maximae mihi vero curae erit, ut 5
Ciceronem tuum nostrumque videam scilicet quotidie; sed inspiciam
quid discat quam saepissime, et, nisi ille contemnet, etiam magistrum
me ei profitebor; cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in
hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore producendo. Tu, 6
quemādmodum scribis, quod, etiamsi non scriberes, facere te dili-
gentissime tamen sciebam, facies, scilicet, ut mea mandata digeras,
persequare, conficias. Ego, quum Romam venero, nullum praeter-
mittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem. His diebus 7
(ignosces) cui darem, fuit nemo ante hunc M. Orfium, equitem
Romanum, nostrum et pernecessarium, et quod est ex municipio
Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo
in maiorem modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam
extra domum; quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. Est tribunus
militum in exercitu vestro. Gratum hominem observantemque cognosces.
Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo.

EPISTOLA XL. (Ad Q. Fr. II. 15.)

Scr. Romae mense Iunio A. U. C. 699.

MARCUS Q. FRATRI S.

A. d. IIII. Non. Iun., quo die Romam veni, accepi tuas litteras, 1
datas Placentia, deinde alteras, postridie datas Laude, Nonis cum
Caesaris litteris, refertis omni officio, diligentia, suavitate. Sunt 2
ista quidem magna, vel potius maxima: habent enim vim magnam
ad gloriam et ad summam dignitatem. Sed mihi crede, quem nosti:
quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id iam habeo, te scilicet
primum tam inservientem communi dignitati, deinde Caesaris tantum
in me amorem, quem omnibus iis honoribus, quos me a se exspe-
ctare vult, antepono. Litterae vero eius una datae cum tuis, — 3
quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit et recordatio
veteris amoris; deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore ac

§. 5. * *tuum nostrumque*, Q. filium, cf. ep. XXIV, 23.

* *minore* addit ut a Quinti filio suum distinguat.

* *producendo*, ad ῥήσεις ac declamatiunculas inter amicos recitandas. ORELL.

[§. 6. *digeras*. *Digerere* prudentiae est, *persequi* diligentiae, *conficere* constantiae; quibus tribus virtutibus officium eius, cui aliquid mandatum est, omne continetur. *Mam.*]

§. 7. * *M. Orfium*, non eundem de quo ep. XXXVIII, 3. — *nostrum et pernecessarium et quod*, nobis deditum, et quod necessitudine coniunctus, et quod sq. — *municipio Atellano*, Campaniae.

Ep. XL. 1. *Laus* oppidum est prope Placentiam. * *Laus Pompeia* dicitur, quia Pompeius Strabo in oppidum a Boiis conditum coloniam Romanam duxerat.

desiderio tui, te, quum a me abesses, potissimum secum esse lae-
4 tarer; — incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia
5 mea studia in istum unum conferam. Ego verò ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod saepe viatoribus, quum properant, evenit, ut, si serius, quam voluerint, forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant, quo velint; sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem, quum equis, tum vero (quoniam scribis poëma ab eo nostrum probari) quadrigis poëticis. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis,
6 penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur? sed videro. Fortasse
7 enim, ut fit, vincet tuus amor omnes difficultates. Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam gratias mihi agit. Negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse,
8 qui vadimonium concipere posset. M. Curtio tribunatum ab eo petivi; (nam Domitius se derideri putasset, si esset a me rogatus: hoc enim est eius quotidianum, se ne tribunum militum quidem facere; etiam in senatu lusit Appium collegam, propterea isse ad Caesarem, ut
9 aliquem tribunatum auferret) sed in alterum annum. Id et Curtius ita volebat. Tu, quemadmodum me censes oportere esse in re publica et in nostris inimicitiis, ita et esse et fore auricula infima
10 scito molliorem. Res Romanae se sic habebant: erat nonnulla spes comitiorum, sed incerta; erat aliqua suspicio dictaturae, ne ea quidem certa; summum otium forense, sed senescentis magis civitatis, quam acquiescentis. Sententia autem nostra in senatu eiusmodi, magis ut alii nobis assentiantur, quam nosmet ipsi. *Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.*

§. 3. * *delectarunt*, sc. me, quod facile subintelligitur.

§. 4. * *currentem*, cf. ad ep. XIII, 96.

§. 5. * *de nocte*, cf. pr. Mur. 33. *qua in civitate rogati infimorum hominum filios prope de nocte ex ultima saepe urbe deductum venire soleamus.* Hor. Ep. I, 2, 32. *Ut iugulent homines surgunt de nocte latrones.*

* *poëma nostrum*, quod de rebus a Caesare gestis scribere in animo habebat et aliquanto post absolvit, cf. ad Q. fr. III, 9, 6.

* *quum equis, tum vero quadrigis*, cf. de Off. III, 33. *cum his viris equisque, ut dicitur, — decertandum est.*

* *coloribus tuis*, narratione tua de rebus a Caesare gestis.

§. 6. * *iste*, Caesar.

§. 7. * *concipere*, verbis in vadimonii formulis solemnibus.

§. 8. * *M. Curtio*, Postumo, qui postea multum apud Caesarem valebat. *Domitius*, Aënobarbus, consul cum Appio Claudio Pulchro, Caesaris adversarius. [*rogatus*, ut ad Caesarem scriberet de tribunatu mil. Curtio mandando. *Man.*]

[§. 9. *auricula inf.* — *moll.* neque acrem in tuenda rep. neque acerbum in persequendis inimicis, sed in utroque remissum ac lenem. *Man.*]

§. 10. *τοιαῦθ' ὁ τλ.* versus ex Eurip. Suppl. 119.

EPISTOLA XLI. (Ad Div. I. 9.)

Scr. Romae mense Sept. A. U. C. 699.

M. T. CICERO P. LENTULO IMP. S. D.

Periucundae mihi fuerunt litterae tuae, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem; quid enim dicam benevolentiam, quum illud ipsum gravissimum et sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur? Quod autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quae praetermitti sine nefario scelere non possunt. Tibi autem multo notior atque illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo diiuncti fuimus, et una et Romae fuissemus. Nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturum, quodque et in primis potes et ego a te vehementer exspecto, in sententiis senatoriis et in omni actione atque administratione rei publicae floruissemus. De qua ostendam equidem paullo post, qui sit meus sensus et status, et rescribam tibi ad ea, quae quaeris; sed certe et ego te auctore amicissimo ac sapientissimo, et tu me consiliario, fortasse non imperitissimo, fideli quidem et benevolo certe, usus esses. Quamquam tua quidem causa te esse imperatorem provinciamque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, ut debeo, laetor; sed certe qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores et praesentiores praesens capere potuisses. In eis vero ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meae, partim invidere propter illius actionis amplitudinem et gloriam, mirificum me tibi comitem praebuissem; quamquam ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus in te potissimum fractam illam et debilitatam vim suam contulit, nostram vicem ultus est ipse sese: ea est enim conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum, non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo, eam fidem cognosse hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota tam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quae quaeris.

1 2 3 4 5 6 7 8

§. 1. * *meritis tuis*, nam Lentuli potissimum opera Cicero restitutus est.

[*provinciam*. Ciliciam, cui praefuit ab a. 697 usque ad 700.]

§. 6. * *imperatorem*, ab exercitu appellatum victoria reportata, ex qua postea triumphavit, cf. ad Att. V, 21, 4.

§. 7. *perennis inimicus*. Videtur esse C. Cato, qui biennio ante trib. pl. rogationem tulerat, ut imperium Lentulo abrogaretur, ad Div. I, 5.

libertatis, potestatis libere faciendi, quod vellet, imprimis sententiam libere dicendi.

9 Certiorem te per litteras scribis esse factum, me cum Caesare et cum Appio esse in gratia, teque id non reprendere adscribis; Vatinium autem scire te velle ostendis, quibus rebus adductus defenderim et laudarim. Quod tibi ut planius exponam, altius paullo ratio-
10 nem consiliorum meorum repetam necesse est. Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum non solum meis, sed etiam rei publicae restitutum putabam, et, quoniam tibi incredibilem quendam amorem et omnia in te ipsum summa ac singularia studia deberem, rei publicae, quae te in me restituendo multum adiuvisset, eum certe me animum merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio civium, non alicui erga me singulari beneficio debi-
11 tum praestitissem. Hac me mente fuisse, et senatus ex me, te consule, audivit, et tu in nostris sermonibus collocutionibusque ipse
12 vidisti; etsi iam primis temporibus illis multis rebus meus offendebatur animus, quum, te agente de reliqua nostra dignitate, aut occulta
13 nonnullorum odia aut obscura in me studia cernebam. Nam neque de monumentis meis ab iis adiutus es, a quibus debuisti, neque de vi nefaria, qua cum fratre eram domo expulsus, neque hercule in iis ipsis rebus, quae, quamquam erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariae, tamen a me minimi putabantur in meis damnis, ex auctoritate senatus sarciendis eam voluntatem, quam exspe-
14 ctaram, praestiterunt. Quae quum viderem, (neque enim erant obscura) non tamen tam acerba mihi haec accidebant, quam erant
15 illa grata, quae fecerant. Itaque quamquam et Pompeio plurimum, te quidem ipso praedicatore ac teste, debebam, et eum non solum beneficio, sed amore etiam et perpetuo quodam iudicio meo diligebam, tamen non reputans, quid ille vellet, in omnibus meis senten-
16 tiis de re publica pristinis permanebam. Ego sedente Cn. Pompeio, quum, ut laudaret P. Sestium, introisset in urbem, dixissetque testis

§. 9. *cum Appio*, Clodii fratre, consule eius anni.

Vatinium, quem quam graviter et quare oderit, testis est oratio in V. quae exstat. Eundem defendit postea rogatu Caesaris. infr. §. 54. cf. ad Div. V, 9. * Odium Ciceronis in Vatinium in proverbium abiit, cf. Catull. XIV, 3. *Odissem te odio Vatiniano.*

* *laudarim*; defendebant reos patroni, laudabant viri nobiles, ut eorum auctoritas ac testimonium quasi commendaret eos iudicibus. MAN. cf. §. 16. 54.

* *altius paullo*, exponit enim ad §. 56. usque, cur Caesarem sibi oruandum putarit eiusque dignitatem tuendam susceperit.

[§. 10. *actionum tuarum*, quum agere de reliqua nostra dignitate (§. 12.) coepisses, i. e. de domo recuperanda et damnis rei familiaris sarciendis, ep. XXXIII.]

§. 12. *dignitate*, iis rebus, quae me dignae essent, mihi deberentur, ut restitutione domus etc. cf. supra ep. XXXIII, 14.

§. 13. *monumentis*, domo, publico sumtu instauranda.

de vi nefaria, vid. ep. XXXIV.

* *rei familiaris naufragia*; similiter pr. Sest. 6. *me totum superioris anni reipublicae naufragium exponere.* cf. ep. XXVII, 18.

§. 16. * *P. Sestium*, de vi accusatum ab Albinovano lege Lutatia.

* *introisset in urbem*, a senatu

Vatinius, me, fortuna ac felicitate C. Caesaris commotum, illi amicum esse coepisse, dixi, me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis victoriisque anteferre, dixique eodem teste, alio loco, eosdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent, et qui me coëgissent. Tota vero interrogatio mea nihil habuit, nisi 17
reprehensionem illius tribunatus; in quo omnia dicta sunt libertate animoque maximo, de vi, de auspiciis, de donatione regnorum. Neque vero hac in causa modo, sed constanter saepe in senatu. Quin 18
etiam, Marcellino et Philippo consulibus, Nonis April. mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur. Num potui magis in arcem illius causae invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, meminisse actionum? Hac a me 19
sententia dicta, magnus animorum metus est factus, quum eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putaram: nam hoc senatusconsulto in meam sententiam facto, Pompeius, quum mihi nihil ostendisset se esse offensum, in Sardiniam et in Africam profectus est, eoque itinere Lucam ad Caesarem venit. Ibi multa de mea sententia questus est Caesar, quippe qui etiam Ravennae Crassum ante vidisset, ab eoque in me esset incensus. Sane moleste 20
Pompeium id ferre constabat; quod ego, quum audissem ex aliis, maxime ex meo fratre cognovi. Quem quum in Sardinia Pompeius paucis post diebus, quam Luca discesserat, convenisset, „Te, inquit, ipsum cupio; nihil opportunius potuit accidere; nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti.“ Quid multa? questus est graviter; sua merita commemoravit; 21
quid egisset saepissime de actis Caesaris cum ipso meo fratre; quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit; seque, quae de mea salute egisset, voluntate Caesaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est; cuius causam dignitatemque mihi ut commendaret, roga-

legibus solutus; nam quia cum imperio erat, urbem intrare ei non licuit.

* *Bibuli*, cf. ep. XVII. — *coëgissent*, domo exire in exsilium.

§. 17. *interrogatio*, oratio in Vatinium, quam eodem nomine appellat eius orationis c. 16. extr.

de vi, qua Bibulum cos. in vincula duxit. in Vatin. 9.

de auspiciis, quibus neglectis Vatinius leges pro Caesare tulit. in Vatin. 6. 7.

de donat. regn. in Vatin. 12. *volo uti mihi respondeas, fecerisne foedera trib. pl. cum civitatibus, cum regibus, cum tetrarchis?*

§. 18. *de agro Campano*, e lege Caesaris cos. dividendo.

illius causae, Caesaris ac Pompeii.

actionum, ante exsilium pro rep. susceptarum.

§. 19. * *quorum nunquam putaram*, Pompeii.

* *profectus est*, rei frumentariae causa.

* *Lucam*, in oppidum Etruriae, provinciae Caesaris proximum.

* *de mea sententia*, ut de agro Campano referretur.

* *Ravennae*, in Gallia Cisalpina.

§. 20. * *in Sardinia*, ubi Quintus erat legatus Pompeii, cf. ad Q. fr. II, 2, 1.

§. 21. *de actis Caesaris* sc. a me non impugnandis et labefactandis.

22 vit, ut eam ne oppugnarem, si nollem aut non possem tueri. Haec quum ad me frater pertulisset, et quum tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reservarem; collegi ipse me, et cum ipsa quasi re publica collocutus sum, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut officium meum memoremque in benemeritos animum fidemque fratris mei praestarem, eumque, quem bonum civem
23 semper habuisset, bonum virum esse pateretur. In illis autem meis actionibus sententiisque omnibus, quae Pompeium videbantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones afferebantur ad me; qui, quum illa sentirent in re publica, quae ego agebam, semperque sensissent, me tamen non satisfacere Pompeio
24 Caesaremque inimicissimum mihi futurum, gaudere se aiebant. Erat hoc mihi dolendum; sed multo illud magis, quod inimicum meum, — meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium — sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me praesente osculabantur, non illi quidem, ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi, sed certe ut facere se arbitrarentur. Hic ego, quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus meis omnibus rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium, quam tibi, si potero, breviter exponam.

25 Ego, si ab improbis et perditis civibus rem publicam teneri viderem, sicut et meis temporibus scimus et nonnullis aliis accidisse, non modo praemiis, quae apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus ullis, quibus tamen moventur etiam fortissimi viri, ad eorum causam me adiungerem, ne si summa quidem eorum
26 in me merita constarent. Quum autem in re publica Cn. Pompeius princeps esset, vir is, qui hanc potentiam et gloriam maximis in rem publicam meritis praestantissimisque rebus gestis esset consecutus, cuiusque ego dignitatis ab adolescentia fautor, in praetura autem et in consulatu adiutor etiam exstitissem, quumque idem auctoritate et sententia per se, consiliis et studiis tecum me adiuvisset, meumque

§. 22. * *Vibullium*, Q., qui civili bello in Pompeii exercitu praefectus fabrum fuit. — *integrum*, cf. ep. V, 17.

* *bonum virum esse*, cf. de Off. III, 15. *vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini.*

§. 23. *certorum hominum*, ut Catonis, Bibuli, Domitii, Caesaris inimicorum. * cf. ad Div. I, 2, 3. *a certis hominibus*; ep. CXIII, 5. *certorum hominum*; ep. IX, 15. ep. LXXVI, 4.

§. 24. * *inimicum meum*, Clodium.

§. 25. * *meis temporibus*, tempore exsilii mei.

* *non modo praemiis*, cf. ad ep. XXXIII, 1.

§. 26. *in praetura*, suadendo legem Manilium. *in consulatu*, decernenda supplicatione X dierum, bello Mithridatico confecto.

sententia, de reditu meo. pro Mil. 15. *cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est.*

inimicum unum in civitate haberet inimicum; non putavi famam inconstantiae mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paullum me immutassem, meamque voluntatem ad summi viri de meque optime meriti dignitatem aggregassem. In hac sententia complectendus erat 27
mihi Caesar, ut vides, in coniuncta et causa et dignitate. Hic multum valuit quum vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi et Q. fratri cum Caesare fuisse, tum humanitas eius ac liberalitas, brevi tempore et litteris et officiis perspecta nobis et cognita. Vehementer 28
etiam res ipsa publica me movit, quae mihi videbatur contentionem, praesertim maximis rebus a Caesare gestis, cum illis viris nolle fieri, et, ne fieret, vehementer recusare. Gravissime autem me in hanc 29
mentem impulit et Pompeii fides, quam de me Caesari dederat, et fratris mei, quam Pompeio. Erant praeterea haec animadvertenda in 30
civitate, quae sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus: „Quales in re publica principes essent, tales reliquos solere esse cives.“ Tenebam memoria, nobis consulibus, ea fundamenta iacta ex Kalen- 31
dis Ianuariis confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret, Nonis Decembribus tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis. Idemque memineram, nobis privatis usque ad Caesarem et Bibulum 32
consules, quum sententiae nostrae magnum in senatu pondus haberent, unum fere sensum fuisse bonorum omnium. Postea quum tu 33
Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque res publica consules haberet, sed mercatores provinciarum et seditionum servos ac ministros, iecit quidam casus caput meum, quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemque civilem. Quo in discrimine 34
quum mirifica senatus, incredibilis Italiae totius, singularis omnium bonorum consensio in me tuendo exstitisset; non dicam quid acciderit, (multorum est enim et varia culpa;) tantum dicam brevi, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo, ut iam sit in iis culpa, 35
qui me non defenderunt, non minor est in iis, qui reliquerunt; et,

§. 29. * *quam Pompeio*, cf. §. 20.

§. 30. *apud Platonem.* Respexisse videtur ad Plat. Leg. IV. p. 175. Bip. μηδεὶς ἡμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἂν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ. [Cf. Cic. Leg. III, 13, 30. 14, 31.]

§. 31. *ex Kal. Ian.* in Pis. 2. *ego Kal. Ian. senatum et bonos omnes legis agrariae maximarumque largitionum metu liberavi.*

Nonis Decembr. v. epist. XII, 10.

§. 33. *Hispan. cit.* Caesare et Bibulo coss. ex praetura.

mercatores prov. pro Sestio c. 10. de Pisone et Gabinio: *foedus fecerunt cum trib. pl. palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent, exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius trib. pl. afflictam et constrictam remp. tradidissent. Id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant.* cf. de provinc. cons. c. 4. in Pis. 21.

* *seditionum servos*, Clodius enim dux erat seditionis, consules vero, qui ei resistere debebant, adeo adiuvabant eum.

§. 34. * *mirifica — consensio*, cf. ep. XXVII, 12. 17.

§. 35. * *qui reliquerunt*, qui auxilium, quod initio promiserant, non

si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi,
36 si qui se timere simularunt. Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est, qui meos cives et a me conservatos et me servare cupientes, spoliatos ducibus, servis armatis obiici noluerim, declararique maluerim, quanta vis esse potuisset in consensu bonorum, si iis pro me stante pugnare licuisset, quum afflictum excitare potuis-
37 sent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solum, quum de me ageres, sed etiam confirmasti atque tenuisti. Qua in causa — non modo non negabo, sed etiam semper et meminero et praedicabo libenter — usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quam fuerant iidem in tenendo; qua in sententia si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recu-
38 perassent. Recreatis enim bonis viris consulatu tuo et constantissimis atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio praesertim ad causam adiuncto, quum etiam Caesar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus et novis honoribus ac iudiciis senatus, ad auctoritatem eius ordinis adiungeretur, nulli improbo civi locus ad rem publicam
39 violandam esse potuisset. Sed attende, quaeso, quae sunt consecuta: Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores, impunitatem est illorum sententiis assecutus, qui, quum tribunus plebis poenas a seditioso civi per bonos viros iudicio persequi vellet, exemplum praeclarissimum in posterum vindicandae seditionis de re publica sustulerunt; iidemque postea non meum monumentum, — non enim illae manubiae meae, sed operis locatio mea fuerat, — monumentum vero senatus hostili nomine et
40 cruentis inustum litteris esse passi sunt. Qui me homines quod salvum esse voluerunt, est mihi gratissimum; sed vellem non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed, ut aliptae, etiam virium

tulerunt atque fugae ignominiosae auctores exstiterunt.

§. 37. * *quibusdam nobilissimis hominibus*, optimatibus fere omnibus, Lucullo, Torquato, Domitio, ipso quoque Pompeio.

§. 38. *honoribus ac iud.* supplicatione XV dierum, stipendio exercitus, decem legatis. [*iudiciis*. Vid. ad or. pro S. Rosc. §. 108. et Add. pro l. Man. §. 43. Cf. pro Sext. §. 113.]

§. 39. * *illa furia*, cf. ad Q. fr. III, 1, 11. — *muliebrium religionum*, cf. ep. VII, 8.

tres sorores. Plut. Cicer. c. 29. *Λεύκουλλος δὲ καὶ Θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει· πολλὴ δ' ἦν δόξα, καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερεντίαν μὲν Μάρκος Ῥῆξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν Κουαδραντίαν ἐκάλουν.*

impunitatem, quum post ea, quae narrantur ep. XXXIV. a Milone trib. pl. de vi accusato Clodio, effectum est, ut iudicium non prius haberetur, quam aedilis factus Clodius non amplius in iudicium vocari posset. vid. pro Sextio 41 — 44.

monumentum sen. atrium Libertatis in imo Palatio post oppressam Catilinae coniurationem, Ciceronе locante, ex SC. aedificatum. * cf. etiam ep. XIII, 57.

hostili nomine Clodii.

§. 40. * *aliptae*, servi, qui in balneis lavantium artus inungebant,

et coloris rationem habere voluissent. Nunc, ut Apelles Veneris 41
caput et summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem
corporis inchoatam reliquit, sic quidam homines in capite meo solum
elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. In 42
quo ego spem fefelli non modo invidorum, sed etiam inimicorum
meorum; qui de uno acerrimo et fortissimo viro, meoque iudicio
omnium magnitudine animi et constantia praestantissimo, Q. Metello,
Lucii filio, quondam falsam opinionem acceperunt, quem post redi-
tum dictitant fracto animo et demisso fuisse. (Est vero probandum,
qui et summa voluntate cesserit, et egregia animi alacritate afuerit,
neque sane redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse, in quo
quum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem virum,
constantia et gravitate superasset.) Sed, quod de illo acceperant 43
aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo
me futurum, quum res publica maiorem etiam mihi animum, quam
unquam habuissem, daret, quum declarasset, se non potuisse me
uno civi carere, quumque Metellum unius tribuni plebis rogatio, me
universa res publica, duce senatu, comitante Italia, promulgantibus
octo tribunis, referente consule, comitiis centuriatis, cunctis ordini-
bus, hominibus incumbentibus, omnibus denique suis viribus reci-
peravisset. Neque vero ego mihi postea quidquam assumpsi, neque 44
hodie assumo, quod quemquam malevolentissimum iure possit offen-
dere; tantum enitor, ut neque amicis neque etiam alienioribus opera,
consilio, labore desim. Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, 45
qui splendorem et speciem huius vitae intuentur, sollicitudinem autem
et laborem perspicere non possunt. Illud vero non obscure querun- 46
tur, in meis sententiis, quibus ornem Caesarem, quasi desciscere
me a pristina causa. Ego autem quum illa sequor, quae paullo ante

item unctores, qui athletas certaturos ungebant.

§. 41. * *Veneris*, Coae, cf. de Off. III, 2.

§. 42. *Q. Metello*, Numidico, a Saturnino electo, quod in eius legem iurare noluerat. Cum eius exsilio suum etiam, ut h. l. comparat pro Sext. 16.

[*Est vero probandum.* Ironia, quae negandi vim habet, quum affirmare tamen verba ipsa videantur. *Manut.* De Metello Valer. Max. IV, 1, 13. *Numidicus Met. populari factione patria pulsus in Asiam secessit. In qua quum ei forte, ludos Trallibus spectanti, litterae redditae essent, quibus scriptum erat, maximo senatus et populi consensu reditum illi in urbem datum, non e theatro prius abiit, quam spectaculum ederetur, non laetitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summum gaudium intra se continuit. Eundem constat pari vultu et exsulem fuisse et restitutum.*]

[*M.* Aemilium *Scaurum* (Cos. a. u. 638. et principem Sen.) *qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit.* Cic. pro Sestio 47.]

§. 43. *unius trib. pl.* Q. Calidii. pro Planc. 28.

* *universa respublica*, cf. ep. XXXII, 6. *octo tribunis*, cf. ep. XXIX, 10.

* *referente consule*, ipso Lentulo.

§. 46. * *a pristina causa*, optimatium.

proposui, tum hoc non in postremis, de quo coeperam exponere.
47 Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti; qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, afflictus ante te consulem, recreatus abs te, totus est nunc ab iis, a quibus tuendus fuerat, derelictus; idque non solum fronte atque vultu, quibus simulatio facillime sustinetur, declarant ei, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur, sed etiam sententia saepe
48 iam tabellaque docuerunt. Itaque tota iam sapientium civium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia et voluntas mutata esse debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego vehementer auctorem sequor, tantum contendere in re publica, quantum probare tuis civibus possis, vim neque parenti, nec patriae afferre oportere.
49 Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendae rei publicae fuisse, quod, (quum offendisset populum Atheniensem prope iam desipientem senectute, quumque eum nec persuadendo nec cogendo regi posse vidisset) quum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse
50 non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quod neque desipiente populo, nec integra re mihi ad consulendum, capesseremne rem publicam, implicatus tenebar. Sed laetatus tamen sum, quod mihi liceret in
51 eadem causa et mihi utilia et cuivis bono recta defendere. Huc accessit commemoranda quaedam et divina Caesaris in me fratremque meum liberalitas; qui mihi, quascumque res gereret, tuendus esset, nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiam si in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur. Sic enim te existimare velim: quum a vobis, meae salutis auctoribus, discesserim, neminem esse, cuius officiis me tam esse devinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam.
52 Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea, quae a me de Vatinio et de Crasso requiris: nam de Appio quod scribis, sicuti

§. 47. *nonnunquam*, imprimis Caesare cons.

afflictus, Gabinio et Pisone coss.

* *nostro illo statu*, me stante, cf. §. 36.

sententia, in senatu, *tabella*, in iudiciis. Innuere videtur absolutionem Clodii.

§. 48. *Plato*, in Critone p. 51. B. C. (118. ed. Bip.) *καὶ ἐν πολέμῳ καὶ ἐν δικαστηρίῳ καὶ πανταχοῦ ποιητέον ἃ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις τε καὶ ἡ πατρὶς, ἢ πείθειν αὐτὴν, ἢ τὸ δίκαιον πέφυκε· βιάζεσθαι δὲ οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα.*

§. 49. * *quod* iungendum cum verbis *cogi fas esse non arbitraretur*. Respexit Cic. ad locum in Plat. ep. 5. p. 322. A. B. *Ἐὰν δέ τις ἀκούσας ταῦτα εἴπῃ, Πλάτων, ὡς ἔοικε, προσποιεῖται μὲν τὰ δημοκρατίᾳ ξυμφέροντα εἰδέναι, ἐξὸν δ' ἐν τῷ δήμῳ λέγειν καὶ συμβουλεύειν αὐτῷ τὰ βέλτιστα οὐπώποτε ἀναστὰς ἐφθέγξατο, πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν ἐστιν, ὅτι Πλάτων ὀψὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου συμβουλῇ πράττειν, ἐπεὶ πάντων ἂν ἥδιστα καθάπερ πατρὶ συνεβούλευεν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο, πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν.*

§. 50. * *integra re*, cf. §. 22.

de Caesare, te non reprehendere, gaudeo tibi consilium probari meum. De Vatinio autem, primum reditus intercesserat in gratiam 53
per Pompeium, statim ut ille praetor est factus, quum quidem ego eius petitionem gravissimis in senatu sententiis oppugnassem, neque tam illius laedendi causa, quam defendendi atque ornandi Catonis. Post autem Caesaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. Cur autem laudarim, peto a te, ut id a me neve in hoc reo 54
neve in aliis requiras, ne tibi ego idem reponam, quum veneris; tametsi possum vel absenti. Recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miseris. Nec hoc pertimueris: nam a me ipso laudantur et laudabuntur iidem. Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam 55
ille stimulus, de quo in iudicio, quum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi:

Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet: Phaedriam intromittamus comissatum; tu: Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam: tu huius contra; denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi a iudicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines et de 56
me optime meriti nimis amarent inimicum meum, meque inspectante saepe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur, quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere. Neque solum dixi, sed etiam saepe facio, diis hominibusque approbantibus.

Habes de Vatinio; cognosce de Crasso. Ego, quum mihi cum 57
illo magna iam gratia esset, quod eius omnes gravissimas iniurias

§. 53. ***praetor est factus,*** **Pompeio et Crasso coss. Plut. Pomp. 52.** *τὸν Κάτωνα τοῦ δήμου στρατηγὸν αἱρουμένου καὶ τὴν ψῆφον ἐπιφέροντος, Πομπήϊος ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν, οἰωνοὺς αἰτιώμενος, Ἀντίαν δὲ καὶ Βατίνιον ἀνηγόρευσαν, ἀργυρίῳ τὰς φυλὰς διαφθείραντες.*

§. 54. ***defenderem.*** **Accusatus erat Vatinius a C. Licinio Calvo de ambitu, quod comitia praetoria corrupisset, eo ipso anno, quo haec epistola scripta est.**

[*ut neve — neve.* de offic. 1, 39, 141. *ut neve maior neve minor cura suscipiatur.*]

[*idem reponam,* ad me defendendum respondeam, item ex te quaerens, cur nonnulles in iudicio laudaris, de quibus tamen haud optime sentias.]

[*ex ultimis terris,* ex Hispania citeriore §. 33. * et ex Cilicia.]

§. 55. ***in Eunucho*** **Act. III. sc. 1. v. 50.**

§. 56. * ***nimis amarent inimicum meum,*** **cf. §. 24.**

[*severe seducerent,* quasi de gravibus seriisque rebus cum eo deliberaturi. *Manut.*]

*** *leviter repungere,* nam Vatinius, qui totus a Caesare pendebat, optimatibus erat maxime omnium invisus.**

§. 57. * ***gravissimas iniurias,*** **quod Clodium in Cicerone expellendo adiuverat.**

communis concordiae causa voluntaria quadam oblivione contriveram, repentinam eius defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrime oppugnasset, tamen, si sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem; sed, quum me disputantem, non lacessentem, laesisset, exarsi, non solum praesenti, credo, iracundia, (nam ea tam vehemens fortasse non fuisset) sed, quum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repente apparuit.
58 Quo quidem tempore ipso quidam homines, et iidem illi, quos saepe significatione appello, quum se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, meque tum denique sibi esse visum rei publicae, qualis fuissem, restitutum, quumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset, gaudere se dicebant, mihi et illum inimicum
59 et eos, qui in eadem causa essent, nunquam amicos futuros. Quorum iniqui sermones quum ad me per homines honestissimos perferrentur, quumque Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet; habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae, Crassusque, ut quasi testatà populo Romano esset nostra gratia, paene a meis laribus in provinciam est profectus: nam quum mihi condixisset, coenavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quamobrem eius causam, quod te scribis audisse, magna illius commendatione susceptam defendi in senatu, sicut mea fides postulabat.

60 Accepisti, quibus rebus adductus quamque rem causamque defenderim, quique meus in re publica sit pro mea parte capessenda status. De quo sic velim statuas, me haec eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia ac libera fuissent. Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum civium principatum, neque permanendum in una sententia, conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis, sed
61 temporibus assentiendum. Nunquam enim praestantibus in re publica gubernandâ viris laudata est in una sententia perpetua permansio; sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum

* *Gabinii*, quo consule Cicero in exsilium abierat.

[§. 57. *proximis superior. dieb.* Vid. Schütz. ad orat. c. 64. p. 240. (Opp. rhet. Lips. 1808.]

§. 58. *foris*, apud populum: nam illa contentio in senatu fuerat.

* *qui in eadem causa essent*, Caesarem et Pompeium.

§. 59. * *Crassipedis*, cf. ep. XXXVI, 25. — *in provinciam*, Syriam, quam proconsul cum imperio obtinebat.

* *eius causam — defendi*, quum in senatu ageretur de Crasso e provincia revocando, quod neglectis auspiciis exisset. C. Ateius enim, trib. pl., diras ei obnuntiaverat (de Div. I, 16.); etiam Brundisio quum proficisceretur Crassus, malo omine frustra monitus (de Div. II, 40.), cum magna exercitus parte a Parthis occisus est.

[§. 61. *sed ut in navig.* Cf. pro

tenere non queas, quum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius, quam, eo commutato, quo velis, tamen pervenire: sic, quum omnibus nobis in administranda re publica propositum esse debeat id, quod a me saepissime dictum est, cum dignitate otium, non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Quamobrem, ut paullo ante posui, si essent omnia mihi solutissima, tamen in re publica 62
non alius essem, atque nunc sum. Quum vero in hunc sensum et alliciar beneficiis hominum et compellar iniuriis; facile patior, ea me de re publica sentire ac dicere, quae maxime quum mihi, tum etiam rei publicae rationibus putem conducere. Apertius autem haec ago ac saepius, quod et Quintus frater meus legatus est Caesaris, 63
et nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Caesare intercessit, quod ille non ita illustri gratia exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem. Itaque eius omni et gratia, quae summa est, et opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, ut meis. 64
Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum praesidiis iis, quae semper habui, nunc etiam potentium benevolentiam coniunxissem. His ego consiliis, si te praesentem habuissem, ut opinio mea fert, essem usus eisdem: novi 65
enim temperantiam et moderationem naturae tuae, novi animum, quum mihi amicissimum, tum nulla in ceteros malevolentia suffusum, contraque quum magnum et excelsum, tum etiam apertum et simplicem. Vidi ego quosdam in te tales, quales tu eosdem in me videre potuisti; quae me moverunt, movissent eadem te profecto. Sed, quo- 66
cunque tempore mihi potestas praesentis tui fuerit, tu eris omnium moderator consiliorum meorum; tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curae. Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis, 67
neque mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quam ut quotidie vehementius te de me optime meritum esse laetere.

Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim; sunt orationes quaedam, quas Menocrito dabo, 68
neque ita multae; ne pertimescas. Scripsi etiam (nam etiam ab orationibus diiungo me fere referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime, sicut iam a prima adolescentia, delectarunt) scripsi igitur Aristotelio more, quemadmodum quidem volui,

Planc. 39, 94. pro Balb. 27, 61. ad Att. XVI, 6.]

§. 62. * *beneficiis*, Caesaris et Pompeii, *iniuriis*, optimatium, cf. §. 23. 55.

§. 66. * *quosdam in te tales*, invidos scil. et perfidos, cf. §. 7. 8.

§. 68. * *orationes quaedam*, pro P. Sestio, interrogatio in Vatinium, de provinciis consularibus, de haruspicum responsis, in Pisonem, aliae. — *Menocrito*, Lentuli liberto.

* *ne pertimescas*, cf. ep. XXXVII, 7.

* *mansuetiores Musas*, philosophiae studia, artis oratoriae praecepta, carmina componenda, etc.

tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum, et Aristoteliam et Isocratiam, rationem
69 oratoriam complectuntur. Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis; quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem: sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis: sed quia verebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur, (etenim id feci parce et molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, invenero, curabo ad te per-
70 ferendos. Atque istam quidem partem vitae consuetudinisque nostrae totam ad te defero; quantum litteris, quantum studiis, veteribus nostris delectationibus, consequi poterimus, id omne ad arbitrium
71 tuum, qui haec semper amasti, libentissime conferemus. Quae ad me de tuis rebus domesticis scribis, quaeque mihi commendas, ea tantae mihi curae sunt, ut me nolim admoneri, rogari vero sine magno
72 dolore vix possim. Quod de Quinti fratris negotio scribis, te priore aestate, quod morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias; id scito esse eiusmodi, ut frater meus vere existimet, adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum.

73 Tu me de tuis rebus omnibus et de Lentuli tui nostrique studiis et exercitationibus velim quam familiarissime certiorem et quam saepissime facias, existimesque, neminem cuiquam neque cariorem neque iucundiorem unquam fuisse, quam te mihi, idque me, non modo ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, esse facturum.

74 Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se paraturum cum collega tibique successurum; legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse; se, quoniam ex senatus consulto provinciam

§. 69. * *de temporibus meis*, de exsilio et reditu; nam de rebus a se consule gestis carmen composuit antequam iret in exsilium.

* *sed* edendos non putavi, *quia verebar*.

§. 72. * *de Q. fratris negotio*; videtur Quintus fundum quendam, agris paternis confinem, emere voluisse de quodam in Cilicia versante.

§. 73. * *Lentuli tui nostrique*, cf. ad ep. XXIV, 23.

* *esse facturum*, libris de tua laude scriptis.

§. 74. *legem curiatam*, qua imperium militare in provincia dabatur. Nam *consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet* Cic. Agrar. II, 12.

cum collega, L. Domitio Ahenobarbo.

se paraturum provincias cum collega, i. e. pacturum esse, pactione constituturum. cf. Liv. VIII, 20. Sall. Iug. 43.

* *opus esse, necesse non esse*, utilem quidem esse et optandam consuli legem curiatam, posse tamen consulem etiam lege curiata non lata ire in provinciam.

haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. Ego, quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio; 75
varias esse opiniones intelligo. Sunt, qui putent, posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur; sunt etiam, qui, si decedas, a te relinqui posse, qui provinciae praesit. Mihi non tam 76
de iure certum est, (quamquam ne id quidem valde dubium est,) quam illud, ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, libertatem, qua te scio libentissime frui solere, pertinere, te sine ulla mora provinciam successori concedere, praesertim quum sine suspicione tuae cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. Ego utrumque meum puto esse, et quid sentiam ostendere, et quod feceris defendere.

Scripta iam epistola superiore, accepi tuas litteras de publica- 77
nis; quibus aequitatem tuam non potui non probare. Facilitate quidem vellem consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut voluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere; sed nosti censuetudinem hominum. Scis, quam graviter inimici ipsi illi Q. Scaevolae fuerint. Tibi tamen sum auctor, ut, si quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiae tuae.

EPISTOLA XLII. (Ad Div. II. 1.)

Scr. Romae sub interregno A. U. C. 700.

M. T. CICERO S. D. C. CURIONI.

Quamquam me nomine negligentiae suspectum tibi esse doleo, 1
tamen non tam mihi molestum fuit accusari abs te officium meum, quam iucundum requiri, praesertim quum, in quo accusabar, culpa vacarem, in quo autem desiderare te significabas meas litteras, prae te ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem et optatum amorem tuum. Equidem neminem praetermisi, quem quidem ad te 2
perventurum putarem, cui litteras non dederim. Etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? A te vero bis terve summum, et

lege Cornelia, de provinciis ordinandis, qua imperium sine armis dabatur.

§. 75. * *relinqui posse, qui provinciae praesit*, cf. ep. LXXII, 2.

§. 76. * *libertatem*, cf. §. 7.

§. 77. * *de publicanis*, cf. ep. XIII, §. 67—77, ubi multis verbis difficultatem exponit, quam afferant publicani.

* *consuetudinem hominum*, publicanorum, qui simul iudices erant in iudiciis publicis et infesti iis, qui in provinciarum administratione publicanos offenderant.

Ep. XLII. *Curioni*, filio C. Scribonii Curionis eius, qui Dardanos vicit. Is tum quaestor, saltem cum potestate, in Asia fuisse videtur; inde regressus initio belli civilis, tribunatum plebis gessit. * Vell. Paterc. II, 48. *C. Curio, — vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico.* cf. Caes. b. civ. II, 42.

3 eas perbreves accepi. Quare, si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine; sin me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis. Sed de litteris hactenus; non enim vereor, ne non scribendo te expleam, praesertim si in eo genere studium meum 4 non aspernabere. Ego te afuisse tamdiu a nobis et dolui, quod carui fructu iucundissimae consuetudinis, et laetor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus, quodque in omnibus 5 tuis rebus meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me tibi praecipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta est exspectatio vel animi vel ingenii tui, ut ego te obsecrare obtestarique non dubitem, sic ad nos conformatus revertare, ut, quam exspectationem tui 6 concitasti, hanc sustinere ac tueri possis. Et, quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, te rogo, ut memineris, quantaecunque tibi accessiones fient et fortunae et dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut aetas nostra iam ingravescens in amore atque in adolescentia tua conquiescat.

EPISTOLA XLIII. (Ad Div. II. 4.)

Scr. Romae A. U. C. 700.

M. T. CICERO C. CURIONI S. D.

1 Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum inter- 2 esset. Huius generis litteras a me profecto non exspectas: tuarum enim rerum domesticos habes et scriptores et nuntios; in meis autem 3 rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant; unum familiare et iocosum, alterum severum et grave. Utro me minus deceat uti, non intelligo. Iocerne tecum per litteras? Civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? Quid est, quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem, nisi de re publica?

§. 6. * *tuorum erga me meritorum*, Curio P. Clodio tribunatum petenti restiterat, idem Ciceronis reditum adiuverat.

* *meis puer — consiliis paruisses*, nam Curio a patre ad Ciceronem erat deductus.

§. 3. * *temporibus his*, dum respublica paucorum hominum potentia oppressa tenetur.

* *a Cicerone ad Curionem*, cf. ep. LXI, 33. *cui negari a Catone fas esse non puto*; ep. LXIII, 6. *Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obviam*; *Cicero Appio noluit?* ep. CXXXIII, 12. ep. CXXXII, 7. — *neque ea, quae sentio*, cf. ad Q. fr. III, 8, 2. *etiam illud te admoneo, ne quid illis litteris commissas, quod si prolatum sit, moleste feramus.*

Atque in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae sentio, nec quae non sentio, velim scribere. Quam ob rem, quoniam mihi 4
nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta et parata incredibilis quaedam exspectatio; quam tu una re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eae laudes comparantur, in iis esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte 5
satis incitatum esse confiderem; et hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei.

EPISTOLA XLIV. (Ad Div. V. 17.)

Scr. Romae fortassis A. U. C. 700.

M. T. CICERO S. D. P. SESTIO, P. F.

Non oblivione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudi- 1
nis meae superioribus temporibus ad te nullas litteras misi, sed quod priora tempora in ruinis rei publicae nostrisque iacuerunt, posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis atque acerbissimis incommodis retardarunt. Quum vero et intervallum iam satis longum fuisset, et tuam 2
virtutem animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus, non putavi esse alienum institutis meis haec ad te scribere. Ego te, P. 3
Sesti, et primis temporibus illis, quibus in invidiam absens et in crimen vocabare, defendi, et, quum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum crimen coniungeretur, ut potui accuratissime te tuamque causam tutatus sum, et proxime, recenti adventu meo, quum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nulla re saluti tuae defui; quumque eo tempore invidia annonae, inimici non solum tui, verum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicii multaque alia rei publicae vitia plus quam causa ipsa veritasque valuissent, Publio tuo neque opera neque consilio neque labore neque gratia neque testimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amici- 4
tiae diligenter a me sancteque servatis, ne hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut hortarer rogaremque, ut et hominem te et virum esse meminisses, id est, ut et communem incertumque casum, quem neque vitare quisquam nostrum nec praestare ullo pacto potest,

§. 4. * *exspectatio*, cf. ep. XLII, 5.

Ep. XLIV. *Sestio*, non ei, pro quo scripta est Ciceronis oratio, sed alii ignoto.

§. 1. *in ruinis reip. nostrisque*, quum resp. a P. Clodio, adiuvantibus Pompeio et Caesare, vexaretur, nosque in exsilium abire cogeremur. *incommodis*, exsilio.

§. 3. * *proxime*; hinc apparet, coll. §. 1., Sestium, quo tempore Cicero Romam rediit, abfuisse.

* *invidia annonae*, fortasse aedilis fuerat P. Sestius.

[§. 4. *esse duxi*, vid. ad or. Manil. §. 17. cf. §. 7.]

sapienter ferres, et dolori fortiter ac fortunae resisteres, cogitaresque, et in nostra civitate et in ceteris, quae rerum potitae sunt, multis fortissimis atque optimis viris iniustis iudiciis tales casus incidisse.
5 Illud utinam ne vere scriberem, ea te re publica carere, in qua
6 neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio, vereor, ne, si nihil ad te scripserim, debitum eius virtuti videar testimonium non dedisse; sin autem omnia, quae sentio, perscripse-
7 rim, ne refricem meis litteris desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, ubicunque eris, tuam esse, tecum esse duces: nec enim minus nostra
8 sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. Quamobrem et illius eximia virtus summusque in te amor magnae tibi consolationi debet esse, et nos ceterique, qui te non ex fortuna, sed ex virtute tua pendimus semperque pendemus, et maximae animi tui conscientia, quum tibi nihil merito accidisse reputabis, et illud adiunges, homines sapientes turpitudine, non casu, et delicto suo,
9 non aliorum iniuria, commoveri. Ego, et memoria nostrae veteris amicitiae et virtute atque observantia filii tui monitus, nullo loco deero, neque ad consolandam neque ad levandam fortunam tuam. Tu si quid ad me forte scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere.

EPISTOLA XLV. (Ad Div. II. 6.)

Scr. Romae A. U. C. 700.

Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messala (post sex mensium interregnum) Coss.

M. T. CICERO S. D. C. CURIONI.

1 Nondum erat auditum, te ad Italiam adventare, quum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi. Sed tamen quum appropinquare tuus adventus putaretur, et te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis cito mitteremus, quum has quam pri-
2 mum ad te perferri litteras magno opere vellemus. Ego si mea in te essent officia solum, Curio, tanta, quanta magis a te ipso praedicari, quam a me ponderari solent, verecundius a te, si quae magna res mihi petenda esset, contenderem: grave est enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, et in mer-
3 cedis potius, quam beneficii loco, numerare videatur. Sed quia tua

§. 8. * *maximae*, consolationi.
§. 1. * *te ad Italiam adventare*, reducem ex Asia, ubi quaestor fuerat.

in me vel nota omnibus vel ipsa novitate temporum meorum clarissima et maxima beneficia exstiterunt, estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere; non dubitavi, id a te per litteras petere, quod mihi omnium esset maximum maximeque necessarium. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem, quum praesertim confiderem, nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulare atque illustrare posset. Ego omnia mea 4
studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi, statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere. Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantae curae 5
fuisse unquam puto, quantae mihi sit honos eius, in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adiumento esse, si volueris, 6
posse intelligo, ut nihil sit praeterea nobis requirendum. Habemus 7
haec omnia: bonorum studium, conciliatum ex tribunatu propter nostram (ut spero te intelligere) causam, vulgi ac multitudinis propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturae, iuventutis et gratiosorum in suffragiis studia propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam, nostram suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen et iustam et debitam, et propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis et auctor opus est, et eorum ventorum, 8
quos proposui, moderator quidam et quasi gubernator; qui si ex omnibus unus optandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum 9
virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes, si dignum denique tuis beneficiis iudicas; hoc a te peto, ut subvenias huic meae sollicitudini et huic meae laudi, vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices. De ipsò T. Annio 10
tantum tibi polliceor, te maioris animi, gravitatis, constantiae benevolentiaeque erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego, ni te videre scirem, quum ad te haec scriberem, quantum 11
officii sustinerem, quanto opere mihi esset in hac petitione Milonis

§. 3. * *novitate temporum meorum*, calamitate mea nova atque inaudita, ut eam ipsam ob causam e republica eiicerer, quod optime de ea meritus eram; cf. ep. XLI, 38. *novis honoribus*; de re ep. XXIV, 22.

* *tua in me*, sc. beneficia.

§. 4. * *in Milonis consulatu*, quem cum Hypsaeo et Scipione petebat; sed antequam comitia consulum haberentur, propter P. Clodii caedem in exsilium abire coactus est.

* *pietatis laudem*, cf. ep. XLI, 1.

§. 7. *ex tribunatu*, Milonis, Lentulo et Metello coss.

* *munerum*, quae populo dederat ex haereditate quadam; cf. pr. Mil. 35. Aedilis nunquam fuit.

§. 9. * *bonum virum*, cf. ep. XLI, 22.

omni, non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem. Nunc tibi omnem rem atque causam meque totum
12 commendo atque trado. Unum hoc sic habeto: si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi, quam ipsi Miloni, debiturum: non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua praecipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda. Eam autem unius tuo studio me assequi posse confido.

EPISTOLA XLVI. (Ad Div. III. 2.)

Scr. Romae mense Aprili A. U. C. 702.

Servio Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello Coss.

M. T. CICERO PROCONSUL S. D. APPIO PULCHRO IMP.

1 Quum et contra voluntatem meam et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset, in multis et variis molestiis cogitationibusque meis haec una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego sum, quisquam posset succedere, neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet
2 eam quam maxime mihi aptam explicatamque tradere. Quod si tu quoque eandem de mea voluntate erga te spem habes, ea te profecto
3 nunquam fallet. A te maximo opere pro nostra summa coniunctione tuaque singulari humanitate etiam atque etiam quaeso et peto, ut, quibuscunque rebus poteris, (poteris autem plurimis) prospicias et
4 consulas rationibus meis. Vides ex senatusconsulto provinciam esse habendam. Si eam, quoad eius facere potueris, quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. Quid in eo genere efficere possis, tui consilii est; ego te, quod
5 tibi veniet in mentem mea interesse, valde rogo. Pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem exspectaret, aut id fieri nostra amicitia pateretur, aut res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus

§. 12. * *sum ab illo adiutus*, nam T. Annius Milo prae ceteris omnem operam suam posuit in Clodio oppugnando et Cicerone restituendo.

Ep. XLVI. * Pompeius, proximo anno sine collega consul, legem tulerat, ne quis praetorius neve consularis intra quinquennium in provinciam exiret. Itaque qui ex praetura vel consulatu provinciam non administraverant, provincias sortiri coacti sunt. Senatus decrevit, ut Cicero et Bibulus consulares provincias, Ciliciam et Syriam sortirentur. Ciceroni Cilicia sorte evenit, cui praeerat Appius Claudius Pulcher, frater P. Clodii.

§. 1. * *contra voluntatem*, cf. ad ep. V, 6.

[*aptam*, propr. in qua omnia bene inter se cohaerent, igitur recte disposita sunt et curata.]

[§. 5. *ac non*. Vid. ad or. pro S. Rosc. §. 92.]

meis provisum a te esse intellexero, magnam te ex eo et perpetuam voluptatem esse capturum.

EPISTOLA XLVII. (Ad Div. III. 3.)

Scr. Brundisii IX. Kal. Iun. A. U. C. 702.

M. T. CICERO APPIO PULCHRO S. D.

A. d. XI. Kalendas Iunias Brundisium quum venissem, Q. Fabius, 1
legatus tuus, mihi praesto fuit, eaque me ex tuis mandatis monuit, quae non mihi, ad quem pertinebant, sed universo senatui venerant in mentem, praesidio firmiore opus esse ad istam provinciam: censebant enim omnes fere, ut in Italia supplementum meis et Bibuli legionibus scriberetur. Id quum Sulpicius consul passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus, sed tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit; itaque fecimus. Nunc, quod a te petii litteris iis, quas Romae tabellariis tuis dedi, 3
velim tibi curae sit, ut, quae successori coniunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit, ut ea pro nostra consociatissima voluntate, cura ac diligentia tua complectare, ut omnes intelligant, nec me benevolentiori cuiquam succedere, nec te amiciori potuisse provinciam tradere. Ex iis litteris, quarum ad me 4
exemplum misisti, quas in senatu recitari voluisti, sic intellexeram, permultos a te milites esse dimissos; sed mihi Fabius idem demonstravit, te id cogitasse facere, sed, quum ipse a te discederet, integrum militum numerum fuisse. Id si ita est, pergratum mihi 5
feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quam minime imminueris; qua de re senatusconsulta, quae facta sunt, ad te missa esse arbitror. Equidem pro eo, quanti te facio, quidquid feceris, 6
approbabo; sed te quoque confido ea facturum, quae mihi intelliges maxime esse accommodata. Ego C. Pomptinium, legatum meum, 7
Brundisii exspectabam, eumque ante Kalendas Iun. Brundisium venturum arbitrabar; qui quum venerit, quae primum navigandi nobis facultas data erit, utemur.

§. 1. * *Q. Fabius* Vergilianus, cf. ad Div. III, 4, 1.

* *praesidio firmiore opus esse ad ist. pr.*, propter metum Parthici belli, quod instare putabatur.

* *Bibuli*, qui Syriam sortitus erat.

§. 2. * Servius *Sulpicius* Rufus, consul cum M. Claudio Marcello. — *nos quidem*, Cicero et Bibulus.

§. 3. * *ut, quae — tradit, ut ea* cf. ad ep. XIII, 84.

§. 7. * *C. Pomptinium*, qui, Ciceroue consule praetor, quum propraetor Allobroges vicisset, triumphum de his egerat. Praeter hunc Quintus fr., M. Anneius, L. Tullius Ciceronis legati erant.

EPISTOLA XLVIII. (Ad Div. XIII. 1.)

Scr. Athenis circa Kal. Quintil. A. U. C. 702.

M. T. CICERO S. P. D. C. MEMMIO.

1 Etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius lubenter te Athenis visurus essem, quod iniuria, quam accepisti, dolore me afficeret, sapientia tua, qua fers iniuriam, laetitia, tamen vidisse te mallem: nam quod est molestiae, non sane multo levius est, quum te non video, quod esse potuit voluptatis, 2 certe, si vidissem te, plus fuisset. Itaque non dubitabo dare operam, ut te videam, quum id satis commode facere potero. Interea quod per litteras et agi tecum, et, ut arbitror, confici potest, agam. Nunc a te illud primum rogabo, ne quid invitus mea causa facias, sed id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse, 3 ita mihi des, si tibi, ut id lubenter facias, ante persuaseris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. Sed et initio Romae, quum te quoque et tuos omnes observabat, me coluit in primis, et nuper, quum ea, quae voluit, de suis commodis et praemiis consecutus est, me habuit suorum defensorum et amicorum fere principem, et iam a Phaedro, qui nobis, quum pueri essemus, ante quam Philonem cognovimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus et suavis et officio- 4 sus, probabatur, traditus mihi commendatusque est. Is igitur Patro, quum ad me Romam litteras misisset, uti te sibi placarem peteremque, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes, nihil scripsi ad te ob eam rem, quod aedificationis tuae consilium mea

Ep. XLVIII. *Memmius* idem est, de quo supra ep. XI. §. 10. Is a. u. 699. cum Appio Claudio et L. Domitio Aënobarbo Coss. pactionem fecerat, ut ipse et competitor suus Calvinus in proximum annum coss. fierent. Attic. IV, 18. Itaque de ambitu damnatus Athenis exsulabat, sed pridie quam Cicero in Ciliciam proficiscens Athenas venit, Mitylenas profectus erat, succensens Ciceroni, quod reum de ambitu eum defendere noluerat. Non iniuria eum damnatum esse, significat Cic. ad Qu. fr. III, 2.

§. 2. * *ita mihi des*, cf. ep. CXXXIII, 13.

§. 3. * *Patrone*, qui post Phaedrum familiam ducebat in Epicureorum philosophia.

* *vehementer — dissentio*, nam Cicero Academiae potius addictus erat.

* *de suis commodis et praemiis*; haec qualia fuerint, non constat.

§. 3. *Philonem*, Academicum. * cf. Brut. c. 89. *quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus.*

§. 4. *aedific. tuae cons.* Areopagitae decreto facto Memmio concesserant, ut aedes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contemtum adduceret, *parietinas* vocavit, commodi sui gratia exaedificare posset. *Manut.* Cf. ad Att. V, 11. *Quum Patro mecum egisset, ut peterem a vestro*

commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, quum 5
idem, ut ad te scriberem, rogasset, ob eam causam impetravit,
quod te abiecisse illam aedificationem constabat inter omnes amicos
tuos. Quod si ita est et si iam tua plane nihil interest, velim, si 6
qua offensiuncula facta est animi tui perversitate aliquorum, — novi
enim gentem illam, — des te ad lenitatem, vel propter tuam sum-
mam humanitatem, vel etiam honoris mei causa. Equidem, si, quid 7
ipse sentiam, quaeris, nec cur ille tantopere contendat, video, nec
cur tu repugnes; nisi tamen multo minus tibi concedi potest quam
illi, laborare sine causa. Quamquam Patronis et orationem et cau- 8
sam tibi cognitam esse certo scio; honorem, officium, testamentorum
ius, Epicuri auctoritatem, Phaedri obtestationem, sedem, domicilium,
vestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. Totam hominis 9
vitam rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet,
si hanc eius contentionem volumus reprehendere. Sed, mehercules, 10
quoniam illi ceterisque, quos illa delectant, non valde inimici sumus,
nescio an ignoscendum sit huic, si tanto opere laborat; in quo etiam
si peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat. Sed ne plura, 11
(dicendum enim aliquando est,) Pomponium Atticum sic amo, ut
alterum fratrem; nihil est illo mihi nec carius, nec iucundius. Is,
(non quo sit ex istis: est enim omni liberali doctrina politissimus,
sed valde diligit Patronem, valde Phaedrum amavit) sic a me hoc
contendit, homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus,
ut nihil unquam magis, nec dubitat, quin ego a te nutu hoc con-
sequi possem, etiam si aedificaturus esses. Nunc vero, si audierit, 12
te aedificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse, non
te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem

***Areopago*, *ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo praetore fecerant, commodius visum est et Xenoni et post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri: non enim dubitabat Xeno, quin ab Areopagitis invito Memmio impetrari non posset. Memmius autem aedificandi consilium abiecerat, sed erat Patroni iratus. Itaque scripsi ad eum accurate, cuius epistolae misi ad te exemplum.**

§. 6. ***gentem illam***, Epicureos. * **Rectius ad Graecorum gentem referri videtur**, cf. ep. XIII, 35.

§. 8. * ***honorem***, quod princeps sit scholae Epicureae; ***officium***, debitum Epicuro; ***testamentorum ius***, cf. Diog. Laert. X, 10. *Καὶ διέθετο ὧδε· κατὰ τάδε δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ —, ἐφ' ᾧτε τὸν μὲν κῆπον καὶ τὰ προσόντα αὐτῷ παρέξουσιν Ἑρμάχῳ Ἀγεμάρχου Μιτυληναίῳ καὶ τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ, καὶ οἷς ἂν Ἕρμαχος καταλίπῃ διαδόχοις τῆς φιλοσοφίας, ἐνδιατρίβειν κατὰ φιλοσοφίαν.*

§. 11. ***non quo sit ex istis***. Erat ex Epicureis, sed omni doctrina liberali politior, quam esse solebant Epicurei.

[***h. min. ambitiosus***, minime id agens, ut gratiosus apud me esse existimetur, si quod rogat a me impetraverit. Vid. Ern. in cl. * cf. ad ep. CXXIV, 5.

§. 12. * ***aedificationem deposuisse***, idem quod §. 5. ***abiecisse aedificationem***.

peto a te, ut scribas ad tuos, posse tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius velim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quam ut facias. Sic tamen habeto: si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

EPISTOLA XLIX. (Ad Div. III. 5.)

Scr. Trallibus IV. Kal. Sextil. A. U. C. 702.

M. T. CICERO APPIO PULCHRO S. D.

1 Tralles veni a. d. VI. Kalend. Sextiles. Ibi mihi praesto fuit L. Lucilius cum litteris mandatisque tuis, quo quidem hominem neminem potuisti nec mihi amiciorem nec, ut arbitror, ad ea cognoscenda, quae scire volebam, aptiorem prudentioremve mittere. Ego autem et 2 tuas litteras legi libenter et audivi Lucilium diligenter. Nunc, quoniam et tu ita sentis, (scribis enim, quae de nostris officiis ego ad te scripserim, etsi tibi iucunda fuerint, tamen, quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse) et re vera, confirmata amicitia et perspecta fide, commemoratio officiorum supervacanea est, eam partem orationis praetermittam; tibi tamen agam, ut debeo, gratias: animadverti enim et didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem ut mihi consuleres praestitueresque et praeparares quodammodo omnia, quo mea ratio facilior et solutior esse posset. 3 Hoc tuum officium quum mihi gratissimum esse ducam, sequitur illud, ut te existimare velim, mihi magnae curae fore atque esse iam, primum, ut ipse tu tuique omnes, deinde ut etiam reliqui scire 4 possint, me tibi esse amicissimum. Quod quibus adhuc non satis est perspectum, ii mihi nolle magis, nos hoc animo esse, quam non intelligere videntur. Sed profecto intelligent: neque enim obscuris personis, nec parvis in causis res agetur. Sed haec fieri melius, quam dici aut scribi volo.

5 Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurusne me sis in provincia, ea res sic se habet. Brundisii quum loquerer cum Phania, liberto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciae primum 6 esse venturum, quo te maxime velle arbitrarer. Tunc mihi ille dixit, quod classe tu velles decedere, per fore accommodatum tibi, si ad 7 illam maritimam partem provinciae navibus accessissem. Dixi me esse

§. 1. *Tralles*, urbem Lydiae.

§. 2. * *scripserim*, cf. ep. XLVI. XLVII.

* *confirmata amicitia*, quae aliquando imminuta fuerat propter P. Clodii inimicitias.

* *eam partem orationis*, cf. ep. CXXIV, 14.

§. 6. *ad illam mar. p. pr.* unde tu solveres, nempe ad Sidam, infr. ep. 52.

facturum; itaque fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyrae dixisset, minime id esse faciendum; te Laodiceae fore ad meum adventum. Erat id mihi multo brevius multoque commodius, quum praesertim te ita malle arbitrarer. Tua ratio postea est commutata. Nunc, quid fieri possit, tu facillime statues; ego tibi meum consi- 8
lium exponam. Pridie Kal. Sextil. puto me Laodiceae fore; perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor; deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter Idus Sextil. putem me ad Iconium fore. Sed si quid nunc me fallit 9
in scribendo (procul enim aberam ab re ipsa et a locis) simul ac progredi coepero, quam celerrime potero et quam creberrimis litteris faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum atque itinerum meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo. Sed, quod 10
commodo tuo fieri possit, utriusque nostrum magni interest, ut te videam ante quam decedas. Quam facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, non secus ac si te vidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per litteras, quam desperaro coram me tecum agere posse. Quod te a Scaevola 11
petisse dicis, ut, dum tu abesses, ante adventum meum provinciae praeesset; eum ego Ephesi vidi, fuitque mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum, nec ex eo quidquam audivi, quod sibi a te mandatum diceret. Ac sane vellem potuisset obsequi voluntati tuae; non enim arbitror noluisse.

EPISTOLA L. (Att. V. 15.)

Scr. Laodiceae III. Non. Sextil. A. U. C. 702.

CICERO ATTICO S.

Laodiceam veni pridie Kal. Sext.; ex hoc die clavum anni move- 1
bis. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius. Sed est incredibile, quam me negotii taedeat. Non habet satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi, et industriae meae praeclara opera cessat; quippe: ius Laodiceae me dicere, quum Romae A. Plotius dicat! et

§. 7. * *L. Clodius*, praefectus fabrum App. Claudii, cf. ep. LVI, 14. *Laodiceae*. Haec erat prima civitas provinciae Ciceronis, sed in Asia; vid. ad ep. L. §. 5.

§. 8. * *publica permutatione*, cf. ep. XXIV, 18. ad Div. II, 17, 7. Permutari dicitur pecunia, quum alicubi numeratur, ut alio quodam loco solvatur.

* *debetur*, a senatu proconsuli decreta.

* *Iconium*, caput Lycaoniae.

§. 11. * *provinciae praeesset*, cf. ep. XLI, 75.

§. 1. *clavum anni*. Clavis parietibus impactis antiquitus annos notabant.

* *clavum anni movebis*, numerabis dies annui nostri imperii.

* *A. Plotius* Silvanus, praetor. Romae praetores, in provinciis proconsules et propraetores ius dicebant.

quum exercitum noster amicus habeat tantum, me nomen habere duarum legionum exilium! denique haec non desidero; lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Sed feram, ut potero; sit modo an-
2 nuum. Si prorogatur, actum est. Verum perfacile resisti potest. Tu modo Romae sis. Quaeris, quid hic agam? ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirifice delector hoc instituto. Admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis, ut verear, ne illud, quod tecum permutavi,
3 versura mihi solvendum sit. Appii vulnera non refrico, sed apparent, nec occuli possunt. Iter Laodicea faciebam a. d. III. Non. Sext. quum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, ut cum Moeragene signis collatis, si possem, de servo tuo deciderem.

4 — — *Clitellae bovi*
Sunt impositae, cillane; non est nostrum onus.

Sed feremus, modo, si me amas, sim annuus. Adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites. Mirifice sollicitus sum, quod iam diu
5 ignota sunt mihi ista omnia. Quare, ut ad te ante scripsi, quum cetera, tum res publica, cura, ut mihi nota sit. Plura scribam tarde tibi redituro; sed dabam familiari homini ac domestico, C. Andronico Puteolano. Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium.

noster amicus, C. Cassius, qui, M. Crassi quaestor, reliquias eius exercitus Antiochiam reduxerat; idem, qui postea Caesarem interfecit. cf. ep. 62.

* *legionum exilium*, nam et permultos milites Appius dimiserat, cf. ep. XLVII, 4., et tres cohortes plenissimae aberant, ep. LII, 9.

* *lucem*, frequentiam et celebritatem, cf. ep. XIII, 18.

§. 2. * *perfacile resisti potest*, cf. ep. LVII, 8.

[*ita vivam, ut*. Vid. Ramshorn. Gramm. l. p. 412. Not. 2. Cf. ep. 103, 1. 175, 1.] * ep. XXIV, 23.

* *versura*, ita ut pecuniam ab alio mutuam sumam.

§. 3. * *Appii vulnera*, cf. ep. LI, 2.

Moeragene, latronum duce, ad quem Attici servus confugerat.

§. 4. *Clitellae bovi sunt imp.* proverbium, onus impositum est mihi non accommodatum.

* *ista omnia*, quae Romae fiunt.

§. 5. * *Plura scribam tarde tibi redituro*. Haec verba sine dubio sunt corrupta. Sensus hoc fere requirit: *Plura scribam alias. Has sciebam tarde tibi redditum iri, sed.* ORELL.

* *magistros*, qui societatibus publicanorum (cf. ad ep. X, 19.) praerant et rem causamque eorum Romae tuebantur, ut promagistri in provinciis. A magistris crebri tabellarii in provincias mittebantur, cf. ep. LI, 1.

dioecesium, Asiaticarum trium, quas Ciliciae provinciae adiectas esse scribit ad Div. XIII, 67. * Erant dioeceses Cibyratica, Apamensis et Synnadensis; praeterea Pisidia, Lycaonia, Pamphylia, Isauria et Cyprus insula.

EPISTOLA LI. (Att. V. 16.)

Scripta in via, quum a Synnade in castra proficisceretur, circa Idus Sextiles A. U. C. 702.

CICERO ATTICO S.

Etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii et 1
eramus in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne me immemorem mandati tui putares. Itaque subsedi in ipsa via, dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. Maxima 2
exspectatione in perditam et plane eversam in perpetuum provinciam nos venisse scito pridie Kal. Sextiles, moratos triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. Audivimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια solvere non posse, ὠνὰς omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis. Quid quaeris? taedet omnino eos vitae. Levantur tamen miserae 3
civitates, quod nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in quaestorem, neque in quemquam. Scito, non modo nos foenum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec praeter quattuor lectos et tectum quemquam accipere quidquam, multis locis ne tectum quidem, et in tabernaculo manere plerumque. Itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex 4
domibus omnibus. Mehercule etiam, adventu nostro, reviviscunt iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. Itaque opiniones omnium superavit. Appius, ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se 5
coniecit Tarsum usque; ibi forum agit. De Partho silentium est, sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiamnunc in provinciam suam 6
accedere. Id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius vellet decedere. Nos in castra properabamus, quae aberant bidui.

EPISTOLA LII. (Ad Div. III. 6.)

Scr. in itinere per Cappadociam init. mensis Sept. A. U. C. 702.

M. T. CICERO APPIO PULCHRO S. D.

Quum meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi 1

§. 1. * *in ipso itinere et via*, cf. ad Att. XVI, 13, 2.

§. 2. * *Apameae*, in oppido Phrygiae maioris ad Maeandrum sito; *Synnade*, in Phrygia Epicteto.

* *solvere non posse*, omisso accus. subi., qui facile subintelligitur. ὠνάς. ὠνή significat, quidquid ab aliquo possidetur; hic publicos reditus civitatum interpretatur Popma. cf. ad LVI, 11.

* *lege Iulia* Caesaris de repetundis.

§. 5. * *in ultimam provinciam*, cf. ep. LII, 4. *in prima provincia*.

* *Tarsum*, caput Ciliciae. — *forum agit*, cf. ep. LII, 7. — *in provinciam suam*, Syriam. — *bidui*, spatium.

faveo in nostra amicitia tuenda, quam tibi, tamen multo magis meo facto delector, quam tuo. Ego enim Brundisii quaesivi ex Phania, cuius mihi videbar et fidelitatem erga te perspexisse et nosse locum, quem apud te is teneret, quam in partem provinciae maxime putaret
2 te velle ut in succedendo primum venirem. Quum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam navigassem, etsi minus dignitatis habebat ille adventus et ad multas res
3 mihi minus erat aptus, tamen ita me dixi esse facturum. Idem ego quum L. Clodium Corcyrae convenissem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo quum loquerer, tecum loqui viderer, dixi ei, me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primum
4 venirem. Tunc ille mihi quum gratias egisset, magno opere a me petivit, ut Laodiceam protinus irem; te in prima provincia velle esse, ut quam primum decederes, quin, nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse; quod quidem erat consentaneum cum iis litteris, quas ego Romae acceperam, ex quibus perspexisse mihi videbar, quam festina-
5 res decedere. Respondi Clodio, me ita esse facturum, ac multo quidem libentius, quam si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniae. Itaque et consilium mutavi, et ad te statim mea manu scriptas litteras misi; quas quidem ex tuis litteris intellexi satis mature
6 ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent, ut tuum factum iis, qui, quo animo inter nos simus, ignorent, alieni hominis, ut lenissime dicam, et fugientis congressum, meum vero coniunctissimi
7 et amicissimi esse videatur. Ac mihi tamen ante, quam in provinciam venissem, redditae sunt a te litterae, quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi afferebas; quum interea, credo equidem, malevoli homines (late enim patet hoc vitium et est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meae constantiae, conabantur alienare a te voluntatem meam, qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent, quum posses iam suspicari, tibi esse successum, quae ne ab iis quidem fieri solerent, qui
8 brevi tempore sibi succedi putarent. Horum ego sermone non

§. 1. *quaesivi ex Phan.* vid. ep. 49. §. 6.

§. 2. * *ad Sidam*, oppidum Pamphyliae maritimum.

§. 3. * *L. Clodium*, cf. ep. XLIX, 7.

§. 5. * *litteras*, ep. XLIX. — *satis mature*, ut perspecta omni itinerum atque dierum ratione me convenire potuisses.

§. 6. * *eo discessisti*, Tarsum in ultimam provinciam.

lege Cornelia, ex qua praetor tricesimo die, postquam in provinciam venisset successor, de provincia decederet.

movebar. Quin etiam (credas mihi velim) si quid tu ageres, levari me putabam molestia, et ex annua provincia, quae mihi longa videtur, prope iam undecim mensium provinciam factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. Illud (vere dicam) 9
me movet, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes, quae sint plenissimae, nec me scire, ubi sint. Molestissime autem fero, quod, te ubi visurus sim, nescio; eoque ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum exspectabam, quum interea ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres, aut ubi te visurus essem. Itaque virum fortem mihique in primis probatum, Antonium, praefectum evocatorum, misi ad te, cui, si tibi videretur, cohortes traderes, ut, dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii gerere possem. In quo, tuo consilio ut me sperarem esse usurum, et amicitia nostra et litterae tuae fecerant: quod ne nunc quidem despero. Sed plane, quando aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut, me tibi amicissimum esse, et aequi et iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. Id si correxeris, mihi valde gratum erit. Et, ut habere rationem possis, quo loco me, salva lege Cornelia, convenias, ego in provinciam veni pridie Kal. Sext.; iter in Ciliciam facio per Cappadociam. Castra movi ab Iconio pridie Kalendas Sept. Nunc tu et ex diebus et ex ratione itineris, si putabis me esse conveniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit et quo die. 10 11 12

EPISTOLA LIII. (Ad Div. XV. 9.)

Scr. ibidem mense Sept. A. U. C. 702.

M. T. CICERO PROCOS. M. MARCELLO COS. S. P. D.

Te et pietatis in tuos et animi in rem publicam et clarissimi atque optimi consulatus, C. Marcello consule facto, fructum cepisse, vehementer gaudeo. Non dubito, quid praesentes sentiant; nos quidem longinqui et a te ipso missi in ultimas gentes, ad caelum mehercule 1

§. 8. *quae mihi l. vid.* i. e. quum ea mihi l. vid. * Legebatur h. l. ex Cratandri coniectura *videretur*.

* *gaudebam*, cf. ad Att. V, 17, 6. *Ibi* (Tarsi) *forum agit* (App.), *quem ego sim in provincia, quam eius iniuriam non insector.*

§. 9. * *abesse tres cohortes*, cf. ep. LXI, 3.

§. 10. * *evocatorum*, militum, qui postquam stipendia legitima fecerunt, castra alicuius sequuntur.

* *dum tempus anni esset idoneum*, aestate. Ita enim tunc anni tempora erant confusa, ut Kal. Septembr. ineunte aestate essent.

§. 12. * *per Cappadociam* cur iter fecerit, exponit ep. LIV, 2.

* *ab Iconio*, cf. ep. XLIX, 8.

§. 1. *C. Marcello*, Marci fratre patruele.

* *in ultimas gentes*, cf. ep. XLI, 54.

2 tollimus verissimis ac iustissimis laudibus. Nam quum te a pueritia tua unice dilexerim, tuque me in omni genere semper amplissimum esse et volueris et iudicaris, tum hoc vel tuo facto vel populi Romani de te iudicio multo acrius vehementiusque diligo, maximaque laetitia afficior, quum ab hominibus prudentissimis virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio vel
3 te mei. Unum vero si addis ad praeclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat quam primum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti, omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, et me absentem dili-
4 gas atque defendas. Quae mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam a me etiamnunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra volui ad te scribere, ne, quum ad consulem scripsissem, publice viderer scripsisse.

EPISTOLA LIV. (Ad Div. XV. 2.)

Scr. in itinere ex castris ad Cybistra in Ciliciam medio Sept. A. U. C. 702.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. D. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. SENAT.

1 S. V. V. B. E. E. Q. V. Quum pridie Kalend. Sext. in provinciam venissem, neque maturius propter itinerum et navigationum difficultatem venire potuissem, maxime convenire officio meo reique publicae conducere putavi, parare ea, quae ad exercitum quaeque ad
2 rem militarem pertinerent. Quae quum essent a me cura magis et diligentia, quam facultate et copia, constituta, nuntiique et litterae de bello a Parthis in provinciam Syriam illato quotidie fere afferrentur, iter mihi faciendum per Lycaoniam et per Isauros et per Cappadociam

§. 2. *vel me tui sim.* Cic. Brut. 71. 249. *Quid igitur de illo* (Marcello) *iudicas, quem saepe audisti? Quid censes, inquit* (Brutus), *nisi id, quod habiturus es similem tui.* et §. 250. *Vidi enim Mitylenis* (ubi exsulabat post bellum civile, post, quum in eo esset, ut restitueretur, a Magio Chilone Athenis interfectus) *nuper virum, atque, ut dixi, plane virum. Itaque quum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vere nunc, a doctissimo viro tibique, ut intellexi, amicissimo Cratippo instructum omni copia, multo videbam similiorem.*

§. 3. *aut ne quid accedat,* ut mihi decedere liceat de provincia anno finito, etsi nemo succedat.

* *et senatus consulto et lege,* cf. ep. XLVI.

§. 4. * *de Parthis,* quos Euphraten transisse fama erat.

§. 2. *Parthos — iter eos.* Sic Phil. II, 42 extr. *signa, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legavit,* eas *hic partim in hortos Pompeii deportavit* etc. Plura dedi in obss. de anacol. in Cic. in Wolfii Anal. II. p. 15 sq.

* *Isauri* inter Ciliciam et Pisidiam habitabant. Notum est, saepissime nomine gentis regionem, quam incolunt, significari.

arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos. Itaque cum 3
exercitu per Cappadociae partem eam, quae cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi, ut Artuasdes, rex Armenius, quocunque animo esset, sciret, non procul a suis finibus exercitum populi Romani esse, et Deiotarum, fidelissimum regem atque amicissimum rei publicae nostrae, maxime coniunctum haberem, cuius et consilio et opibus adiuvari posset res publica. Quo quum in loco castra haberem equitatumque 4
in Ciliciam misissem, ut et meus adventus iis civitatibus, quae in ea parte essent, nuntiatus firmiores animos omnium faceret, et ego mature, quid ageretur in Syria, scire possem, tempus eius tridui, quod in iis castris morabar, in magno officio et necessario mihi ponendum putavi. Quum enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego 5
regem Ariobarzanem, Euseben et Philoromaeum, tuerer, eiusque regis salutem, incolumitatem regnumque defenderem, regi regnoque praesidio essem, adiunxissetisque, salutem eius regis populo senatuique magnae curae esse, quod nullo unquam de rege decretum esset a nostro ordine; existimavi me iudicium vestrum ad regem deferre debere eique praesidium meum et fidem et diligentiam polliceri, ut, quoniam salus ipsius, incolumitas regni mihi commendata esset a vobis, diceret, si quid vellet. Quae quum essem in consilio meo 6
cum rege locutus, initio ille orationis suae vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit, quod ei permagnum et perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantae curae esse salutem suam meque tantam diligentiam adhibere, ut et mea fides et commendationis vestrae auctoritas perspici posset. Atque ille primo, quod mihi maximae laetitiae 7
fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias neque vitae suae neque regno diceret se aut intelligere fieri aut etiam suspicari. Quum 8
ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, cohortatus, ut recordaretur casum illum interitus paterni et vigilanter se tueretur

* *quod ea maxime pateret*; Cilicia enim Amano monte, reliquae dioeceses Tauro defendebantur.

§. 3. *Artuasdes* s. Artavasdes, cuius soror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat, filia vero Deiotari regis filio pacta. ad Att. V, 20. *Perrexi in Ciliciam per Cappadociae partem eam, quae Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artavasdes et ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent. Manut.*

* *Deiotarum*, qui Galatiae primum tetrarcha, deinde, bello Mithridatico confecto, a senatu per Pompeium rex appellatus est. Accusatum apud Caesarem, quod a Pompeii partibus bello civili steterat, Cicero postea defendit.

§. 5. *regem* Cappadociae, *εὐσεβῆ* et *φιλορωμαῖον*.

* *a nostro ordine*, senatu.

§. 6. * *in consilio meo*, praesentibus legatis, tribunis, aliis comitibus.

§. 7. * *ita locutus est, ut diceret*, pleonasmus; cf. Philipp. 9, 4. *atque ita locutus est, ut auctoritatem vestram vitae suae se diceret anteferre.*

§. 8. *interitus paterni*. Pater enim

atque admonitu senatus consuleret saluti suae, tum a me discessit in
9 oppidum Cybistra. Postero autem die cum Ariarathe, fratre suo, et cum paternis amicis maioribus natu ad me in castra venit, perturbatusque et flens, quum idem et frater faceret et amici, meam fidem,
10 vestram commendationem implorare coepit. Quum admirarer, quid accidisset novi, dixit ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quae essent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent, eo autem tempore spe mei praesidii complures ea, quae scirent, audacter ad se detulisse, in iis amantissimum sui, summa pietate praeditum fratrem dicere ea, quae me is quoque audiente dicebat, se sollicitatum esse, ut regnare vellet; id vivo fratre suo accipere non potuisse; se tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi me-
11 tum protulisse. Quae quum esset locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet, amicosque patris eius atque avi iudicio probatos hortatus sum, regis sui vitam, docti casu acer-
12 bissimo patris eius, omni cura custodiaque defenderent. Quum rex a me equitatum cohortesque de exercitu meo postularet, etsi intelligebam, vestro senatus consulto non modo posse me id facere, sed etiam debere, tamen, quum res publica postularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quam primum exercitum ad Ciliciae fines adducerem, quumque mihi rex, patefactis iam insidiis, non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere videretur, illum cohortatus sum, ut in sua vita conservanda primum regnare disceret; a quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio; poena afficeret eos, quos necesse esset, reliquos metu liberaret; praesidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius quam ad contentionem uteretur; fore autem, ut omnes, quoniam senatusconsultum nossent, intelligerent, me regi, si opus
13 esset, ex auctoritate vestra praesidio futurum. Ita, confirmato illo, ex eo loco castra movi, iter in Ciliciam facere institui, quum hac opinione e Cappadocia discederem, ut consilio vestro, casu incredibili ac paene divino, regem, quem vos honorificentissime appellassetis, nullo postulante, quemque meae fidei commendassetis, et cuius salutem magnae vobis curae esse decrevissetis, meus adventus praesenti-
14 bus insidiis liberarit. Quod ad vos a me scribi non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quae paene acciderunt, vos multo ante, ne

Ariobarzanis, quem regno a Mithridate expulsum Pompeius restituerat, per insidias interfectus fuerat. cf. §. 11.

§. 9. * *cum Ariarathe*, qui post fratris caedem rex Cappadociae factus est.

§. 10. * *insidiarum*, quas Archelaus, sacerdos Comanorum, ei struxerat, cf. ep. LXI, 8. 9.

§. 12. * *vestro senatus consulto*, cf. §. 5. — *nuntios*, de Parthorum incursionibus.

regnare disceret, animadvertendo in improbos, quod sequitur.

ea acciderent, providisse; eoque vos studiosius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei benevolentiaeque erga vos perspexisse, ut non sine causa tantam curam diligentiamque in eius vos salutem videamini contulisse.

EPISTOLA LV. (Ad Div. XV. 1.)

Scr. in Cilicia exeunte Septembri A. U. C. 702.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D. COSS. PRAET. TRIBB. PL. SENATUI.

S. V. V. B. E. E. Q. V. Etsi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos 1
transisse Euphraten cum omnibus fere suis copiis, tamen, quod arbitrabar, a M. Bibulo proconsule certiora de his rebus ad vos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publice scribere ea, quae de alterius provincia nuntiarentur. Postea vero quam certissimis auctoribus, legatis, nuntiis, litteris sum certior factus, vel quod tanta res erat, vel quod nondum audieramus, Bibulum in Syriam venisse, vel quia administratio huius belli mihi cum Bibulo paene est communis, quae ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. Regis Antiochi 2
Commageni legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphraten transire coepisse. Quo nuntio allato, quum essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui exspectandum esse, si quid certius afferretur. A. d. XIII. Kalendas Octobr. 3
quum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae et Cappadociae mihi litterae redditae sunt a Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum amicissimusque populi Romani existimatur, Pacorum, Orodi, regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphraten et castra posuisse Tybae, magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblicho 4
phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire amicumque esse rei publicae nostrae, litterae de eisdem rebus mihi redditae sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam, socios infirme animatos esse et 5

§. 1. *proconsule* Syriae.

* *nondum audieramus, Bibulum in Syr. ven.*, cf. ep. LI, 6.

* *paene est communis*, Cilicia enim Syriam attingit.

§. 2. *Commageni*. Commagene pars est Syriae, inter Amanum montem et Euphratem interiecta cum urbe Samosata.

§. 3. *Tarcondimoto*. Strabo XIV. p. 994. *μετὰ δὲ Μαλλὸν Αἰγαῖαι πολίχνιον ὕφορμον ἔχον, — — ἀεὶ μὲν ὑπὸ πλειόνων δυναστευόμενον τυράννων ἐχόντων ἐρύματα· καθ' ἡμᾶς δὲ κατέστη κύριος ἀνὴρ πάντων ἀξιόλογος καὶ βασιλεὺς ὑπὸ Ῥωμαίων ὠνομάσθη διὰ τὰς ἀνδραγαθίας Ταρκοδήμεντος, καὶ τὴν διαδοχὴν τοῖς μετ' αὐτοῦ παρέδωκε.* A Dione vocatur *Ταρκονδέμοτος*.

* *Pacorum — transisse Euphraten*, falsum hunc nuntium fuisse, postea probatum est, cf. ep. LVI, 24.

§. 4. *Iamblicho*, filio Sampsicerami, *φύλαρχος τοῦ Ἐμεσηνῶν ἔθνους* Strabo XVI. p. 1092.

novarum rerum exspectatione suspensos, sperabam tamen, eos, ad quos iam accesseram, quique nostram mansuetudinem integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos, Ciliciam autem
6 firmiorem fore, si aequitatis nostrae particeps facta esset. Et ob eam causam, et ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, et ut hostis is, qui esset in Syria, sciret, exercitum populi Romani non modo non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere.

7 Sed, si quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis praesertim rebus, quas vos audistis, ego paene cerno, magno opere vos et hortor et moneo, ut his provinciis serius vos quidem, quam
8 decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos quemadmodum instructos et quibus praesidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. Quod ego negotium non stultitia obcaecatus, sed verecundia deterritus, non recusavi: neque enim unquam ullum periculum tantum putavi, quod subterfugere mallem, quam vestrae auctori-
9 tati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut, nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, mature in has provincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendae sint omnes hae provinciae, quibus vectigalia populi Romani
10 continentur. Quamobrem autem in hoc provinciali delectu spem habeatis aliquam, causa nulla est; neque multi sunt, et diffugiunt qui sunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum sit, iudicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia, qui, quum vos ei permisissetis, delectum habere noluerit: nam sociorum auxilia propter acerbitatem atque iniurias imperii nostri aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuvare possint, aut ita alienata a nobis, ut neque exspectandum ab
11 iis, neque committendum iis quidquam esse videatur. Regis Deiotari et voluntatem et copias, quantaecunque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui reges tyrannique neque opibus satis
12 firmi, nec voluntate sunt. Mihi in hac paucitate militum animus certe non deerit, spero ne consilium quidem. Quid casurum sit, incertum est. Utinam saluti nostrae consulere possimus! dignitati certe consulemus.

§. 6. *qui ex Cilicum g.* Amanienses, * quos Cicero postea bello vicit, cf. ep. LXI. 13—19.

§. 8. * *quemadmodum instructos — miseritis*; frustra Cicero et Bibulus postulaverant, ut in Italia legionibus supplementum scriberetur, cf. ep. XLVII, 1.

* *quod — negotium*, Ciliciae cum tam parvis copiis obtinendae.

§. 9. *quibus vectig. p. R. cont.* Vid. pro l. Manil. 6, 14, cf. c. 2 extr.

§. 11. * *Cappadocia est inanis*, Mithridatico bello exhausta, rege adeo infirmo, ut ipse auxilium Ciceronis imploraret, v. supra.

* *reliqui reges tyrannique*, quos Pompeius Mithridate victo trans Taurum regnare iusserat, velut Antiochum Commagenum, Iamblichum, alios.

§. 12. * *in hac paucitate militum*, duas habebat legiones exiles.

EPISTOLA LVI. (Ad Div. III. 8.)

Scr. in castris in agro Mopsuhestiae VIII. Id. Octobr. A. U. C. 702.

M. T. CICERO PROCOS. S. D. APPIO PULCHRO.

Etsi, quantum ex tuis litteris intelligere potui, videbam, te hanc 1
epistolam, quum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato iam levissimo sermone hominum provincialium, tamen, quum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris brevi responderem. Sed prima duo capita 2
epistolae tuae tacita mihi quodammodo relinquenda sunt: nihil enim habent, quod definitum sit aut certum, nisi me vultu, taciturnitate significasse, tibi non esse amicum, idque pro tribunali, quum aliquid ageretur, et nonnullis in conviviis intelligi potuisse. Hoc totum 3
nihil esse, possum intelligere; sed quum sit nihil, ne quid dicatur quidem intelligo. Illud quidem scio, meos multos et illustres et ex superiore et ex aequo loco sermones habitos cum tua summa laude et cum magna sollicitudine significationis nostrae familiaritatis ad te vere potuisse deferri. Nam, quod ad legatos attinet, quid a me fieri 4
potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum, minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuae, praesertim ipsis civitatibus postulantibus? Nam mihi totum genus legationum, tuo 5
nomine proficiscentium, notum non erat. Apameae quum essem, multarum civitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, quum solvendo civitates non essent. Hic ego multa 6
simul cogitavi: primum te, hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere isto lega-

§. 1. * *quum ad urbem esses,* intrare enim urbem Appio non licebat, quum ob res prospere in Cilicia gestas triumphum peteret.

§. 2. * *tacita* dicuntur etiam quae tacentur, non solum tacitus qui tacet. Sic *caecus*, *surdus*, *falsus*, al.

§. 3. *ex superiore loco*, pro tribunali, *ex aequo l.* in privatis congressibus, in conviviis.

§. 4. *ad legatos*, qui Romam mitterentur publice a civitatibus provinciae, ut ad senatum laudarent Appium et gratias agerent senatui, quod eum sibi proconsulem misisset; qui legati quum publico sumptu irent, pecuniae magnae exigendae erant ab incolis civitatum, unde supra *tributa* etc. et post *exactio capitum atque ostiorum*. — *Ern. elegantius* h. e. maiore cum iudicio s. ut nunc loquuntur barbare, maiore cum discretione. *Scioppius.* propr. magis cum dilectu, prudentius. cf. Verr. III, 60.

§. 5. * *totum genus — notum non erat*, nesciebam, hos legatos Romam proficisci, ut te laudarent; nam nosse se consuetudinem provincialium, legatos Romam mittendi, aperte dicit §. 6.

* *Apameae quum essem*, cf. ep. LI, 2.

§. 6. *primum*. Huic voci nihil respondet, ut infra ep. 63, 3. vid. Ruhnk. ad Terent. Andr. I, 3, 6. Hensing. ad Off. p. 233. 2. Goerenz ad Leg. p. 241. Alteri *primum*, *prim. App. Cl.* respondet *deinde me ita vid.*

* *urbanum*, cf. ep. LXIV, 1.

tionum delectari; idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputavisse, primum, Appium Claudium senatui populoque Romano non Midaeensium testimonio, (in ea enim civitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum; deinde me ita vidisse accidere multis, ut eorum causa legationes Romam venirent, sed his legationibus non meminisse me ullum tempus laudandi aut locum dari; studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent, consilium totum videri minime necessarium. Si autem vellent declarare in eo officium suum, laudaturum me, si qui suo sumptu functus esset officio, concessurum, si legitimo, non permissurum, si infinito.
7 Quid enim reprehendi potest, nisi quod addis, visum esse quibusdam edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum? Iam non tantam mihi videntur iniuriam facere ii qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent.
8 Romae composui edictum; nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum; quo in capite sunt quaedam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magno opere delector, hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te of-
9 fenderem, tralatitium est. Neque enim eram tam desipiens, ut privatae rei causa legari putarem, qui et tibi non privato et pro re non privata sua, sed publica, non in privato, sed in publico orbis terrae consilio, id est, in senatu ut gratias agerent, mittebantur; neque quum edixi, ne quis iniussu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra et qui trans Taurum persequi non possent; nam id est maxime in tuis litteris irridendum. Quid enim erat, quod me persequerentur in castra Taurumve transirent, quum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum dioecesium, quae cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus
10 legationesque convenirent? Nisi forte postea coeperunt legare, quam ego Taurum transgressus sum; quod certe non ita est: quum enim Laodiceae, quum Apameae, quum Synnadis, quum Philomelii, quum Iconii essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum, omnes
11 iam istius generis legationes erant constitutae. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo

Midaeensium, ex oppido Phrygiae Midaëo, *Μιδάειον*, cuius gentilia sunt *Μιδαεύς* et *Μιδαιεύς* ap. Steph. Byz. ubi vid. Holsten.

legitimo, quantum lex Cornelia concedebat. Manut. * cf. ep. LXVII, 15.

§. 7. * *enim* corruptum videtur; fortasse legendum ex Orell. coniectura *in me*.

* *disputant*, ut §. 6, ep. V, 1. *Disputare* est accurate dicere de aliqua re.

§. 8. * *tralaticium est*, cf. ep. XXIX, 5. Edictum hoc capite videtur, ne quis privatae rei causa sumtu publico legaretur.

§. 9. * *neque — exclusi*, omnium enim civitatum legati Ciceronem convenire poterant antequam Taurum transiret.

decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent, ne in venditionem tributorum et illam acerbissimam exactionem (quam tu non ignoras) capitum atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii. Ego autem quum hoc suscepissem non solum iustitia, sed 12
etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates et perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumtu non necessario negligens esse. Tu, si istiusmodi sermones ad te delati 13
de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut, quae tibi in mentem veniant, aliis attribuas, genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. Ego si in provincia detrahere 14
de tua fama unquam cogitassem, non ad generum tuum, neque ad libertum tuum Brundisii, neque ad praefectum fabrum Corcyrae, quem in locum me venire velles, rettulissem. Quare potes, doctissimis 15
hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda praeclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere, *disputabant, ego contra disserebam; dicebant, ego negabam.* An mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quod, quum me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisti? quod iisdem diebus meus conventus erat Apameae, Synnadis, Philomelii, tuus Tarsi? Non dicam plura, ne, in quo te obiurgem, id ipsum videar imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quae alios loqui dicis, ipse sentis, 16
tua summa culpa est; sin autem alii tecum haec loquuntur, tua tamen, quod audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur. Quod si qui me astutiorem fingit, 17
quid potest esse callidius, quam, quum te absentem semper defenderim, quum praesertim mihi usu venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens a te defendendus essem, nunc committere me, ut tu iure optimo me absentem deserere posses? Unum genus excipio ser- 18

§. 11. *vendit. trib.* Omnis pecunia — verba sunt Ernestii ad III, 7. — tributum dicitur, quae per partes descripta in singula capita datur et exigitur: collatitiam vocant. Tributa vero quum exigi celeriter non possunt, venduntur alicui, qui, quanti emit, tantum statim de suo numerat, deinde per singula capita atque ostia exigit acerbissime, accepta cogendi potestate.

* *exactionem capitum* supra ep. LI, 2. dixit *ἐπικεφάλια.*

§. 12. * *perditas maxime per magistratus suos;* addit haec, ne Appio maledicere videatur, sed cf. LI, 2.

[§. 14. *generum tuum* M. Brutum. ad Fam. III, 4.]

[*libertum tuum* etc. Vid. ep. 49, 5. 6. 52, 1. 3.]

§. 15. * *me Laodiceam venire voluisses,* ep. LII, 4.

conventus, iuris dicendi causa.

* *in quo te obiurgem,* in vanis hominum sermonibus temere credendis et referendis.

§. 17. *callidius.* Ridet eos, qui ipsum astutiorem fingebant; nam nihil minus potest esse callidum, quam *committere, ut* etc. cf. ep. 67, §. 14 et 18.

* *non arbitrarer,* non enim sua sponte Cicero Roma in provinciam abiit, sed senatusconsulto et lege coactus.

monis, in quo persaepe aliquid dicitur, quod te putem non nolle dici, si aut legatorum tuorum cuipiam aut praefectorum aut tribunorum militum male dicitur; quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur aut in plures, quam mecum Corcyrae Clodius est locutus, quum in eo genere maxime
19 quereretur, te aliorum improbitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quod et multi sunt et tuam existimationem, ut ego sentio,
20 non offendunt, lacessivi nunquam, sed non valde repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam, simulque non de me is peius, quam de te, existimat; sin autem quem mea instituta in provincia non delectant et quadam dissimilitudine institutorum meorum ac tuorum laedi se putat, quum uterque nostrum recte fecerit, sed non idem uterque seculus sit, hunc ego amicum habere non
21 curo. Liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in provincia patuit; nostra si angustior, (etsi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus propter quandam tristitiam temporum) non debent mirari homines, quum et natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior et temporibus, quibus alii moventur, iisdem ego movear, *me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi.*

22 De rebus urbanis quod me certiorem fecisti, quum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti, tibi omnia mea mandata curae fore. In quibus unum illud te praecipue rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat aut temporis, Hortensiumque, nostrum collegam et familiarem, roges, ut, si unquam mea causa quidquam aut sensit aut fecit, de hac quoque sententia bima decedat, qua mihi nihil potest esse inimicius.

23 De nostris rebus quod scire vis, Tarso Nonis Octobr. Amanum versus profecti sumus. Haec scripsi postridie eius diei, quum castra haberem in agro Mopsuhestiae. Si quid egero, scribam ad te, neque domum unquam ad me litteras mittam, quin adiungam eas, quas tibi

§. 19. * *non offendunt*, aliam sententiam sequitur ep. XIII, 19, ubi Q. fratrem monet, *esse circumspiciendum diligenter, ut — non se unum, sed omnes ministros imperii sui socios et rei publicae praestare videatur.*

§. 20. * *hunc*, i. e. te, si in ea sententia es.

§. 21. * *ad largiendum ex alieno*, acerbe in Appium, quasi eius liberalitas in comites et ministros ex alieno fuerit, ideoque late patuerit in provincia. MAN.

[*ego movear*, ita ut queri possit quispiam, *me esse* etc. Versus est antiqui poetae, *Med esse — mihi*, ut edidit Martyni-Lag.]

[§. 22. *collegam*, in auguratu, vid. Cic. Brut. in.]

[*sententia bima*, ut provinciae per biennium ab iisdem obtinerentur. *Manut.* Sic ad Fam. X, 24. *legio bima*, quae duos annos meruit. *Ern. cl. Cic.*]

§. 23. * *Amanum*, montem in finibus Ciliciae et Syriae, cuius incolae nondum sub potestatem P. R. erant redacti.

* *Mopsuhestiae*, oppidi Ciliciae ad Pyramum fluvium.

* *ad me*, i. e. domum meam;

reddi velim. De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto; Arabes 24
qui fuerunt, admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum. Tu velim ad me quam saepissime et de tuis rebus scribas et de meis et de omni rei publicae statu. De quo sum sollicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognovi, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum.

EPISTOLA LVII. (Ad Div. II. 7.)

Scr. in castris ad Pindenissum A. U. C. 702.

M. T. CICERO IMP. C. CURIONI, TRIBUNO PL. S. D.

Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negli- 1
gentia praetermissa est: longe enim absum, audio sero. Sed tibi et gratulor et, ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto, teque hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientius suadere 2
possit te ipso; nunquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere; cui scribam, video; novi animum, novi consilium tuum; non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. Quod in rei publicae tempus non incideris, sed 3
veneris, (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides; quanta vis in re publica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura et cogita nihil novi, 4
sed illud idem, quod initio scripsi; tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quam tu, non facile inveniri potest; tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dii immortales! cur ego non adsum vel spectator lau- 5
dum tuarum vel particeps vel socius vel minister consiliorum? Tametsi hoc minime tibi deest; sed tamen efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem iuvare. Scribam ad te plura alias: pau- 6
cis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut, quoniam sane feliciter et ex mea sententia rem publicam gessimus, unis lit-

sic pr. Mil. 19. *devertit Clodius ad se in Albanum.*

§. 24. * *in Hispaniam*, quam per legatos administrabat.

[LVII, §. 2. *te ipso.* Similis sententia est Horatii Epist. I, 16, 19. de qua vid. Muret. ad Aristot. Eth. T. III. p. 181. Opp. ed. Ruhnk.]

[§. 3. *vanitatis*, simulationis. *Vanitas* enim opp. *veritati*, ut Nat. d. II, 21, 56. Tusc. III, 1 extr.]

§. 4. * *amabo te*, cf. ad ep. XXVI, 1.

§. 6. * *feliciter — rem publicam gessimus*, devictis hostibus in monte Amano et Pindenisso capto, quibus rebus gestis imperator est ab exercitu appellatus.

7 teris totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamquam difficili in re atque causa, 8 cognosces ex iis litteris, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia meaque item in te singulari, rogo atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Praesens tecum egi, quum te tribunum plebis isto anno fore non putarem, itemque petivi saepius per litteras, sed tum quasi a senatore nobilissimo, adolescente etiam gratiosissimo, nunc a tribuno plebis et a Curione tribuno, non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius, sed ut ne quid novi decernatur, ut et senati consultum et leges defendas, eaque mihi condicio maneat, qua profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA LVIII. (Ad Div. XIII. 55.)

Scr. in Cilicia, exeunte Dec. A. U. C. 702.

M. T. CICERO THERMO PROPR. S. D.

1 Etsi mihi videor intellexisse, quum tecum Ephesi de re M. Anneii, legati mei, locutus sum, te ipsius causa vehementer omnia velle, tamen et M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem praetermittendum, quod illius intersit, et me a te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis 2 meae. Nam quum iam diu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, ut res declarat, ut qui ultro ei detulerim legationem, quam multis petentibus denegassem, tum vero posteaquam mecum in bello atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem plu- 3 ris faciam. Eum cum Sardianis habere controversiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi; quam tu tamen coram facilius meliusque 4 cognosces. De reliquo mihi, mehercule, diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem: ius enim quemadmodum dicas, clarum et magna cum tua laude notum est. Nobis autem in hac causa nihil

[§. 7. *De sacerdotio*, de pontificatu, quem petiit et obtinuit, patre mortuo, in eius locum surrogatus. De eo *curam adhibuit* Cic. litteris ad amicos Romam scriptis. Mox *res* est surrogatio pontificis, *causa*, ut Curio surrogaretur. *E Manut.*]

§. 8. * *a Curione tribuno*, cf. ad ep. XLIII, 3.

* Ep. LVIII. Q. Minucio *Thermo*, qui Cicerone consule praetor fuerat, tunc Asiae propraetori.

§. 1. * *M. Anneii*, cf. ep. LXI, 3. 14.

§. 2. * *in bello*, contra Amanienses et Eleutherocilices.

§. 3. * *coram*, Sardibus, in urbe primaria Lydiae, ubi tum Thermus forum agebat. Videntur Sardiani M. Anneio pecuniam debuisse.

§. 4. * *magna cum tua laude notum est*. Ciceronem non ambitiose sed ex animo laudare Thermum, intelligitur coll. ad Att. VI, 1, 13.

aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. Sed tamen quum 5
me non fugiat, quanta sit in praetore auctoritas, praesertim ista integritate, gravitate, clementia, qua te esse inter omnes constat, peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine plurimisque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te et sibi amicum esse, quod non dubitat, (saepe enim mecum locutus est) et multo amiciorem his meis litteris esse factum. In tuo toto imperio atque provincia nihil est, quod 6
mihi gratius facere possis. Iam apud ipsum gratissimum hominem atque optimum virum quam bene positurus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo.

EPISTOLA LIX. (Ad Div. XIII. 65.)

Scr. in Cilicia A. U. C. 702.

M. T. CICERO P. SILIO PROPR. S. D.

Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro 1
dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est, multaque et magna inter nos officia paria et mutua intercedunt. Eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me 2
praeterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neque ab Ephesiis ullo modo impetrare potuisse. Sed quoniam, quemadmodum omnes existimant et ego intelligo, tua quum summa integritate, tum singulari humanitate et mansuetudine consecutus es, ut lubentissimis Graecis nutu, quod velis, consequare, peto a te in maiorem modum, ut honoris mei causa hac laude Hisponem affici velis. Praeterea cum 3
sociis scripturae mihi summa necessitudo est, non solum ob eam causam, quod ea societas universa in mea fide est, sed etiam quod plerisque sociis utor familiarissime. Ita et Hisponem meum per me 4
ornaris, et societatem mihi coniunctiorem feceris, tuque ipse et ex

Thermum, Silium vere audis laudari; valde se honeste gerunt.

Ep. LIX. *Silio propr.* Bithyniae.

[§. 1. *qui operas — dat.* ad Att. II, 10. *P. Terentius, meus necessarius, operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dat. Operae* proprie sunt eorum, qui vectigalia exigunt, ut ep. 60, 4. *Est in operis societatis. Magister* est Director, quem hodie vocant, *pro magistro Vice-Director,* ut expl. Ern. in Cl.] * cf. ad ep. L, 5. — *officia paria et mutua,* cf. ep. LVIII, 5.

* *pactiones,* ut certam pecuniam, quam ipsae a civibus exigerent, publicanorum societati pro vectigalibus solverent.

[§. 2. *sed quando.* Sic vett. edd. pro quo postea e duobus codd. receperunt *sed quum — consecutus es,* soloece.] * Recepimus ex Med. cum Orell. *quoniam.*

* *Graecis,* cf. ep. XIII, 16.

§. 3. * *sociis scripturae,* societate publicanorum, qui scripturam, i. e. vectigalia ex pascuis publicis, conduxerunt.

[§. 4. *ornaris — feceris — affeceris,* nimirum *si Terentium adiu-*

huius observantia, gratissimi hominis, et ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies, et me summo beneficio affeceris. Sic enim velim existimes, ex tota tua provincia omnique isto imperio nihil esse, quod mihi gratius facere possis.

EPISTOLA LX. (Ad Div. III. 9.)

Scr. videtur A. U. 702. in Cilicia.

CICERO CRASSIPEDI S.

1 Quamquam tibi praesens commendavi, ut potui diligentissime, socios Bithyniae, teque quum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscunque rebus posses, commodare, tamen, quum ii, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua essem erga 2 ipsos voluntate, non dubitavi haec ad te scribere. Volo enim te existimare, me, quum universo ordini publicanorum semper libentissime tribuerim, idque magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum esse huic Bithynicae societati, quae societas ordine, ipso hominum genere, pars est maxima civitatis: constat enim 3 ex ceteris societatibus: et casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares, in primisque is, cuius praecipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius, P. F. Menenia, qui est magister in ea socie- 4 tate. Quae quum ita sint, in maiorem modum a te peto, Cn. Pupium, qui est in operis eius societatis, omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare curesque, ut eius operae, quod tibi facile factu est, quam gratissimae sint sociis, remque et utilitatem sociorum, (cuius rei quantam potestatem quaestor habeat, non sum ignarus) per 5 te quam maxime defensam et auctam velis. Id quum mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto et spondeo, te socios Bithyniae, si iis commodaris, meliores esse et gratos cogniturum.

veris, dictum est, quia haec, *ornare, facere, afficere* eodem temporis momento absoluta erunt, quo *adiuvare*, et res sunt brevi praetereuntes; at *capies*, quia hoc et continuum est, et aliquo demum tempore post locum habebit. Sic ad Fam. X, 14. *Quod si erit factum, et remp. divino beneficio affeceris et ipse aeternam gloriam consequere.* Male vulgo futurum exactum pro simplici positum dicunt, v. c. Ruddiman. p. 383. ed. Stallb. Soli e grammaticis nostris Broedero aliquid de hoc usu fut. exacti suboluit §. 618. not. 2. Cf. ad Catil. IV, 6, 11 et Exc. ad Cic. orat.]

Ep. LX. *Crassipedi*, proquaestori Bithyniae, eidem fortasse, qui Ciceronis filiam Tulliam uxorem duxerat, brevi tamen dimissam. cf. ep. XXXVI, 25.

§. 2. * *tribuerim*, commendandi officium.

* *constat enim ex ceteris societatibus*, ex omnibus publicanorum societatibus insunt aliquot in hac societate; itaque si huic societati commodaris, omnes etiam reliquas tibi devincies.

§. 3. * *Menenia*, tribu.

§. 4. * *non sum ignarus*, nam Cicero ipse quaestor fuerat in Sicilia.

EPISTOLA LXI. (Ad Div. XV. 4.)

Scr. initio Ianuarii A. U. C. 703. L. Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello Coss.

M. T. CICERO IMP. M. CATONI S. D.

Summa tua auctoritas fecit meumque perpetuum de tua singulari 1
virtute iudicium, ut magni mea interesse putarem, et res eas, quas gessissem, tibi notas esse, et non ignorari a te, qua aequitate et continentia tuerer socios provinciamque administrarem. Iis enim a te cognitis arbitrabar facilius me tibi, quae vellem, probaturum. Quum 2
in provinciam pridie Kal. Sext. venissem, et propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem, biduum Laodiceae fui, deinde Apameae quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomelii. Quibus in oppidis quum magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis et gravissimis usuris et falso aere alieno liberavi. Quumque ante adventum meum seditione quadam exercitus 3
esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelium consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod 4
quum ab illo diligenter esset actum, ego in castra a. d. VII. Kal. Septembr. veni, quum interea superioribus diebus ex senatus consulto et evocatorum firmam manum et equitatum sane idoneum et populorum liberorum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Interim quum, exercitu lustrato, iter in Ciliciam facere coepissem, Kal. 5
Septembr. legati a rege Commageno ad me missi pertumultuose, neque tamen non vere, Parthos in Syriam transisse nuntiaverunt. Quo audito, vehementer sum commotus, quum de Syria, tum de mea provincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum 6
per Cappadociae regionem eam, quae Ciliciam attingeret, putavi. Nam si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis

§. 1. * *res eas*, bellicas. — *socios* non ut in superioribus epistolis publicanos, sed homines provinciales significare, ut ep. LV, 10., facile intelligitur.

* *quae vellem*, ut supplicationem mihi decerneres.

[§. 2. *acerbiss. trib. Tributa* imposita ad impensas in praesidibus faciendas. vid. Clav. *usurae graves* sunt intelligendae ex epp. ad Att. VI, 1. 2. *quaternarum centesimarum* (48 proc.) *cum anatocismo*, quas negotiatores exigebant, et inde *falsum aes alienum*. *Ern.* Ad rem cf. supra ep. 51, 2. 3. 63, 3.]

§. 3. * *M. Anneio*, cf. ep. LVIII, 1.

§. 4. * *ex senatus consulto*, cf. ep. LV, 10. — *evocatorum*, v. ad ep. LII, 10.

§. 5. * *a rege Commageno*, Antiocho, cui minorem fidem habendam putabant Ciceronis comites, cf. ep. LV, 2.

Amani naturam facile tenuissem: (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria; quorum uterque parvis praesidiis propter angustias intercludi potest, nec est quidquam Cilicia contra Syriam munitius;) sed me Cappadocia movebat, quae patet a Syria regesque habet finitimos, qui, etiamsi sunt etiam amici nobis, tamen aperte Parthis inimici
7 esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut et Ciliciam tuerer et Cappadociam tenens nova finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu tantaque exspectatione maximi belli rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo et tuo et senatus iudicio tributum est, vir quum benevolentia et fide erga populum Romanum singulari, tum praesentia, magnitudine et animi et consilii, legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cuius ego studio officioque commotus, egi ei per litteras gratias, idque ut
8 maturaret, hortatus sum. Quum autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem moratus, regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu, te auctore, commendatam habebam, praesentibus insidiis necopinantem liberavi, neque solum ei saluti fui, sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram et eum, quem tu mihi diligenter commendaras, Athenaeum, importunitate Athenaidis exsilio
9 multatos, maxima apud regem auctoritate gratiaque constitui. Quumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus ex toto iis qui novari aliquid volebant, perfeci, ut e regno ille discederet, rexque sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret.
10 Interea cognovi multorum litteris atque nuntiis, magnas Parthorum copias et Arabum ad oppidum Antiocheam accessisse, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum

§. 6. * *duo sunt enim aditus*, cf. Xen. Anab. I, 2, 21. I, 4, 4. Ἦσαν δὲ ταῦτα (πύλαι τῆς Κιλικίας καὶ Συρίας) δύο τείχη. — Ἅπαν δὲ τὸ μέσον τῶν τειχῶν ἦσαν στάδιοι τρεῖς· καὶ παρελθεῖν οὐκ ἦν βίᾳ· ἦν γὰρ ἡ πάροδος στενὴ καὶ τὰ τείχη εἰς τὴν θάλατταν καθήκοντα, ὕπερθεν δ' ἦσαν πέτραι ἠλίβατοι· ἐπὶ δὲ τοῖς τείχεσιν ἀμφοτέροις ἐφεστήκεσαν πύλαι.

* *etiam amici*, fortasse *clam am.* ORELL.

§. 7. * *nova consilia*, consilia rerum novandarum, desciscendi a Romanis.

[§. 8. *Ariobarzanem*, vid. ep. LIV, 4 sqq.]

* *ut cum auctoritate regnaret*, ep. LIV, 12. *illum cohortatus sum, ut in sua vita conservanda primum regnare disceret.*

* *Athenaidis*, quae mater aut uxor fuisse videtur Ariobarzanis.

§. 9. *sacerdos* Comanorum, Archelaus a Pompeio constitutus. Auctor de b. Alex. 66. *Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos deae eius maiestate, imperio et potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur.*

§. 10. * *Antiocheam*, caput Syriae.

turmis et a cohorte praetoria, quae erat Epiphaneae praesidii causa, occidione occisum. Quare quum viderem, a Cappadocia Parthorum 11
copias aversas non longe a finibus esse Ciliciae, quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quo ut veni, hostem ab 12
Antiochea recessisse, Bibulum Antiocheae esse cognovi; Deiotarum confestim iam ad me venientem cum magno et firmo equitatu et peditatu et cum omnibus suis copiis certiorem feci, non videri esse causam, cur abesset a regno, meque ad eum, si quid novi forte accidisset, statim litteras nuntiosque missurum esse. Quumque eo 13
animo venissem, ut utrique provinciae, si ita tempus ferret, subvenirem, tum id, quod iam ante statueram, vehementer interesse utriusque provinciae, pacare Amanum et perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. Quumque me discedere ab eo monte simulas- 14
sem et alias partes Ciliciae petere, abessemque ab Amano iter unius diei, et castra apud Epiphaneam fecissem, a. d. quartum Idus Octobres, quum advesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut a. d. tertium Idus Octobres, quum lucisceret, in Amanum ascenderem, distributisque cohortibus et auxiliis, quum aliis Q. frater legatus mecum simul, aliis C. Pomptinius legatus, reliquis M. Anneius et L. Tulleius legati praeessent, plerosque necopinantes oppressimus, qui occisi captique sunt, interclusi fuga. Eranam autem, quae fuit non 15
vici instar, sed urbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram et Commorim, acriter et diu repugnantibus, Pomptinio illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus castellaque vi capta complura incendimus. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani 16
habuimus apud Aras Alexandri quatriduum, et in reliquiis Amani delendis agrisque vastandis, quae pars eius montis meae provinciae est, id tempus omne consumpsimus. Confectis his rebus, ad oppi- 17
dum Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi; quod quum esset altissimo et munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruissent, quum et fugitivos reciperent et Parthorum adventum acerrime exspectarent, ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam, quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. Vallo et fossa circumdedi; sex castellis castrisque maximis saepsi; 18

* *Epiphaneae*, in oppido Ciliciae ad Amanum montem.

§. 11. * *Bibulum Antiocheae esse*, cf. ep. LV, 1.

§. 13. * *utrique provinciae*, et meae et Bibuli.

§. 14. * *cohortibus*, civium, *et auxiliis*, sociorum.

§. 15. * *repugnantibus*, incolis Sepyrae et Commoris, ignotorum alias vicorum. — *vi capta*, ex sagacissima Madvig. coniectura recepimus, quum antea legeretur *sex c.*; VI enim quum scriptum antiquitus esset, vocabulum pro numeri nota acceptum est.

§. 16. * *Aras Alexandri*, quas Alexander M. devicto apud Issum Dario ad Pyrami amnis ripam Iovi, Herculi, Minervae constituit.

aggere, vineis, turribus oppugnavi; ususque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia sumptuve sociorum, septimo quinquagesimo die rem confeci, ut, omnibus partibus urbis disturbatis aut incensis, compulsi in potestatem meam pervenirent.
19 His erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani; ab iis, Pindenisso capto, obsides accepi; exercitum in hiberna dimisi. Q. fratrem negotio praeposui, ut in vicis aut captis aut male pacatis exercitus collocaretur.

20 Nunc velim sic tibi persuadeas, si de his rebus ad senatum relatum sit, me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia tua comprobaris, idque, etsi talibus de rebus gravissimos homines et rogare solere et rogari scio, tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto. Tu es enim is, qui me tuis sententiis saepissime ornasti; qui oratione, qui praedicatione, qui summis laudibus in senatu, in contionibus ad caelum extulisti; cuius ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut, uno verbo tuo cum mea laude coniuncto, omnia assequi me arbitrarer. Te denique memini, quum cuidam clarissimo atque optimo viro supplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas is consul in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato, non ut multis, re publica bene gesta,
21 sed, ut nemini, re publica conservata. Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempestates et subieris et multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris; quod denique inimicum meum tuum inimicum putaris; cuius etiam interitum, ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in senatu
22 defendenda, approbaris. A me autem haec sunt profecta, quae ego in beneficii loco non pono, sed in veri testimonii atque iudicii, ut praestantissimas tuas virtutes non tacitus admirarer; (quis enim in te id non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Graecis Latinis, omni denique varietate litterarum mearum, te non modo iis, quos vidisse-
23 mus, sed iis, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quaeres

§. 20. * *honorem meum*, supplicationem mihi decernendam pro re bene gesta.

clarissimo atque opt. viro, Lentulo Spintheri, qui consul de Cicerone restituendo maxime laboraverat; hae sunt res in urbe gestae. Vidit Schütz.

re publica bene gesta. Catil. IV, 10. *ceteris enim semper bene gestae, mihi uni conservatae reipublicae gratulationem decrevistis.* cf. in Pison. 3. in Philipp. II, 1. XIV, 8.

* *admonendum potius quam rogandum*, cf. ep. XLI, 71.

§. 21. * *inimicum meum*, P. Clodium. — *Milonis causa*, qui, quod Clodium interfecerat, de vi accusatus et a Cicerone frustra defensus est. Pedianus narrat, Catonem studuisse in petitione consulatus Miloni, et reo adfuisse, nec dissimulasse, bene actum esse cum republica morte P. Clodii. MAN.

§. 22. * *Graecis*, cf. ep. XII, 18.

fortasse, quid sit, quod ego hoc nescio quid gratulationis et honoris a senatu tanti aestimem. Agam iam tecum familiariter, ut est et studiis et officiis nostris mutuis et summa amicitia dignum et necessitudine etiam paterna. Si quisquam fuit unquam remotus et natura 24
et magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus, in quo, sicut in reliqua vita, fateor, ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset, ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi expetendam. Itaque et provinciam 25
ornatam et spem non dubiam triumphi neglexi; sacerdotium denique, quum, quemadmodum te existimare arbitror, non difficillime consequi possem, non appetivi. Idem post iniuriam acceptam, quam tu rei publicae calamitatem semper appellas, meam non modo non calamitatem, sed etiam gloriam, studui quam ornatissima senatus populique Romani de me iudicia intercedere. Itaque et augur postea fieri 26
volui, quod antea neglexeram, et eum honorem, qui a senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meae voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii ad sanan- 27
dum vulnus iniuriae, ut faveas adiutorque sis, quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo, sed ita, si non ieiunum hoc nescio quid, quod ego gessi, et contemnendum videbitur, sed tale atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores summos a senatu consecuti sint. Equidem etiam mihi illud animum ad- 28
vertisse videor — scis enim, quam attente te audire soleam — te non tam res gestas, quam mores, instituta atque vitam imperatorum spectare solere in habendis aut non habendis honoribus. Quod si in 29
mea causa considerabis, reperies, me, exercitu imbecillo, contra metum maximi belli firmissimum praesidium habuisse aequitatem et continentiam. His ego subsidiis ea sum consecutus, quae nullis legionibus consequi potuissem, ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderem, animosque novarum rerum exspectatione suspensos ad veteris imperii benevolentiam traducerem. Sed nimis haec multa de me, praesertim ad te, a quo uno omnium 30
sociorum querelae audiuntur; cognosces ex iis, qui meis institutis se recreatos putant. Quumque omnes uno prope consensu de me

§. 25. *provinciam ornatam*, in Pis. 2. *ego provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam — — in concione deposui.* cf. supra V, 6. Phil. XI, 10. ad Att. II, 1. Ea provincia accepta, triumphare poterat de Salassis et aliis Inalpinis gentibus, quibuscum postea Metellus bellum gessit. vid. sup. ep. 4.

Sacerdotium, auguratum.

* *iniuriam acceptam*, exsilium.

§. 26. * *augur fieri volui*, factus est augur in locum P. Crassi, a Parthis caesi, Pompeio et Hortensio auctoribus.

§. 27. * *nescio quid*, ut §. 23., est formula aut vere aut simulate dubitantis, quae extenuationi inservit.

§. 29. * *maximi belli*, Parthici.

apud te ea, quae mihi optatissima sunt, praedicabunt, tum duae maximae clientelae tuae, Cyprus insula et Cappadociae regnum, tecum de me loquentur; puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi est
31 maxime necessarius. Quae si etiam maiora sunt, et in omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent; est profecto tuum, quum ad res bellicas haec, quae rariora et difficiliora sunt, genera virtutis adiunxeris, ipsas etiam
32 illas res gestas iustiores et maiores putare. Extremum illud est, ut, quasi diffidens rogationi meae, philosophiam ad te allegem, qua nec mihi carior ulla unquam res in vita fuit, nec hominum generi maius
33 a deis munus ullum est datum. Haec igitur, quae mihi tecum communis est, societas studiorum atque artium nostrarum, quibus a pueritia dediti ac devincti soli propemodum nos philosophiam illam veram et antiquam, quae quibusdam otii esse ac desidiae videtur, in forum atque in rem publicam atque in ipsam aciem paene deduximus, tecum
34 agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto. Quamobrem tibi sic persuadeas velim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis litteris fuerit, me sic existimaturum, quum auctoritate tua, tum benevolentia erga me mihi, quod maxime cupierim, contigisse.

EPISTOLA LXII. (Ad Div. XV. 14.)

Scr. in Cilicia mense Ian. A. U. C. 703.

M. CICERO IMP. S. D. C. CASSIO PROQUAEST.

1 M. Fadium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum. Multi enim anni sunt, quum ille in aere meo est et a me diligitur propter summam suam humanitatem et observantiam. Sed tamen, quod te ab eo egregie diligi sensi, multo amicior ei sum factus. Itaque quamquam profecerunt litterae tuae, tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te
2 mihi perspectus et cognitus. Sed de Fadio faciemus studiose, quae rogas; tu multis de causis vellem me convenire potuisses: primum, ut te, quem iamdiu plurimi facio, tanto intervallo viderem; deinde, ut

§. 30. * *Cyprus insula* in Catonis tutela erat, quod ei mandatum fuerat, ut ex lege Clodia bona Ptolemaei, regis Cypri publicaret regnumque in provinciae formam redigeret; de Cappadocia cf. §. 8.

§. 31. *iustiores*, eo sensu, quo *iusta victoria*, *iustus triumphus* dicitur, cui nihil deest, quique iure ita vocari potest.

§. 33. * *a Catone*, cf. ad ep. XLIII, 3.

§. 34. *ex meis litteris*, ad senatum missis.

Ep. LXII. *Cassio proquaest.* vid. ad ep. 50, 1.

§. 1. *in aere meo est*, inter meos, mei studiosus et mihi quasi obstrictus. Sic ad Div. XIII, 62.

§. 2. * *me convenire potuisses*, antequam in urbem redires.

tanto intervallo. Cassius enim cum Crasso in provinciam iverat a. U. 699. * et Crasso cum exercitu a

tibi, quod feci per litteras, possem praesens gratulari; tum, ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus; postremo, ut amicitia nostra, quae summis officiis ab utroque culta est, sed longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id quoniam non accidit, utemur bono 3
litterarum, et eadem fere absentes, quae, si coram essemus, consequemur. Unus scilicet animi fructus, qui in te videndo est, percipi litteris non potest; alter, gratulationis, est is quidem exilior, quam si tibi teipsum intuens gratularer; sed tamen et feci ante et facio nunc, tibique quum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus et summa gratia provinciae prosecuta est. Tertium est, 4
ut id, quod de nostris rebus coram communicassemus inter nos, conficiamus idem litteris. Ego ceterarum rerum causa tibi Romam pro- 5
perandum magno opere non censeo: nam et ea, quae reliqui, tranquilla de te erant, et hac tua recenti victoria tanta clarum tuum adventum fore intelligo. Sed si quae sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, propera; nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius; sin maiora, considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. Huius rei totum consilium tuum est: tu enim scis, 6
quid sustinere possis. Si potes, laudabile atque populare est; sin plane non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De 7
me autem idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paullum nostrum nostri cupidissimum; est Curio, est Furnius. Sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de 8
iis, quae proposueram, confirmatio nostrae amicitiae, de qua pluribus verbis nihil opus est. Tu puer me appetisti, ego autem semper

Parthis conciso, ad Bibuli adventum provinciae Syriae praefuerat.

gratulari ob recentem tuam victoriam §. 5.

§. 5. *ea, quae reliqui,* quum Roma abirem, nihil contra te agebatur. *recenti victoria.* ad Att. V, 20. *Rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochiae tenebatur, animus accessit, et Parthis timor iniectus est. Itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit; qua in fuga magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus.* cf. Phil. XI, 14. ad Fam. II, 10.

tuorum propinquorum aut amicorum, quibus ob pecunias in provincia contra leges captas accusatio parabatur. Nam ad Fam. VIII, 10. *in eam opinionem Cassius venerat, quae diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum et Arabas in provinciam immisisse, eosque Parthos esse, senatui renuntiasse.*

§. 6. * *scis, quid sustinere possis,* scis, num tuis opibus efficere possis, ut absolvantur tui. Tecta admonitio, quasi dicat: si damnantur tui, tibi quoque periculum impendet. MAN.

[§. 7. *Paullum,* consulem. *Curio-Furnius,* tribb. pl.]

ornamento te mihi fore duxi. Fuisti etiam praesidio tristissimis meis temporibus. Accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in vestro ingenio et industria mihi plurimum et suavitatis et dignitatis constitutum puto. Id tu ut tuo studio confirmes, te vehementer rogo litterasque ad me et continuo mittas, et, quum Romam veneris, quam saepissime.

EPISTOLA LXIII. (Ad Div. III. 7.)

Scr. Laodiceae mense Febr. A. U. C. 703.

M. T. CICERO IMP. S. D. APPIO PULCHRO.

1 Pluribus verbis ad te scribam, quum plus otii nactus ero. Haec scripsi subito, quum Bruti pueri Laodiceae me convenissent, et se Romam properare dixissent. Itaque nullas iis, praeterquam ad te et 2 ad Brutum, dedi litteras. Legati Appiani mihi volumen a te, plenum querelae iniquissimae, reddiderunt, quod eorum aedificationem litteris meis impedissem. Eadem autem epistola petebas, ut eos quam primum, ne in hiemem inciderent, ad facultatem aedificandi liberarem, et simul peracute querebare, quod eos tributa exigere vetarem prius quam ego, re cognita, permisissem: genus enim quoddam fuisse impediendi, quum ego cognoscere non possem, nisi quum ad hiemem 3 me ex Cilicia recepissem. Ad omnia accipe, et cognosce aequitatem expostulationis tuae. Primum, quum ad me aditum esset ab iis, qui dicerent, a se intolerabilia tributa exigi, quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent ante quam ego rem causamque cognossem? Non poteram, credo, ante hiemem: sic enim scribis. Quasi vero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint. Tam longe? inquis. Quid? quum dabas iis litteras, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hiemem aedificarent, non eos ad me venturos arbitrabare? Tametsi id quidem fecerunt ridicule: quas enim litteras afferebant, ut opus aestate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt. Sed scito, et multo plures esse, qui de tributis recusent, quam qui exigi velint, et me tamen, quod te velle existimem, esse facturum. De Appianis hactenus.

§. 8. *cum Bruto tuo*; cuius soror uxor erat Cassii.

* *in vestro ingenio*, tuo et Bruti.

§. 1. * *Bruti pueri*, i. e. servi, tabellarii; sic §. 4. *puer tuus*.

* *Laodiceae*, quo aestivis confectis ad forum ibi agendum redierat Cicero.

§. 2. *Legati Appiani*, quos monumentum exstruere ad Appii laudem cupientes Cicero impedierat.

* *Appiani*, incolae Appiae, oppidi Phrygiae Magnae. — *aedificationem* monumenti, quod in honorem Appii, tanquam de provincia bene meriti, erigere decreverant; cf. ep. XIII, 64.

§. 3. * *tributa exigi*, ad monumentum tuum exstruendum.

A Pausania, Lentuli liberto, accenso meo, audivi, quum diceret, 4
te secum esse questum, quod tibi obviam non prodissem. Scilicet
contempsi te, nec potest fieri me quidquam superbius! Quum puer
tuus ad me secunda fere vigilia venisset, isque te ante lucem Iconium
mihi venturum nuntiasset, incertumque, utra via, quum essent duae:
altera Varronem, tuum familiarissimum, altera Q. Leptam, praefectum
fabrum meum, tibi obviam misi. Mandavi utrique eorum, ut ante
ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem. Currens Lepta
venit mihique nuntiavit, te iam castra praetergressum esse. Confe-
stim Iconium veni. Cetera iam tibi nota sunt. An ego tibi obviam 5
non prodirem? primum, Appio Claudio? deinde, imperatori? deinde,
more maiorum? deinde, quod caput est, amico? quum in isto genere
multa etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas
postulat. Sed haec hactenus. Illud idem Pausanias dicebat, te dixisse: 6
„Quidni? Appius Lentulo; Lentulus Appio processit obviam; Cicero
Appio noluit?“ Quaeso, etiamne tu has ineptias? homo mea sententia
summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo
urbanitatem, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant; ullam Ap-
pietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta
virtutis, existimas? Quum ea consecutus nondum eram, quae sunt 7
hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam
sum admiratus; viros esse, qui ea vobis reliquissent, magnos arbi-
trabar. Postea vero, quam ita et cepi et gessi maxima imperia, ut
mihi nihil neque ad honorem neque ad gloriam deesse putarem, super-
iorem quidem nunquam, sed parem vobis me speravi esse factum.
Nec, mehercule, aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omni- 8
bus, qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipsi ante-
pono. Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paullo diligentius, ut,
quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas, Athenodorus, San-
donis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Sed, ut ad rem 9
redeam, me tibi non amicum modo, verum etiam amicissimum exi-

§. 4. * *accenso meo*, cf. ep. XIII, 27.

* *secunda vigilia*; nox in quattuor vigilias dividebatur, quae in castris buccina indicabantur; Cicero vero tum apud Iconium in castris erat.

* *Varronem*, non M. Terentium V., de quo ep. XVII, 12. XVIII, 7. sed alium nescio quem, qui ex cohorte Ciceronis erat.

[§. 5. *deinde — deinde — deinde.* vid. ad or. pro S. Rosc. c. 45. in.]

* *ambitiosius*, cf. ad ep. XLVIII, 11. ad ep. CXXIV, 5.

§. 6. * *Quidni?* scil. praetergrediar castra neque Ciceronem exspectem, hominem novum atque adeo superbum, ut mihi obviam prodire noluerit.

* *Lentulo*, qui ante Appium Ciliciam proconsul obtinuerat, cf. ep. XXXVI.

* *Appietatem aut Lentulitatem*, nobilitatem Appiorum et Lentulorum, cf. ep. XXXVI, 16.

§. 7. * *cepi*, quia honores et suo anno adeptus est et in praetura omnibus suffragiis praetor primus creatus erat. BILL.

§. 8. *Athenodorus*, Tarsensis, philosophus Stoicus, Caesaris Octaviani praeceptor.

stimes velim; profecto omnibus meis officiis efficiam, ut ita esse vere possis iudicare. Tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absim, debere videaris, quam ego tua laborarim, libero te ista cura:

πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Si autem natura es *φιλαίτιος*, illud non perficies, quo minus tua causa velim; hoc assequere, ut, quam in partem tu accipias, minus laborem.

10 Haec ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei benevolentiaeque; quam a me certo iudicio susceptam, quoad tu voles, conservabo.

EPISTOLA LXIV. (Ad Div. III. 9.)

Scr. in provincia sub finem Ianuarii, vel initio Februarii A. U. C. 703.

M. T. CICERO APPIO PULCHRO S. D.

1 Vix tandem legi litteras dignas Appio Claudio, plenas humanitatis, officii, diligentiae. Adspectus videlicet urbis tibi tuam pristinam urbanitatem reddidit. Nam, quas ex itinere, ante quam ex Asia egressus es, ad me litteras misisti, unas de legatis a me prohibitis proficisci, alteras de Appianorum aedificatione impedita, legi perinvitus. Itaque conscientia meae constantis erga te voluntatis rescripsi tibi subiratus.
2 Iis vero litteris lectis, quas Philotimo, liberto meo, dedisti, cognovi intellexique, in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent, ad urbem vero ut accesseris, vel potius ut primum tuos videris, cognosse te ex iis, qua in te absentem fide, qua in omnibus officiis tuendis erga te observantia et constantia fuis-
3 sem. Itaque quanti illud me aestimare putas, quod est in tuis litteris scriptum, si quid inciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etsi vix fieri possit, tamen te parem mihi gratiam relaturum? Tu vero facile facies: nihil est enim, quod studio et benevolentia vel
4 amore potius effici non possit. Ego, etsi et ipse ita iudicabam, et fiebam crebro a meis per litteras certior, tamen maximam laetitiam cepi ex tuis litteris de spe minime dubia et plane explorata triumphi

§. 9. *παρ' ἔμοιγε.* Il. *ά*, 174.

§. 1. * *de legatis a me prohib. prof.*, cf. ep. LVI.

* *rescripsi tibi subiratus*, ep. LXIII.

§. 3. * *etsi vix fieri possit*, ut parem gratiam referas.

§. 4. * *de spe triumphi*, quem tamen Appius non egit. Nam quum ad urbem esset cum imperio agereturque in senatu de triumpho Appii, a Dolabella de maiestate, mox etiam de ambitu accusatus, urbem intrare et praesens causam suam defendere maluit.

tui; neque vero ob eam causam, quo ipse facilius consequerer, (nam id quidem ἐπικούρειον est) sed, mehercule, quod tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. Quare quoniam plures tu habes, 5 quam ceteri, quos scias in hanc provinciam proficisci, quod te adeunt fere omnes, si quid velis; gratissimum mihi feceris, si ad me, simul atque adeptus eris, quod et tu confidis et ego opto, litteras miseris. Longi subsellii (ut noster Pompeius appellat) iudicatio et mora, si 6 quem tibi item unum alterumve diem abstulerit, (quid enim potest amplius?) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed, si me diligis, si a me diligi vis, ad me litteras, ut quam primum laetitia afficiar, mittito. Et velim, reliquum quod est promissi ac muneris 7 tui, mihi persolvas; quum ipsam cognitionem iuris augurii consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me muneribusque delector. Quod autem a me tale quiddam desideras, sane mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimum genere: nam profecto non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriae ponam, committere, ut negligens in scribendo fuisse videar, praesertim quum id non modo negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. Verum haec videbimus; illud, quod polliceris, 8 velim pro tua fide diligentiaque et pro nostra non instituta, sed iam inveterata amicitia, cures, enitare, ut supplicatio nobis quam honorificentissime quam primumque decernatur. Omnino serius misi litteras, 9 quam vellem; in quo quum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo litteras meas. Sed id feci 10 adductus auctoritate et consilio tuo, idque a me recte factum puto, quod non statim, ut appellatus imperator sim, sed aliis rebus additis aestivisque confectis, litteras miserim. Haec igitur tibi erunt curae, quemadmodum ostendis, meque totum et mea et meos commendatos habebis.

ἐπικούρειον. Nam Epicurei omnia sua causa, non aliorum, facere insimulantur. ad Div. VII, 12.

§. 5. *si quid velis*, quaerentes, num quid ibi confici velis. *Num quid vis?* solennis valedicentium formula, ut Ter. Ad. III, 3, 78.

§. 6. *Longi subsellii*, senatus, a quo tarde omnia explicarentur. *Manut.*

iudicatio, deliberatio de triumpho tibi decernendo.

[§. 7. *reliquum promissi*, libros de iure augurali. ad Famil. III, 11. *augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva.*] * cf. ad Div. III, 4, 1.

* *tale quiddam*, ut librum aliquem ad te scribam.

§. 9. * *misi litteras*, publice ad senatum de rebus in Amano et ad Pindenissum gestis, cf. ep. LXI, 34.

discessum sen. Intelligit fortasse mensem Aprilem, cuius fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. *Manut.*

§. 10. *app. imp. sim*, devictis Amaniensibus. ad Fam. II, 10. cf. supra ep. 61, 13 sqq.

aestivisque conf. quum milites in hiberna dimitterentur.

EPISTOLA LXV. (Ad Div. II. 13.)

Scr. Laodiceae exeunte Apr. A. U. C. 703.

M. T. CICERO IMP. M. COELIO, AEDILI CURULI, S. D.

1 Raras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio litteras. Vel quas proxime acceperam, quam prudentes! quam multi et officii et consilii! Etsi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, quum sentimus, 2 prudentibus fideliterque suadentibus idem videri. Ego Appium (ut saepe tecum sum locutus) valde diligo, meque ab eo diligi statim coeptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi: nam et honorificus in me consul fuit et suavis amicus et studiosus studiorum etiam meo- 3 rum. Mea vero officia ei non defuisse, tu es testis, cui iam *κωμικὸς μάρτυς*, ut opinor, accedit Phania; et mehercule etiam pluris eum 4 feci, quod te amari ab eo sensi. Iam me Pompeii totum esse scis, Brutum a me amari intelligis. Quid est causae, cur mihi non in optatis sit, complecti hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis; collegam praesertim 5 meum, et in ipsa collegii laude et scientia studiosum mei? Haec eo pluribus scripsi, quod nonnihil significabant tuae litterae subdubitare, qua essem erga illum voluntate. Credo te audisse aliquid. Falsum est, mihi crede, si quid audisti. Genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione 6 provinciae. Ex eo quidam suspicati fortasse sunt, animorum conten-

[§. 1. *quas prox. accep.* quae sunt ad Fam. VIII, 6. *Officii,* quia retulerat ad Ciceronem de Tullia Dolabellae collocanda; *consilii,* quia scripserat Coelius his verbis: *Unum illud monere te possum; si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas, et exspectes, quemadmodam exeat in hac causa, ne qua invidiosum tibi sit, si emanarit. Manut.*]

§. 2. *deposuimus.* Cic. ep. ad Brut. ap. Quintil. IX, 3, 41. *ego quum in gratiam redierim cum Appio Claudio et redierim per Cn. Pompeium.*

[§. 3. *κωμικὸς μάρτυς*, quales in comoediis occurrunt, in quibus nonnunquam „aliquis praeter exspectationem adveniens, involutam rerum notitiam explicet, patefactaque veritate sedet omnes turbas.“ *Manut.*]

* *κωμικὸς μάρτυς* dicitur Phania etiam propter nomen, quod saepe in comoediis occurrit.

Phania, libertus Appii: ad Div. III, 1. * vid. ep. LII, 1.

§. 4. * *Pompeii,* cuius filio Gnaeo filia Appii nupserat; *Brutum,* qui alteram Appii filiam in matrimonium duxerat. Itaque vel haec virorum clarissimorum affinitas effecit, ut Cicero Appium offendere nollet.

collegam in auguratu.

studiosum mei, ob libros de iure augurali ad me missos.

* *subdubitare,* omiss. accus. subi., cf. ad ep. II, 5.

[§. 5. *dissimilitudinem.* vid. 56, 20 impr. ad Att. VI, 1.]

tione, non opinionum dissensione, me ab eo discrepare. Nihil autem feci unquam, neque dixi, quod contra illius existimationem esse vellem. Post hoc negotium autem et temeritatem nostri Dolabellae deprecatorem me pro illius periculo praebeo. Erat in eadem epistola 7
„veternus civitatis.“ Gaudebam sane, et congelasse nostrum amicum laetabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. Quid 8
ais? Caesarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret praeter me? Nam, ita vivam, putavi. Dii immortales! quam ego risum nostrum desidero! Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, 9
civitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conservaram, privatis, summis infimis, fueram iucundus, proficisci in Ciliciam Nonis Maiis, et, quum prima aestiva attigissem militemque collocassem, decedere ex senatusconsulto. Cupio te aedilem videre, miroque desiderio me urbs afficit et omnes mei, tuque in primis.

EPISTOLA LXVI. (Ad Div. II. 18.)

Scr. Laodiceae initio mensis Maii A. U. C. 703.

M. CICERO IMP. S. D. Q. THERMO PROPRAETORI.

Officium meum erga Rhodonem ceteraque mea studia, quae tibi 1
ac tuis praestiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo, mihique scito in dies maiori curae esse dignitatem tuam, quae quidem a te ipso integritate et clementia tua sic amplificata est, ut nihil

§. 6. *Dolabellae*, generi Ciceronis, qui Appium accusaverat de maiestate et de ambitu. Infra ep. 67. et ad Fam. VIII, 6.

* *deprecatorem me praebeo*, cf. ep. LXVII, 3.

§. 7. *veternus civ.* ad Fam. VIII, 6. in Coelii epistola: *Curioni nostro tribunatus conglaciat* (nihil agit in trib.). *Sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant: nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.*

§. 8. *chirographo*, quum in reliqua epistola amanuensis opera usus esset. *Manut.*

defendit Curio. Coelius VIII, 6. Curio *levissime-transfugit ad populum et pro Caesare loqui coepit.* * Quantum spei aliquot annis ante Cicero in Curione posuerit, intelligitur ex epp. XLII. XLIII. XLV. Caesar vero ingenti pecunia Curionis studia sibi conciliaverat; centies HS. fuisse Vell. Pat. II, 48. tradit.

* *quam ego ris. n. desid.*, quam vellem tecum ridere has ineptias.

§. 9. *iurisdictionem*, Laodiceae. *locupletaram.* ad Att. VI, 2. *Mira erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant; quaesivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant; aperte fatebantur. Itaque sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt.*

reliqua, vectigalia nondum soluta. ad Att. l. c. *Populi nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt.*

* *militemque collocassem*, praesidio enim opus erat propter metum Parthici belli.

Ep. LXVI. *Thermo propraetori* Asiae. * cf. ep. LVIII.

2 addi posse videatur. Sed mihi magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi, graves te suscepturum inimicitias, si ado-
3 lescens potens et nobilis a te ignominia affectus esset. Et hercule sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso vincit viros optimos hominesque innocentissimos, legatos tuos, quod et quaestor
4 est et quaestor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio, sed tamen tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, iure praesertim, quos video deinceps tribunos
5 plebis per triennium fore. Tempora autem rei publicae qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunicios? praesertim quum sine cuiusquam reprehensione quaestoriis legatis quaestorem possis anteferre?
6 Qui si dignum se maioribus suis praebuerit, ut spero et opto, tua laus ex aliqua parte fuerit; sin quid offenderit, sibi totum, nihil
7 tibi offenderit. Quae mihi veniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiscebar, existimavi me ad te oportere scribere. Tu, quod egeris, id velim dii approbent. Sed, si me audies, vitabis inimicitias et posteritatis otio consules. Vale.

EPISTOLA LXVII. (Ad Div. III. 10.)

Scr. Laodiceae initio mensis Maii A. U. C. 703.

CICERO APPIO PULCHRO S.

1 Quum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent, etsi graviter primo nuntio commotus sum, quod nihil tam praeter opinionem meam accidere potuit, tamen, ut me collegi,

§. 2. *adolescens pot.* C. Antonius, M. Antonii triumviri frater, tunc quaestor Thermi. Tertius frater erat L. Antonius.

§. 3. * *erit ignominia*, si quemquam alium provinciae praefeceris. Nam qui provincia decedebat antequam successum esset, aut quaestorem aut aliquem ex legatis provinciae ad successoris adventum iubebat praeesse; cf. ep. XLI, 75. ep. LXXII, 2.

§. 4. * *Nocere tibi neminem posse*, propter integritatem et clementiam tuam neminem te in iudicium vocare posse.

* *video — fore*; M. Antonius eo ipso anno trib. pl. fuit, L. Anton. aliquot annis post, C. nunquam.

[§. 6. *offenderit*, peccarit; vel aliquid commiserit, unde existimationis, honoris, benevolentiae iactura fiat (Manut. ad V, 14.). *sibi totum* etc. culpa eius rei tota in ipsum, nulla in te recidet.]

§. 7. * *quod in Ciliciam proficiscebar*, longius enim Cilicia abest ab Asia. De itinere Ciceronis in Ciliciam faciendo vid. ep. LXV, 9.

posteritatis, posteri temporis, ut Catil. I, 9.

§. 1. *de temeritate eorum.* Dolabellae. vid. ep. 65, 6.

* *ut me collegi*, cf. ep. XLI, 22.

cetera mihi facillima videbantur, quod et in te ipso maximam spem et in tuis magnam habebam, multaque mihi veniebant in mentem, quam ob rem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud 2
plane moleste tuli, quod certissimum et iustissimum triumphum hoc invidorum consilio esse tibi ereptum videbam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicavi faciendum esse, facies sapienter, et ages victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum: ego enim plane video fore nervis, opibus, sapientia tua, vehementer ut inimicos tuos poeniteat intemperantiae suae. De me tibi sic, contestans omnes 3
deos, promitto atque confirmo, me pro tua dignitate (ita malo enim dicere, quam pro salute) in hac provincia, cui tu praefuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis, ut spero, apud civitates, gravitate imperatoris suscepturum officia atque partes. Omnia volo a me et postules et exspectes; vincam meis officiis cogitationes tuas. Q. Servilius perbreves mihi a te litteras reddidit, quae 4
mihi tamen nimis longae visae sunt; iniuriam enim mihi fieri putabam, quum rogabar. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem, quamquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicuti perspicies; sed, quoniam accidit, si quid a me praetermissum erit, commissum facinus et admissum dedecus confitebor. Pomptinius, qui a te tractatus est praestanti ac 5
singulari fide, cuius tui beneficii sum ego testis, praestat tibi memoriam benevolentiamque, quam debet; qui, quum maximis suis rebus coactus a me invitissimo decessisset, tamen, ut vidit interesse tua, conscendens iam navem, Epheso Laodiceam revertit. Talia te quum 6
studia videam habiturum esse innumerabilia, plane dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit. Si vero efficis, ut censores creentur, et si ita gesseris censuram, ut et debes et potes, non tibi solum, sed tuis omnibus video in perpetuum summo

[§. 2. *quanti ego.* vid. ep. 61, 24.]

§. 4. * *Q. Servilius* Caepio, Appii familiaris, ceterum ignotus.

* *quum rogabar*, cf. ep. XLI, 71.

* *Pompeium, Brutum*, cf. ep. LXV, 4.

* *sicuti perspicies*, quod periculum tuum tantae mihi curae est.

§. 5. *Pomptinius*, Ciceronis legatus, *idem*, qui praetor fuerat Cicerone consule, Catil. III, 2. et Allobroges e praetura vicerat, de iisque triumphaverat, Appio ipso consule adiuvante. Att. IV, 16. Dio 37. p. 50 sq. 39. p. 120.

Laodiceam, ut in provincia operam daret, ne testes in Appium Romam irent.

[§. 6. *amplitudo* etc. Idem aliis verbis paullo ante (§. 1.) *istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Manut.*]

* *ut censores creentur*, ostendit se non dubitare, quin Appius, dummodo comitia censorum habeantur, censor creetur, id quod re vera factum est. Post Appium vero et L. Calpurnium Pisonem censores non amplius populi suffragiis creati sunt; semel tantummodo Augustus a. u. c. 732. Plancum et Lepidum censores renuntiari iussit.

7 te praesidio futurum. Illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur, ut, quum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram
8 in te benevolentiam navare possimus. Quae de hominum atque ordinum omnium erga te studiis scribis ad me, minime mihi miranda et maxime iucunda acciderunt, eademque ad me perscripta sunt a fami-
9 liaribus meis. Itaque capio magnam voluptatem, quum tibi, cuius mihi amicitia non solum ampla, sed etiam iucunda est, ea tribui, quae debeantur, tum vero remanere etiam nunc in civitate nostra studia prope omnium consensu erga fortes et industrios viros, quae mihi ipsi una semper tributa merces est laborum et vigiliarum mea-
10 rum. Illud vero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitis iudiciis summa contentione defendi, ut, tuis inimicitiis suscipiendis, oblivisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum, praesertim quum tu omnibus vel ornamentis vel praesidiis redundares, ipsi, ut lenissime dicam,
11 multa deessent. Cuius sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus, de quo item sermone
12 multa scripta sunt abs te. Ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias suscepisset, veterem coniunctionem diremissem, quam novam conciliassem: neque enim de meo erga te studio dubitare debes, ne-
13 que id est obscurum cuiquam in provincia, nec Romae fuit. Sed tamen significatur in tuis litteris suspicio quaedam et dubitatio tua; de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi autem mei necessarium. Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, si
14 te palam odissem, minus, quod quidem tibi obesset, facere, si clam, magis aperte inimicus esse? Quod si essem ea perfidia, qua sunt ii, qui haec in nos conferunt, tamen ea stultitia certe non fuissem, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut, in quo tibi nihil noce-
15 rem, summam ostenderem voluntatem nocendi. Ad me adire quosdam

§. 7. *satisfecerimus* vid. §. 3.

* *hic*, in provincia, *istic*, Romae.

§. 10. *cuius ego salutem.* ad Fam. VI, 11. Dolabella *mihi debebat, quod non defueram eius periculis.*

[*tuis inim. susc.* vid. ad ep. 32, 10.]

* *oblivisceretur patroni*; non enim nisi Ciceronis oblitus Appium, quocum Cicero in gratiam redierat, impugnare potuit.

[*vel ornam. vel praes.* iis rebus, quae vel ornamento vel praesidio esse possunt; quas memorat ep. 13. l. 2. (ep. 65, 4.) *Manut.* Cf. infra §. 20.]

* *sermo stultus*; dictitasse videtur, Ciceronem sibi filiam collocasse, quum non ignoraret, Appium a se accusatum iri; itaque ne in iudicio quidem ipso Ciceronem sibi defuturum.

[§. 13. *alienum tempus est*, ut satis gravem ex accusatione curam sustinenti hoc etiam addam molestiae. *Manut.*]

* *cuiquam legationi*; raro, ut h. l., *quisquam* adiectivi loco iungitur substantivo aliud quid quam personam significanti; cf. Hase ad Reisig. n. 361.

* *minus, quod quidem tibi obesset*, cf. ep. LVI, 6.

§. 14. * *conferunt*, cf. ad ep. XXIV, 21.

memini nimirum ex Epicteto, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni; quibus ego non tam imperavi, quam censui, sumptus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. Atque in eo ipso me non perseverasse, testes sunt rationes civitatum, in quibus, quantum quaeque voluit, legatis tuis datum induxit. Te autem quibus 16
mendaciis homines levissimi onerarunt! non modo sublatos sumptus, sed etiam a procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos et ablatos, eamque causam multis omnino non eundi fuisse. Quererer tecum atque expostularem, ni, ut supra scripsi, purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te, mallem, idque putarem esse rectius. Itaque nihil de te, quod credideris, de me, iis quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me virum bonum, si 17
dignum iis studiis eaque doctrina, cui me a pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes, nihil in me, non modo perfidiosum et fallax in amicitia, sed ne humile quidem aut ieiunum debes agnoscere. Sin autem 18
me astutum et occultum lubet fingere; quid est, quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quam aut florentissimi hominis aspernari benevolentiam, aut eius existimationem oppugnare in provincia, cuius laudem domi defenderis, aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis, aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum levissimum? Quid erat autem, 19
cur ego in te tam implacabilis essem, quum te ex fratre meo ne tunc quidem, quum tibi prope necesse esset eas agere partes, inimicum mihi fuisse cognossem? Quum vero reditum nostrum in gratiam uter- 20
que expetisset, quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere aut sentire voluisses? quid mihi mandasti, quum te Puteolis prosequerer, in quo non exspectationem tuam diligentia mea vicerim?

§. 15. * *ex Epicteto*, Phrygiae parte, in qua Midaëum, cf. ep. LVI, 6. — *ad legem Corneliam*, ibid.

[*induxit*, perscripsit: nos *anrechnen*. Cf. Verr. I, 41. Agr. II, 36.]

§. 16. * *a procuratoribus*, quibus mandatum erat, ut absentium negotia curarent.

[§. 17. *humile*, quod a magno animo abhorreat; *ieiunum*, infirmum, nihil valens, ut in quo nihil nocere possis, summam ostendere voluntatem nocendi §. 14. quod est parvi consilii.]

* *florentissimi hominis*, cf. ep. LXV, 4.

§. 19. *ne tunc quidem*, quum Appii Claudii frater C. Clodius Ciceronem impugnabat.

§. 20. *Puteolis prosequ.* in provinciam proficiscentem.

* *Puteoli* oppidum Campaniae.

[*quid mihi mandasti, in quo non — vicerim.* Constans haec est Ciceronis, et optimi cuiusque Latinorum, consuetudo, ut post *qui non s. quin*, praecedente sententia negante vel, quae idem valet, interrogatione, Coniunctivum eiusdem temporis ponant, quod praecessit, quia sequi solet actio non per aliquantum temporis continuata, sed eodem, quo prior, temporis articulo inclusa. Vid. Orat. I, 3, 10. II, 38, 161. 56, 230. III, 33, 135. Verr. I, 24, 62. II, 21, 52. IV, 1, 1. 4 in. 43, 95. V, 54, 140. Catil. IV, 5 extr. infr. ep. 72, 10. 109, 3 etc. Nam Carneades *nul-*

Quodsi id est maxime astuti, omnia ad suam utilitatem referre, quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobilissimi atque honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui, mihi magno vel ornamento vel praesidio esse possent? Quae tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia
21 quadam, sed aliqua potius sapientia, secutus sum. Quid? illa vincula, quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt! studiorum similitudo, suavitas consuetudinis, delectatio vitae atque victus, ser-
22 monis societas, litterae interiores. Atque haec domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspicione perfidiae, amplissimi sacerdotii collegium, in quo non modo amicitiam violari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat,
23 qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quae ut omittam tam multa atque tanta, quis unquam tanti quemquam fecit aut facere potuit aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum tuae filiae? Etenim si merita valent: patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto; si consuetudinis iucunditas: quae fuit unquam amicitia consularium in nostra civitate coniunctior? si illa amoris atque officii signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicavit? quid de se in senatu, quum ipse abesset, per quemquam agi maluit? quibus ille me rebus non ornatissimum voluit amplissime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, adversantem interdum actionibus suis? quo studio providit, ne quae me illius temporis invidia attingeret, quum me consilio, quum auctoritate, quum armis denique texit suis? Quibus quidem temporibus haec in eo gravitas, haec animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui aut Lycaoni, quod tu in legatis

lam rem defendit, quam non probarit idem est ac *quamcunque rem defendit, eam probavit.* At or. 61, 208. *nunc scripsit orationem generis eius, quin rediget* etc. nam per totam scribendi actionem continuo redigebat. Cf. Brut. 9. 35. Div. in Caec. 19, 62. Verr. I, 7, 1. 9. de prov. cons. 13, 33. Monui de hoc more, quia in grammaticis nostris nihil de eo praeceptum videbam, nisi quod Ramshorn. obiter attigit p. 557. not. o.]

[*secutus sum.* vid. ad or. pro S. Roscio §. 8.]

[§. 21. *litterae interiores,* a notitia vulgi remotae, itaque familiares. Sic etiam VII, 33.]

§. 22. * *sacerdotii,* auguratus.

§. 23. * *quanti ego Cn. Pompeium,* cf. ep. LXIII, 8. — *restitutum,* post exsilium. — *consuetudinis iucunditas,* cf. ep. IX, 26.

* *quum abesset;* quotiescunque post Pompeium consulem senatus in urbe habebatur, Pompeius, quia cum imperio erat, in senatum venire non poterat.

invidia, quia suspicio fuit, Ciceronis consilio Clodium a Milone interfectum, idque Plancus et Q. Pompeius tribuni pl. seditiosis contionibus persuadere populo conati sunt. *Manut.*

armis, praesidium enim Cicero petiit a Pompeio, meta plebis ob necem Clodii concitatae.

* *non modo,* cf. ad ep. XXXIII, 1.

fecisti, sed ne summorum quidem hominum malevolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius quum sit gener tuus, quumque 24
praeter hanc coniunctionem affinitatis, quam sis Cn. Pompeio carus quamque iucundus, intelligam, quo tandem animo in te esse debeo? quum praesertim eas ad me is litteras miserit, quibus, etiamsi tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumque me ad eius viri, ita de me meriti, voluntatem nutumque converterem. Sed haec hactenus, pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt.

Nunc ea, quae a me perfecta quaeque instituta sunt, cognosce. 25

(*Desiderantur nonnulla, quae fortasse ab ipso Cicerone detracta sunt.*)

Atque haec agimus et agemus magis pro dignitate, quam pro 26
periculo tuo. Te enim, ut spero, propediem censorem audiemus; cuius magistratus officia, quae sunt maximi animi summique consilii, tibi diligentius et accuratius, quam haec, quae nos de te agimus, cogitanda esse censeo.

EPISTOLA LXVIII. (Ad Div. XV. 5.)

Scr. Romae mense Iunio A. U. C. 703.

M. CATO S. D. M. CICERONI IMP.

Quod et res publica me et nostra amicitia hortatur, libenter 1
facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris pari industria administrari gaudeam. Itaque, quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia consilioque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem, sententia mea et decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua 2
in re nihil fortuito, sed summa tua ratione et continentia rei publicae provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quodsi triumphi praerogativam putas suppli- 3
cationem et idcireo casum potius, quam te, laudari mavis, neque supplicationem sequitur semper triumphus, et triumpho multo clarius est senatum iudicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris

§. 1. * *administrari*, quasi ministram adhiberi.

* *defensam provinciam* etc. cf. ep. LXI, cui hac Catonis epistola respondetur.

§. 2. * *supplicationem*, quam Cato sententia sua Ciceroni non decreverat.

§. 3 * *praerogativa* proprie tribus vel centuria dicitur, quae prima rogatur; cuius suffragium quum ceterae pleraeque sequi solerent, factum est, ut praerogativa pro auspicio et certo rei futurae indicio acciperetur.

provinciam, quam vi militum aut benignitate deorum, retentam atque
4 conservatam esse; quod ego mea sententia censebam. Atque haec ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime volo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me et voluisse de tua maiestate, quod amplissimum sim arbitratus, et, quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, et nos dilige, et instituto itinere severitatem diligentiamque sociis et rei publicae praesta.

EPISTOLA LXIX. (Ad Div. XV. 11.)

Scr. in Cilicia mense Quintili A. U. C. 703.

M. CICERO IMP. S. D. C. MARCELLO COS.

1 Quantae curae tibi meus honos fuerit, et quam idem exstiteris consul in me ornando et amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis et cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen
2 ex meorum omnium litteris. Itaque nihil est tantum, quod ego non tua causa debeam facturusque sim studiose ac libenter: nam magni interest, cui debeas; debere autem nemini malui, quam tibi, cui me tum studia communia, beneficia paterna tuaque iam ante coniunxerant, tum accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita rem publicam geris atque gessisti, qua mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus
3 debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim ii sint exitus, quos mereris et quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quae incurrebat in ipsos etesias, propediem te, ut spero, videbo.

§. 4. *maiestate*, dignitate, *quod ampl. sim arbitr.* nimirum rationi et continentiae tuae acceptam referri defensionem provinciae, non benignitati deorum §. 3.

instituto itinere, via ac modo, ratione agendi.

§. 1. * *meus honos*, supplicatio ob res in provincia gestas.

parentibus tuis, patre, C. Marcello, ad quem est ep. 8. libr. 15. ad Fam. et matre Iunia, de qua ib. et ep. 7.

* *res ipsa loquebatur*, nam C. Marcellus consul ad senatum de supplicatione Ciceroni decernenda retulerat.

§. 2. * *ita rem publicam geris*; senatus enim et optimatium auctoritatem contra Caesaris potentiam defendere studebat, adversante L. Aemilio Paullo collega.

§. 3. * *etesias*, ventos a septentrione ad occidentem, inde in orientem flantes, certo anni tempore; itaque cursum Ciceronis impediebant in Italiam ex Graecia navigantis. MAN.

EPISTOLA LXX. (Ad Div. III. 13.)

Scr. in Asia mense Sextili A. U. C. 703.

CICERO APPIO PULCHRO S.

Quasi divinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum, sic, quum de tuis rebus gestis agebatur, inserviebam honori tuo. Dicam tamen vere: plus, quam acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit, te non solum auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego a tali viro contentus eram, sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse? Haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec laborantur: insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt, talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest. Itaque mihi propono fructum amicitiae nostrae ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, praesertim in iis studiis, quibus uterque nostrum devinctus est: nam tibi me profiteor et in re publica socium, de qua idem sentimus, et in quotidiana vita coniunctum, quam his artibus studiisque colimus. Vellem ita fortuna tulisset, ut, quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere posses; quod tamen ipsum, nescio qua permotus animi divinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te; nostrum est onus. Illud velim sic habeas, quod intelliges, hac re novata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil videbatur addi posse, quam quidquam esse detractum. Quum haec scribebam, censorem iam te esse sperabam. Eo brevior est epistola, et, ut adversus magistrum morum, modestior. 1 2 3 4 5 6

EPISTOLA LXXI. (Ad Div. XV. 6.)

Scr. in Asia mense Sextili A. U. C. 703.

M. T. CICERO M. CATONI S. P. D.

Laetu' sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Naevium, *abs te, pater, a laudato viro:* ea est enim profecto iucunda laus, 1

[§. 1. *tali in officio*, in supplicatione.]

* *domum veniendo*, senatorum, quorum sententias in Ciceronis honorem ambiret.

§. 2. * *insignia virtutis*, supplicationes, triumphos.

§. 4. *meos*, Dolabellam intelligit.

* *nostrum est onus*, ut tecum in gratiam redeat Dolabella.

§. 5. *hac re novata*, quum haec nova res, coniugium filiae cum Dolabella, incidit.

§. 6. * *brevior*, quia censoris officia tibi iam maiori diligentia curanda sunt, quam haec, quae nos agimus.

LXXI. §. 1 *Laetu' sum*. Vid. ad ep. 35, 16. Versus est trochaicus tetrameter s. octonarius.

* *opinor apud Naevium*; simulat Cicero se nescire cuius poëtae ver-

quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ego vero vel gratulatione litterarum tuarum vel testimoniis sententiae dictae, nihil est, quod me non assecutum putem, idque mihi quum amplissimum, tum gratissimum est, te libenter amicitiae dedisse, quod liquido veri-
2 tati dares. Et si non modo omnes, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum exstitisse mirabile est; quem ego
3 currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum sensum et ad illud sincerum ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, quam ea tua oratio, quae est ad me perscripta a
4 meis necessariis. Sed causam meae voluntatis, — non enim dicam cupiditatis, — exposui tibi superioribus litteris; quae etiamsi parum iusta tibi visa est, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur a senatu, minime asper-
5 nandus esse videatur. Spero autem, illum ordinem pro meis ob rem publicam susceptis laboribus me non indignum honore, usitato prae-
6 sertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissime scribis, ut quum tuo iudicio, quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris, si id, quod maluero, acciderit, gaudeas. Sic enim fecisse te et sensisse et scripsisse video; resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis iucundum fuisse, quod scribendo adfuisti: haec enim senatus consulta non ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem videbo, atque utinam re publica meliore, quam timeo!

EPISTOLA LXXII. (Ad Att. VII. 1.)

Scr. Athenis circa XV. Kal. Nov. A. U. C. 703.

CICERO ATTICO S.

1 Dederam equidem L. Saufeio litteras, et dederam ad te unum, quod, quum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te venire nolebam.

sus sit, ne videatur homo consularis etiam senior poëtas lectitare, praesertim quum ad gravissimum et sapientissimum virum Catonem, ab omni abhorrentem voluptate, scribat. *Ex Man.*

* *litterarum tuarum*, ep. LXVIII. — *liquido*, salva religione, pure et aperte.

§. 2. *si non modo omnes* i. e. *si, non dicam omnes, sed si* etc. *Ern.*

quem currum aut quam laur. i. e. quem triumphum.

§. 3. *ad illud sinc.* si respicio ad illud s. et s. iudicium tuum.

[§. 4. *superioribus litt.* ep. 61, 25.]

* *parum iusta*, cf. ep. LXI, 31.

§. 5. *honore*, triumpho. Eodem pertinet §. 6. *id, quod maluero.*

§. 6. *scribendo adesse* dicuntur ii, qui, quum S. C. conscribitur, honoris causa nomina sua praeponenda curant: eae sunt *auctoritates praescriptae.*

§. 1. *Saufeio*, de quo vid. Corn. Nep. Att. 12. Erat Epicureus.

Sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. 2
Sin iam illas accepisti, scis me Athenas venisse prid. Idus Octobres; e navi egressum in Piraeeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse; conturbatum, quod cum febre Romam venisses, bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret; cohorruisse autem me, quod tuae litterae de legionibus Caesaris afferrent, et egisse tecum, ut videres, ne quid φιλοτιμία eius, quem nosti, nobis noceret; et de quo iam pridem ad te scripseram, Turranius autem secus tibi Brundisii dixerat, (quod ex iis litteris cognovi, quas a Xenone, optimo viro, accepi;) cur fratrem provinciae non praefecissem, exposui breviter. Haec fere sunt in illa epistola. 3
Nunc audi reliqua. Per fortunas! omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudico singularem, confer ad eam curam, ut de omni statu meo cogites; videre enim mihi videor tantam dimicationem, — nisi idem deus, qui nos melius, quam optare auderemus, Parthico bello liberavit, respexerit rem publicam; — sed tantam, quanta nunquam fuit.
Age, hoc malum mihi commune est cum omnibus; nihil tibi mando, 4
ut de eo cogites; illud meum proprium πρόβλημα, quaeso, suscipe.
Videsne, ut te auctore sim utrumque complexus? ac vellem a principio te audisse amicissime monentem:

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες,
πατρίδος —

Sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus, alterum, quia tantum valebat. Feci igitur: 5
itaque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me

§. 2. * *ut philosophi ambulant*, qui quum nihil praeter philosophiam curent, tardi sunt, Epicurei vero, laborem fugientes, prae ceteris; cf. etiam ad Att. IX, 4, 3. *si recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit.*

illas, nempe l. 6. ep. 9.

* *in Piraeeum*, cf. ep. LXXIV, 17. 18. — *ab Acasto*, servo Ciceronis, ad Att. VI, 9, 1.

de legionibus Caes. ad Att. VI, 9. *Idibus Octobr. has dedi litteras: quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quatuor. Quaeso, quid nobis futurum est?*

eius, Philotimi, liberti Ciceronis, qui negotiis pecuniariis se immiscere easque contarbare solebat. Ib. et VI, 4 et 5.

* *Turranius*, homo χρηστομαθής (ad Att. I, 6.), qui cum Cicerone in Cilicia fuerat. — *secus dixerat*, a me provinciam fratri esse traditam, ad Att. VI, 9, 3.

* *a Xenone*, philosopho Epicureo.

§. 4. * *Age* est unam rem tamquam concessam reponentis, qui in alia re haerens aliisque argumentis usurus ad haec attendere iubet. *Hand. Turs.* I, 209.

* *utrumque*, Pomp. et Caes.

* *amicissime monentem.* Haec referenda ad Caesarem solum. Nam Cicero ante exilium fugerat amicitiam Caesaris, Pompeio autem penitus se dederat, quo nomine saepe eum Atticus reprehendit. *Casaub.*

ἀλλ' ἐμόν. Od. ι, 33. ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον. ὡς οὐδὲν γλύκιον ἦ πατρίδος οὐδὲ τοκήων γίγνεται etc.

carior: haec enim cogitabamus, nec mihi, coniuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in re publica aliquando, nec, cum Caesare sentienti, pugnandum esse cum Pompeio; tanta erat illorum coniunctio.
6 Nunc impendet, ut et tu ostendis et ego video, summa inter eos contentio. Me autem uterque numerat suum, nisi forte simulat alter. Nam Pompeius non dubitat; vere enim iudicat, ea, quae de re publica nunc sentiat, mihi valde probari. Utriusque autem accepi eiusmodi litteras eodem tempore, quo tuas, ut neuter quemquam
7 omnium pluris facere, quam me, videretur. Verum quid agam? Non quaero illa ultima, (si enim castris res geretur, video cum altero vinci satius esse, quam cum altero vincere) sed illa, quae tum agentur, quum venero; ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittat. DIC, M. TULLI. Quid dicam? „Exspecta, amabo te, dum Atticum conveniam? Non est locus ad tergiversandum. Contra Caesarem? Ubi illae sunt densae dexterae? Nam ut illi hoc liceret, adiuvi, rogatus ab ipso Ravennae de Coelio tribuno plebis. Ab ipso autem? Etiam a Cnaeo nostro in illo divino tertio consulatu. Aliter sensero? *αἰδέομαι* non Pompeium modo, sed *Τρῶας καὶ Τρωάδας. Πουλυδάμας*
8 *μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.* Quis? Tu ipse scilicet, laudator et factorum et scriptorum meorum. Hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum consulatus, quum est actum de provincia Caesaris; nunc incido in discrimen ipsum. Itaque, ut stultus primus suam sententiam dicat, mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra urbem esse cum iustissima causa. Tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam.
9 Ridebis hoc loco fortasse. Quam vellem etiam nunc in provincia

[§. 6. *non dubitat: vere* etc. Sic recte Bremi ad Corn. Nep. praef. cf. Zumpt. gramm. l. §. 541.]

* *quae — nunc sentiat;* nam eo tempore Pompeius senatus defendebat auctoritatem.

§. 7. *cum altero vinci,* cum Pomp.

ne ratio abs. hab. etc. quod postulabant Pompeiani. ad Fam. VIII, 14. *Cn. Pompeius constituit non pati C. Caesarem consulem aliter fieri, nisi exercitum et provincias tradiderit.*

Dic, M. Tulli. Solennis formula, qua coss. utebantur in rogandis sententiis. *Graev. — densae dexterae,* promissa crebra, data dextra firmata. *Sch.* [Il. *β'*, 341. *δ'*, 159. *σπονδαί τ' ἄκροτοι καὶ δεξιαὶ, αἷς ἐπέπιθμεν.*]

de Coelio, ut M. Coelium, amicissimum meum, trib. pl. inducerem ad legem ferendam de habenda Caesaris absentis ratione. *Manut.*

tertio consul. quem sine collega gessit a. u. 701. quo anno a Milone occisus est Clodius. De re vid. infr. ep. 82. §. 4.

αἰδέομαι Τρῶας. Il. *ζ'*, 442. *χ'*, 105.

Πουλυδάμας. Il. *χ'*, 100. Intelligit autem Atticum.

§. 8. *per duos superiores,* quia profectus est ante in provinciam, quam M. Marcellus cos. a. u. 702. referret de successione Galliarum, ex proximo anno, C. Marcello cos. in itinere erat, e provincia decedens.

stultus, alius quis e senatoribus. * qui periculum non sentiens inani honore gaudeat. Orellio *stultus* corruptum videtur. Fortasse *Hillus,* facete pro *Hirrus,* ut ad Div. II, 20, 1. scribendum putat.

morari! plane opus fuit, si hoc impendebat. Etsi nil miserius: nam ὁδοῦ πάρεργον, volo te hoc scire: omnia illa prima, quae etiam tuis litteris in coelum ferebas, ἐπίτηκτα fuerunt. Quam non est 10
facilis virtus! quam vero difficilis eius diuturna simulatio! Quum enim hoc rectum et gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Coelio quaestori relinquere annuum, referre in aerarium ad H-Sx; ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere; ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum aerariis, quam nostro. Sed me non moverunt: nam et mea laus apud me plurimum valuit. Nec tamen quidquam honorifice in quemquam fieri potuit, quod praetermiserim. Sed haec fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Tu autem de nostro statu cogitabis, pri- 11
mum quo artificio tueamur benevolentiam Caesaris; deinde de ipso triumpho, quem video, nisi rei publicae tempora impedient, εὐπόριστον. Iudico autem quum ex litteris amicorum, tum ex supplicatione; quam qui non decrevit, plus decrevit, quam si omnes decresset triumphos. Ei porro assensus est unus, familiaris meus, Favonius, alter iratus, Hirrus. Cato autem et scribendo adfuit, et ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit. Sed tamen gratulans mihi Caesar de 12
supplicatione triumphat de sententia Catonis, nec scribit, quid ille sententiae dixerit, sed tantum, supplicationem eum mihi non decrevisse. Redeo ad Hirrum. Coeperas eum mihi placare; perfice. Habes 13
Scrofam, habes Silium. Ad eos ego etiam antea scripsi, et ad ipsum Hirrum: locutus enim erat cum his commode, se potuisse impedire, sed noluisse, assensum tamen esse Catoni, amicissimo meo, quum

§. 9. * *nil miserius*, quam in provincia morari.

omnia illa prima, quae tibi de comitum meorum continentia scripseram.

* *ἐπίτηκτα*, ferruminata; metaphora sumta ab ornamentis, quae vasibus aeneis ferrugine alligantur neque tam arcte cohaerent quam si caelata essent.

§. 10. *annuum*, quod ei, ut quaestori, in annum deberetur.

* *nostra cohors*, cf. ep. XIII, 23. — *Phrygum et Cil. aerar.*, quae locupletaverat, cf. ep. LXV, 9. — *in quemquam*, comitum.

Thucydides, I, 97.

§. 11. *qui non decrevit*, Cato. ad Fam. XV, 5. * ep. LXVIII.

* *Favonius*, simius Catonis cf. ep. VIII, 13; *Hirrus* erat Ciceroni iratus, quod in petitione auguratus ab eo victus erat.

§. 12. *triumphat.* ad Att. VII, 2. *Hortensius quid egerit, aveo scire, et Cato quid agat, qui quidem in me turpiter fuit malevolus. Dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, id negavit. Itaque Caesar iis litteris, quibus mihi gratulatur et omnia pollicetur, quomodo exsultat Catonis in me ingratissimi iniuria! at hic idem Bibulo dierum XX — Ignosce mihi; non possum haec ferre, nec feram.* Data est illa epistola a. d. IV. Kal. Dec.

§. 13. * *Habes* Cn. Tremellium *Scrofam, habes Silium*, utrumque senatorem, quibus utaris ad Hirrum placandum.

* *se potuisse impedire*, cf. ad Div. VIII, 11, 2.

is honorificentissimam in me sententiam dixisset, nec me ad se ullas litteras misisse, quum ad omnes mitterem. Verum dicebat: ad eum enim solum et ad Crassipedem non scripseram.

14 Atque haec de rebus forensibus; redeamus domum. Diiungere me ab illo volo. Mirus est φυράτης, germanus Lartidius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ,

reliqua expediamus. Hoc primum, quo accessit cura dolori meo; sed hoc tamen, quidquid est, Precianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me, quidquid possem nummorum, ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum. Ita puto ἄμεμπτα fore; verum ut lubebit. Hanc quoque suscipe curam, quemadmodum experiamur. Id et ostendisti quibusdam litteris, ex Epiro, an Athenis datis, et in eo ego te adiuvabo.

EPISTOLA LXXIII. (Ad Div. XVI. 1.)

Scr. in itinere III. Non. Nov. A. U. C. 703.

M. T. CICERO ET CICERO MEUS, ET FR. ET FRATRIS FIL. TIRONI S. P. D.

1 Paullo facilius putavi posse me ferre desiderium tui, sed plane non fero; et quamquam magni ad honorem nostrum interest, quam primum ad urbem me venire, tamen peccasse mihi videor, qui a te
2 discesserim; sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare, approbavi tuum consilium, neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem postea, quam cibum cepisti, videris tibi posse me consequi, tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quam primum veniret,
3 aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi per-

§. 14. *ab illo*, Philotimo.

* *Lartidius* videtur furcifer aliquis fuisse, tunc temporis omnibus notus. Explicant inde a Turnebo Adv. 20, 16., quasi esset *Laërtiades*, quod locum non habere vidit Schütz. ORELL. Matth. recepit ex Schützii coniect. *Hilarus*, qui libertus erat Ciceronis eiusque ratiocinator, homo nequam. Ἀλλὰ τὰ μέν. Il. σ', 112.

quo accessit cura, hereditatis Precianae expediendae. *dolori meo* ex amici huius morte suscepto. *Manut.*

[*ad te*, ut tu eam recipias et serves. *Ern.*]

* *ut lubebit*; si de ea re queri Philotimus volet, faciat; facile patiar. SCH.

* *experiamur*, iudicio de fraudibus Philotimi.

* Ep. LXXIII. *Tiro* libertus Ciceronis carissimus, qui eius epistolas collegisse et in eum ordinem, quo nunc leguntur redegisse traditur. Patris tunc a Cicerone aegrotus erat relictus.

§. 1. * *ad honorem nostrum*, triumphum.

§. 2. * *Marionem*, servum.

suade, si commodo valetudinis tuae fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum; si autem intelliges opus esse, te Patris convalescendi causa paullum commorari, nihil me malle, quam te valere. Si statim navigas, nos Leucade consequere; sin te confirmare vis, 4 et comites et tempestates et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Unum illud, mi Tiro, videto, si me amas, ne te Marionis adventus et hae litterae moveant. Quod valetudini tuae maxime conducet, si feceris, maxime obtemperaris voluntati meae. Haec pro 5 tuo ingenio considera. Nos ita te desideramus, ut amemus; amor, 6 ut valentem videamus, hortatur; desiderium, ut quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potissimum, ut valeas; de tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. III. Nonas Novembres.

EPISTOLA LXXIV. (Ad Att. VII. 3.)

Scr. ex Trebulano VI. Id. Dec. A. U. C. 703.

CICERO ATTICO S.

A. d. VIII. Id. Decembr. Aeculanum veni, et ibi tuas litteras 1 legi, quas Philotimus mihi reddidit; e quibus hanc primo adspectu voluptatem cepi, quod erant a te ipso scriptae, deinde earum accuratissima diligentia sum mirum in modum delectatus. Ac primum 2 illud, in quo te Dicaearcho assentiri negas, etsi cupidissime expetitum a me sit et approbante te, ne diutius anno in provincia essem, tamen non est nostra contentione perfectum; sic enim scito, verbum in senatu factum esse nunquam de ullo nostrum, qui provincias obtinuimus, quo in iis diutius, quam ex senatus consulto, maneremus, ut iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quod minus diu fuerim in provincia, quam fortasse fuerit utile. Sed, QUID SI HOC 3 MELIUS? saepe opportune dici videtur, ut in hoc ipso: sive enim ad concordiam res adduci potest, sive ad bonorum victoriam, utriusvis

§. 3. *Patris*, urbe Achaiae nobili cum commodo portu.

§. 4. *Leucade*, oppido Acarnaniae in peninsula Leucadia.

§. 6. * III. *Nonas Nov.*, postridie eius diei, quo discesserat a Tirone, cf. ad Div. XVI, 9.

Ep. LXXIV. §. 1. * *Aeculanum*, oppidum Hirpinorum, haud procul Beneventо.

* *a te ipso scriptae*; hinc colligere potuit Cicero, Atticum ex febre (cf. ep. LXXII, 2.) convaluisse.

§. 2. *Dicaearcho*, Aristotelis discipulo, Peripatetico. ad Att. II, 16.

nunc prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique a me mos gestus esse videatur.

non nostra contentione, sed quia necesse non erat, diutius in provincia manere, quam SC. constitutum erat.

utile, quia, si in provincia diutius mansissem, non in ipsam flammam civilis belli venissem.

rei me aut adiutorem velim esse, aut certe non expertem; sin vin-
4 cuntur boni, ubicunque essem, una cum iis victus essem. Quare celeritas nostri reditus ἀμεταμέλητος debet esse. Quodsi ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, nae tu haud multum requireres illum virum, qui in VI. libro informatus est. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? Quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abiicere, si id erit rectius. Utrumque vero simul agi non potest, et de triumpho ambitiose, et
5 de re publica libere. Sed ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Nam quod putas utilius esse vel mihi, quod tutius sit, vel etiam ut rei publicae prodesse possim, me esse cum imperio, id coram considerabimus quale sit: habet enim res
6 deliberationem, etsi ex parte magna tibi assentior. De animo autem meo erga rem publicam, bene facis, quod non dubitas; et illud probe iudicas, nequaquam satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse; eiusque rei causam vere explicas, et eis, quae de Fadio Caninioque acta scribis, valde consen-
7 tiunt. Quae si secus essent totumque se ille in me profudisset, tamen illa, quam scribis, custos urbis me praeclarae inscriptionis memorem esse cogeret, nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium aut Servium, quibus tu es contentus, sed aliquid nos vellet nobis dignum et sentire et defendere. Quod quidem agerem, si liceret, alio modo
8 ac nunc agendum est. De sua potentia dimicant homines hoc tempore, periculo civitatis: nam, si res publica defenditur, cur ea, consule isto ipso, defensa non est? cur ego, in cuius causa rei publicae salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem tribuni plebis ferrent? His ille rebus ita convaluit, ut nunc in uno civi spes ad resistendum sit,

§. 4. * *de triumpho cogitatio*, quae me cogit, ne cuius animum offendam, minus libere dicere de re publica quae sentiam.

in VI libro de republica.

* *quid enim tibi faciam*, qua ratione tibi satisfaciam.

rem tantam, cogitationem de triumpho.

§. 5. * *quod tutius sit*; nam cum imperio extra urbem manentem, aperte Pompeii aut Caesaris partes in senatu suscipere necesse non erat, cf. ep. LXXII, 8. — *rei publicae prodesse*, cf. ep. LXXVI, 6.

§. 6. *illum*, Caesarem.

* *de Fadio* (cf. ep. LXII, 1.) *Caninioque* (cf. ep. XXXVI, 6.) quae tunc acta sint, nescitur.

§. 7. *custos urbis*, Minervae statua, quam in exilium proficiscens in templo Iovis Capitolini posuit cum hac inscriptione: CVSTOS VRBIS. *Man.*

Volcatium, Tullum *aut Servium* Sulpicium, homines consulares, qui se neutram in partem valde iactabant. *Man.*

§. 8. *isto ipso*, Caesare.

illo modo, per vim; quia C. Trebonius trib. pl. qui legem ferebat de prorogando in alteram quinquennium Caesaris imperio, M. Catonem legi obsistentem in carcerem duxit. *Man.*

pugnatum est. vid. ep. 72, 7.

in uno civi, Pompeio.

qui mallem tantas ei vires non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret. * Sed quoniam res eo deducta est, non quaeram, ut tu 9
scribis,' *ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν;* mihi *σκάφος* unum erit, quod a Pompeio gubernabitur. Illud ipsum, quod ais, „quid fiet, quum erit dictum: DIC M. TULLI —?“ *σύντομα:* CN. POMPEIO ASSENTIOR. Ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor: sic enim sentio, maximo in periculo rem esse; vos scilicet plura, qui in urbe estis. Verumtamen hoc video, cum homine auda- 10
cissimo paratissimoque negotium esse; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere, omnem fere iuventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, tribunos valentes, addito Q. Cassio, omnes qui aere alieno premantur, quos plures esse intelligo, quam putaram; (causam solum illa causa non habet, ceteris rebus abundat;) hic omnia facere omnes, ne armis decernatur, quorum exitus semper incerti, nunc vero etiam in alteram partem magis timendi. Bibulus de provincia decessit. 11
Veientonem praefecit. In decedendo erit, ut audio, tardior. Quem quum ornavit Cato, declaravit, iis se solis invidere, quibus nihil aut non multum ad dignitatem posset accedere.

Nunc venio ad privata: fere enim respondi tuis litteris de re 12
publica, et iis, quas in suburbano, et iis, quas postea scripsisti. Ad privata venio. Unum etiam de Coelio. Tantum abest, ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia

§. 9. *ποῦ σκάφος.* Memoriter laudat versum Eurip. Troad. 459 ed. Musgr. *ποῦ σκάφος τὸ τοῦ στρατηγοῦ; — σύντομα* i. e. *συντόμως*, ut breviter complectar.

§. 10. *Q. Cassio*, fratre Caii, qui postea Caesarem occidit. Is trib. pl. Lentulo et Marcello coss. cum Antonio et Curione ad Caesarem profectus est; ad Fam. XVI, 11. * Orellius cum libris MS. retinet *C. Cassio*, quem anni proximi trib. pl. fuisse colligitur ex ep. ad Att. VII, 21, 2. Quodsi vera est libr. scriptura, Cicero falso opinatus est, C. Cassium Caesari favere.

* *omnes, qui aere alieno premantur*; hi enim vel Caesaris largitionibus, vel bonis adversariorum publicatis, vel tabulis novis prolatis se aere alieno liberatum iri sperabant.

§. 11. *Veientonem*, quaestorem suum. * Imo vero legatum; quaestor enim Bibuli erat Caninius Sallustianus, ad Div. II, 17., ut recte monuit Drumann.

in decedendo, in proficiscendo ad urbem e provincia.

* *quem quum ornavit Cato*, supplicationem XX dierum ob res Bibulo absente a C. Cassio gestas sententia sua decernens.

* *iis se solis invidere*, ut mihi; cf. ad ep. LXXII, 12. — ORELL. cum libris MS. edidit *iis se solis non invidere*; ut Cicero dicat, Bibulum tam destitutum esse omnibus iis virtutibus, quibus vera laus et dignitas paratur, ut ne honoribus quidem vel summis in eum collatis, ad dignitatem eius multum accedere possit; sed cf. ep. XLI, 16.

§. 12. *meam sententiam*, ne Pompeium sequar. * Scribit enim Coelius ad Div. VIII, 14. *Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu civiliter certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem; et id melius statuere, quod tutum sit.*

decesserit, poenitendum putem. Sed quid est, quod ei vici Lucceii
13 sint addicti? hoc te praetermisisse miror. De Philotimo, faciam equidem, ut mones. Sed ego mihi ab illo hoc tempore non rationes exspectabam, quas tibi edidit, verum id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium mea manu voluit, quodque idem in Asia mihi sua manu scriptum dedit. Id si praestaret, quantum mihi aeris alieni esse tibi edidit, tantum et plus etiam ipse mihi
14 deberet. Sed in hoc genere, si modo per rem publicam licebit, non accusabimur posthac; neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati. Ergo utemur, ut polliceris, et opera,
15 et consilio tuo, nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. De serperastris cohortis meae, nihil est, quod doleas: ipsi enim se collegerunt admiratione integritatis meae. Sed me moverat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas; idem et initio fuerat, et nunc est egregius. Sed in ipsa decessione significavit, sperasse se aliquid; et id, quod animum induxerat paullisper, non tenuit, sed cito ad se rediit, meisque honorificentissimis erga se officiis victus pluris ea duxit, quam
16 omnem pecuniam. Ego a Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortensii legata cognovi. Nunc aveo scire, quid hominis sit, et quarum rerum auctionem instituat. Nescio enim, cur, quum portam Flumentanam Coelius occuparit, ego Puteolos non meos faciam.

17 Venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus *Piraeea* scripserim, non *Piraeeum*, (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quod *in* addiderim: non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco; et tamen Dionysius noster, qui est nobis
18 cum, et Nicias Cous non rebatur, oppidum esse Piraeea. Sed de eo videro; nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod, non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco, secutusque sum, non dico Caecilium,

§. 13. * *De Philotimo*, cf. ep. LXXII, 14.

§. 14. * *in hoc genere*, in re familiari administranda.

§. 15. *serperastris*, quorum opera Cicero in administranda provincia ita fere nixus fuerat, ut pueri ambulare incipientes adminiculis crurum quae proprie vocantur *serperastra* a sirpando, i. e. ligando.

is, quem tu nem. p. Mescinius, quaestor Ciceronis. * Mescinium h. l. intelligi, veri non est simile; dicit enim Cicero de Mescinio ad Att. VI, 3, 1. *est levis, libidinosus, sagax*; et ad Att. VI, 4, 1. *nihil minus probari poterat, quam quaestor Mescinius*. Non igitur de Mescinio dicere potest: *idem et initio fuerat et nunc est egregius*.

§. 16. *tabulas*, testamenti ad Att. VII, 2.

Hortensii legata, quae Hortensius filius testamento patris debebat.

quum portam Flum. quum Coelius Puteolanus e bonis Hortensii patris omnia emerit, quae ad portam Fl. sunt, nescio, cur ego non emam, quae Puteolis sunt.

§. 17. *scripserim*, ad Att. VI, 9.

* *Dionysius*, puerorum Ciceronum magister, qui cum pueris in provinciam fuerat profectus. MAN. *Nicias Cous*, nobilis eius aetatis grammaticus, de quo Sueton. de ill. Gramm. 14.

Mane ut ex portu in Piraeeum;

(malus enim auctor Latinitatis est) sed Terentium, cuius fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeeum.

Et idem:

Mercator hoc addebat, captam e Sunio.

Quod si δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piraeeus. Sed, quoniam Grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα 19
persolveris, magna me molestia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit; facit idem pro eo Balbus. Mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam; sed scis illi reliquum quantum sit. Putasne igitur verendum esse, ne aut obiiciat id nobis aliquis, si languidius, aut repetat, si fortius? quid ad haec reperis? „Solvamus," inquis. Age a Coelio mutuabimur. Hoc tu tamen consideres velim: puto enim, in senatu si quando praeclare pro re publica dixero, Tartessium istum tuum mihi exeunti: „Iube sodes nummos curari." Quid superest? etiam. Gener est suavis mihi, Tulliae, 20
Terentiae; quantumvis vel ingenii, vel humanitatis; satis; reliqua, quae nosti, ferenda. Scis enim, quos aperierimus, qui omnes, praeter eum, de quo per te egimus, rem me facere rentur. Ipsis enim expensum nemo ferret. Sed haec coram; nam multi sermonis sunt.

Tironis reficiendi spes est in M' Curio: cui ego scripsi, tibi 21
eum gratissimum facturum. Dat. v. Id. Decembr. a Pontio ex Trebulano.

§. 18. * *Caecilium* Statium, Insubrem, qui servus primum, dein libertinus, inter principes peëtarum Comicorum numeratur; cf. Hor. Ep. II, 1, 59. *Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte (dicitur).*

Heri, Ter. Eun. III, 4, 1. *Mercator*, ib. I, 2, 35.

§. 19. ζήτημα per iocum dicit pecuniam Caesari debitam, de qua proprie valet *persolvere.*

[*si persolveris — liberaris.* Vid. ad ep. LIX. §. 4.]

* *Ille*, Caesar. *Balbus*, cf. infra. — *reliquum*, cf. §. 13., ep. LXV, 9.

Coelio, trapezita; ad Att. XII, 3.

Tartessium, L. Cornelium Balbum, Gaditanum, gratia Caesaris florentem.

[§. 20. *gener*, Dolabella, *reliqua*, mores non omnino probandi. VI, 6. *mulieres quidem valde video delectari obsequio et comitate adolescentis.*]

* *reliqua, quae nosti*, mores dissoluti, fama non integra, inimicitiae eum Ap. Claudio susceptae, etc.

quos aperierimus, quorum ingenium et mores detexerimus.

* *praeter eum, de quo per te egimus*, Servium Sulpicium, cf. ad Att. V, 4, 1.

rem me facere, divitem esse. * Potius divitias comparare, provincia sc. administranda; cf. Hor. Ep. I, 1, 65. *Rem facias, rem, si potis est, recte: si non, quocunque modo rem.* Ter. Ad. II, 2, 12. *Nunquam rem facies, ubi nescis inescare homines.*

* *expensum nemo ferret*, nemo scriberet in tabulis expensorum pecuniam iis creditam.

§. 21. * *M' Curio*, negotiatore Patrensi.

[*a Pontio*, e domo vel e villa Pontii.]

EPISTOLA LXXV. (Ad Att. VII. 9.)

Scr. exeunte Decembr. A. U. C. 703.

CICERO ATTICO S.

1 „Quotidiene, inquis, a te accipiendae litterae sunt?“ Si habebo, cui dem, quotidie. „At iam ipse ades.“ Tum igitur, quum venero, desinam. Unas video mihi a te non esse redditas, quas L. Quintius, familiaris meus, quum ferret, ad bustum Basili vulneratus et despo-
2 liatus est. Videbis igitur, numquid fuerit in his, quod me scire opus sit; et simul hoc *διευκρινήσεις πρόβλημα*, sane *πολιτικόν*: quum sit necesse aut haberi Caesaris rationem, illo exercitum vel per senatum vel per tribunos plebis obtinente, aut persuaderi Caesari, ut tradat provinciam atque exercitum, et ita consul fiat; aut, si id non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente atque obtinente provinciam; aut si per tribunos plebis non patiatur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum; aut, si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum aut statim, nobis minus paratis, aut tum, quum comitiis, amicis eius postulantibus, ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit; ire autem ad arma, aut hanc unam ob causam, quod ratio non habeatur, aut addita causa, si forte tribunus plebis, senatum impediens aut populum incitans, notatus aut senatus consulto circumscriptus aut sublatus aut expulsus sit, dicensve se expulsum ad illum confugerit; suscepto autem bello, aut tenenda sit urbs, aut, ea relicta, ille commeatu et reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certe
3 subeundum est, minimum putes. Dices profecto, persuaderi illi, ut tradat exercitum et ita consul fiat. Est omnino id eiusmodi, ut, si ille eo descendat, contra dici nihil possit; idque eum, si non obtinet,

§. 1. * *L. Quintius*, fortasse is, qui a. u. 679 trib. pl. fuerat.

ad bustum Basili, in via Appia, prope urbem, loco infesto latrociniis, propter Basilum latronem ibi sepultum ita vocato.

§. 2. *quiescat*, exercitum non adducat.

* *rem adduci ad interregnum*; nam si tribuni pl., a Caesare subornati, comitia consulum Caesaris ratione non habita fieri non patiuntur, annus erit sine consulibus, et res ad interregnum redibit.

notatus. Caes. B. C. I, 7. *novum in republica introductum exemplum queritur, ut tribunitia intercessio armis notaretur atque opprimeretur*, nimirum, ut annotat Morus, quum Pompeius exercitu suo curiam cingeret, et tribunos, quorum intercessio nihil valeret, ignominia afficeret.

[*circumscriptus*, iure intercedendi privatus. *sublatus*, a rep. remotus.]

aut tenenda sit urbs. Mutata est constructio pro *aut tenere urbem*, *aut illum intercludere*, nimirum *necesse sit*, e quo omnes hi infinitivi pendent.

§. 3. * *ut — contra dici nihil possit*, petet enim consulatum et

ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. Nobis 4
autem, ut quidam putat, nihil est timendum magis, quam ille consul. „At sic malo," inquies, „quam cum exercitu." Certe; sed istud ipsum sic magnum malum putet aliquis, neque ei remedium est ullum. „Cedendum est, si id volet." Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. „At tum imbecillus plus," inquit, „valuit, quam tota res publica." Quid nunc putas? et eo consule, Pompeio certum est esse in Hispania. O rem miseram! 5
siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest; et quod ille si faciat, iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quo illum posse adduci negat; de reliquis quid est deterrimum? Concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime postulat. Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et per factionem datos; praeteriit tempus non legis, sed libidinis tuae; fac tamen, legis; ut succedatur, decernitur; impedis et ais, „Habe mei rationem." Habe tu nostrum. Exercitum tu habeas diutius, quam populus iussit, invito senatu? „Depugnes oportet, nisi concedis." Cum bona quidem spe, ut ait idem, vel vincendi, vel in libertate moriendi. Iam si pugnandum est, quo tempore, in casu; quo con- 6
silio, in temporibus situm est. Itaque te in ea quaestione non exerceo. Ad ea, quae dixi, affer, si quid habes. Equidem dies noctesque torqueor.

post legitimum decem annorum tempus et praesens.

§. 4. *ut quidam*, Pompeius.

*** *at sic*, exercitu tradito, *malo* eum consulem fieri.**

[*si id volet*, si, tradito exercitu, venire volet ad petitionem consulatus. *Manut.*]

[*cons. priore*, a. u. 694. cum Bibulo. vid. ep. 17.]

*** *inquit*, aliquis. — *quid nunc putas*, cum valiturum, tanta rerum gestarum gloria, tantis opibus.**

*** *Pompeio*, in quo praesente magnum esset reipublicae praesidium contra factiosi consulis conatus. MAN.**

§. 5. *id ipsum*, si Caesar, dimisso exercitu, consulatum obtinet.

[*ineat gratiam*, quia, quum ex lege a decem tribb. pl. lata possit absens et exercitum retinens consulatum petere, tamen de suo iure decedens, ne mali exempli rem instituat, tradito exercitu ad comitia veniat. *Manut.*]

***per decem annos*, ab a. u. 695.**

*** *a te ipso per vim et per factionem datos*, convenerat enim Pompeio et Crasso II. coss. a. u. 698., inter consules et Caesarem contra leges, ut Caesari Galliae in alterum quinquennium prorogarentur, Hispanias cum Africa Pompeius, Syriam Crassus per quinquennium obtineret.**

[*ut ait idem*, Pompeius.]

EPISTOLA LXXVI. (Ad Div. XVI. 11.)

Scr. ad urbem prid. Id. Ian. A. U. C. 704.

C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Crure Coss.

TULLIUS ET CICERO, TERENTIA, TULLIA, Q. Q. TIRONI S. PLUR. DIC.

1 Etsi opportunitatem operae tuae omnibus locis desidero, tamen non tam mea quam tua causa doleo, te non valere. Sed quando in quartanam conversa vis est morbi, (sic enim scribit Curius) spero, te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modo fac, id quod est humanitatis tuae, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam 2 commodissime convalescas. Non ignoro, quantum ex desiderio labores; sed erunt omnia facilia, si valebis; festinare te nolo, ne nan- 3 seae molestiam suscipias aeger et periculose hieme naviges. Ego ad urbem accessi pridie Nonas Ianuar. Obviam mihi sic est proditum, 4 ut nihil possit fieri ornatius. Sed incidi in ipsam flammam civilis discordiae, vel potius belli; cui quum cuperem mederi et, ut arbitror, possem, cupiditates certorum hominum, (nam ex utraque parte 5 sunt, qui pugnare cupiant,) impedimento mihi fuerunt. Omnino et ipse Caesar, amicus noster, minaces ad senatum et acerbas litteras miserat et erat adhuc impudens, qui exercitum et provinciam, invito 6 senatu, teneret; et Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noster et Q. Cassius, nulla vi expulsi, ad Caesarem cum Curione profecti erant. Posteaquam senatus consulibus, praetoribus, tribunis plebis et nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut cura- 7 remus, ne quid res publica detrimenti caperet, nunquam maiore in periculo civitas fuit; nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem; omnino ex hac quoque parte diligentissime comparatur. Id fit auctoritate et studio Pompeii nostri, qui Caesarem sero coepit

* Ep. LXXVI. *Q. Q.*, Quintus frater et Quintus filius.

§. 1. *Curius*, negotiator Patris. * cf. ep. LXXIV, 21.

* *etiam firmiorem*, quam antea fuisti; pituitam enim et melancholicum humorem quartana febris exsiccat. MAN.

[*humanitatis*, amoris in tuos, quod additur ad Att. IV, 15.]

§. 3. * *obviam mihi sic est proditum*, cf. ep. XXXII, 7.

§. 4. *cupid. cert. hom.* infra ep. 79, 2. 90, 3. 115, 9. * 113, 5.

§. 5. * *erat adhuc impudens*, erat eatenus impudens, quatenus exercitum invito senatu tenebat. *Hand. Turs.* I, 157.

Curio meus. Vellei. II, 48. Curio *ad ultimum saluberrimas et coalescentis conditiones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat, et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit.*

§. 6. *Antonius quidem.* vid. Caes. B. C. I, 5.

* *nobis*, Ciceroni et Pompeio, qui cum imperio ad urbem erant.

timere. Nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitavit trium- 8
phum; sed Lentulus consul, quo maius suum beneficium faceret, simul
atque expedisset, quae essent necessaria de re publica, dixit se rela-
turum. Nos agimus nihil cupide, eoque est nostra pluris auctoritas. 9
Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur; nos
Capuam sumpsimus. Haec te scire volui. Tu etiam atque etiam cura, 10
ut valeas litterasque ad me mittas, quotiescunque habebis cui des.
Etiam atque etiam vale. D. pridie Idus Ian.

EPISTOLA LXXVII. (Ad Att. VII. 12.)

Scr. Formiis X. Kal. Febr. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

Unam adhuc a te epistolam acceperam, datam XII. Kal. in qua 1
significabatur, aliam te ante dedisse, quam non acceperam. Sed
quaeso, ut scribas quam saepissime, non modo si quid scies aut
audieris, sed etiam si quid suspicabere, maximeque quid nobis facien-
dum putes. Nam quod rogas, curem, ut scias, quid Pompeius
agat, ne ipsum quidem scire puto; nostrum quidem nemo. Vidi 2
Lentulum consulem Formiis X. Kal.; vidi Libonem; plena timoris et
erroris omnia. Ille iter Larinum; ibi enim cohortes et Luceriae et
Teani reliquaque in Apulia. Inde utrum consistere uspiam velit, an 3
mare transire, nescitur. Si manet, vereor, ne exercitum firmum
habere non possit; sin discedit, quo, aut qua? aut quid nobis agen-
dum est? Nescio: nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times,
omnia teterrime facturum puto, nec eum rerum prolatio, nec sena-
tus magistratuumque discessus, nec aerarium clausum tardabit. Sed
haec, ut scribis, cito sciemus. Interim velim mihi ignoscas, quod 4
ad te scribo tam multa toties: acquiesco enim, et tuas volo elicere
litteras, maximeque consilium, quid agam, aut quo me pacto geram.
Demittamne me penitus in causam? Non deterreor periculo, sed dirum- 5

[§. 8. *tamen*, quamvis inter turbas. cf. ad Catil. III, 5, 10.] * L. Cornelius *Lentulus* Crus, non is, ad quem scr. ep. XXXII. XLI.

* *quo magis suum beneficium faceret*, ut non senatu flagitante, sed consule referente triumphus decretus videretur.

§. 1. * *acceperam*, postquam ab urbe recessi a. d. XIV. Kal. Febr., cf. ad Att. VII, 10.

* *Formiis*, in oppido Latii novi, quod in ea erat Italiae regione, quae Ciceroni tuenda evenerat, cf. ep. LXXIX, 8.

* L. Scribonium *Libonem*, socerum Sext. Pompeii, Cn. F. *Ille*, Pompeius; *Larinum* municipium Frentanorum in Samnio.

§. 3. * *quo, aut qua* discessurus est? — φαλαρισμόν, imitationem Phalaridis, saevissimi Agrigentinorum tyranni.

rerum prolatio, iustitium. Vid. pro Mur. §. 28.

por dolore. Tam nullo consilio, aut tam contra meum consilium gesta esse omnia! An cuncter et tergiverser, et iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? αἰδέομαι Τρῶας, nec solum civis, sed etiam
6 amici officio revocor; etsi frangor saepe misericordia puerorum. Ut igitur ita perturbato, etsi te eadem sollicitant, scribe aliquid, et maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M' quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem statuit, L. Torquatus eundem. Me quum multa, tum etiam lictores impediunt; nihil vidi unquam, quod minus explicari posset. Itaque a te nihilduṁ certi exquiro, sed quid videatur. Denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio
7 cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. Si ita factum esset, ut ille Romam veniens magistratum et senatum Ro mae offenderet, magno usui causae nostrae fuisset: damnasse enim sceleris hominem amicum rei publicae causa videretur; quod nunc quoque videtur, sed minus prodest: non enim habet, cui prosit, eumque arbitror poenitere; nisi forte id ipsum est falsum, discessisse
8 illum. Nos quidem pro certo habebamus. Et velim, (quamquam, ut scribis, domesticis te finibus tenes,) formam mihi urbis exponas, ecquod Pompeii desiderium, ecquae Caesaris invidia appareat; etiam quid censeas de Terentia et Tullia, Romae eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. Et haec, et si quid aliud, ad me scribas velim, vel potius scriptites.

EPISTOLA LXXVIII. (Ad Div. XIV. 14.)

Scr. Minturnis VIII. Kal. Febr. A. U. C. 704.

TULLIUS TERENTIAE, ET PATER TULLIAE, DUABUS ANIMIS SUIS, ET CICERO MATRI OPTIMAE, SUAVISS. SORORI, S. P. D.

1 Si vos valetis, nos valemus. Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modeste venturus est, recte in praesentia domi esse potestis; sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor, ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne iam intercludamur, ut, quum

§. 5. * *tam contra meum consilium*, pacem enim suaserat Cicero, cf. ep. LXXVI, 4.

[*αἰδέομαι*. ep. 72, 7.]

* *puerorum*, M. et Q. Ciceronum.

[§. 6. *M' Lepidus*, cos. a. u. 687. cum L. Volcatio Tullo. *L. Torquatus*, praetor a. 704. idem qui in L. I. de finibus de ratione Epicuri disputans inducitur.]

eum finem statuit, sequendi Pompeium.

[*lictores*. vid. ep. 92, 4.]

§. 7. * T. Attium *Labienum*, qui quum Caesaris in Gallia legatus fuisset, ad Pompeianos transfugit.

LXXVIII. §. 1. * *Dolabella ipse*, Tulliae maritus, quamvis plurimum apud Caesarem gratia valeat.

velitis exire, non liceat. Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae: si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis. Quomodo quidem nunc se res habet, modo ut haec nobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum vel in nostris praediis esse poteritis. Etiam illud verendum est, ne brevi tempore fames in urbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis. Ad summam, animo forti sitis. Labienus rem meliorem fecit. Adiuvat etiam Piso, quod ab urbe discedit et sceleris condemnat generum suum. Vos, meae carissimae animae, quam saepissime ad me scribite, et vos quid agatis et quid istic agatur. Quintus pater et filius et Rufus vobis salutem dicunt. Valete. VIII. Kalend. Febr. Minturnis.

2 3 4 5 6

EPISTOLA LXXIX. (Ad Div. XVI. 12.)

Scr. Capuae IV. Kal. Febr. A. U. C. 704.

TULLIUS S. D. TIRONI S.

Quo in discrimine versetur salus mea et bonorum omnium atque universae rei publicae, ex eo scire potes, quod domos nostras et patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, ut, nisi qui deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent; sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil esse bello civili miserius. Itaque quum Caesar amentia quadam raperetur, et oblitus nominis atque honorum suorum Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupavisset, urbem reliquimus; quam sapienter, aut quam

1 2 3

[§. 2. *videndum est*, id quod vereor.]

§. 3. * *haec loca*, oram maritimam Campaniae, cf. ep. LXXIX, 8.

§. 4. * *C. Camillo*, equite Romano, Ciceronis amicissimo, cf. ad Div. V, 20, 3.

§. 5. * *Labienus*, cf. ep. LXXVII, 7. — L. Calpurnius *Piso* Caesoninus, cuius filiam Caesar in matrimonium duxerat post Pompeiam.

§. 6. * L. Mescinius *Rufus* Ciceronis in provincia quaestor fuerat. — *Minturnis*, in Latii et Campaniae confiniis, ad Lirin fl. — *Febr.* recte reposuit Sigonius, quum legeretur *Quintil.*

§. 1. * *nisi qui deus*, cf. ep. LXXII, 3.

[§. 2. *invaserat — improbis.* Attius Meleagro ap. Nonium v. *vastities. Quae vastitudo haec aut unde invasit mihi?* Varro de vit. pop. R. I, 4. apud Non. c. 9. n. 7. *Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque* etc. Cf. Plaut. Epidic. V, 2, 5. Lucret. VI, 1210. Sic Graeci εἰσέρχεσθαι, εἰσιέναι τινί et τινά. Vid. Gramm. gr. §. 402. c. Fortasse Cic. hic locum antiqui poetae respexit.]

§. 3. * *Ariminum*, *Pisaurum* oppida Umbriae, *Ancona* in Piceno, *Arretium* in Etruria.

4 fortiter, nihil attinet disputari. Quo quidem in casu simus, vides. Feruntur omnino condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam; delectus, qui sunt habiti, et praesidia nostra dimittantur; se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum, ad consulatus petitionem se venturum, neque se iam velle, absente se, rationem haberi suam, se praesentem trinum
5 nundinum petiturum. Accepimus condiciones, sed ita, ut removeat praesidia ex iis locis, quae occupavit, ut sine metu de his ipsis condicionibus Romae senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis, non honestae (leges enim imponuntur), sed quidvis est
6 melius, quam sic esse, ut sumus. Sin autem ille suis condicionibus stare noluerit, bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod sustinere ille non possit, praesertim quum a suis condicionibus ipse fugerit, tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere; quod sperabamus fieri posse: delectus enim magnos habebamus, putabamusque illum metuere, si ad urbem ire coepisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas, praeter Transpadanos; ex Hispaniaque sex legiones et magna auxilia, Afranio et Petreio ducibus, habet a tergo. Videtur, si insaniet, posse opprimi, modo
7 ut urbe salva. Maximam autem plagam accepit, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit; reliquit illum, et nobiscum est, multique idem
8 facturi esse dicuntur. Ego adhuc orae maritimae praesum a Formiis; nullum maius negotium suscipere volui, quo plus apud illum meae litterae cohortationesque ad pacem valerent. Si autem erit bellum, video me castris et certis legionibus praefuturum. Habeo etiam illam molestiam, quod Dolabella noster apud Caesarem est.
9 Haec tibi nota esse volui; quae cave ne te perturbent et impediant valetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem quum amantissimum

§. 4. * L. *Domitio* Ahenobarbo, qui a. u. 699 cum Ap. Claudio consul fuerat, cf. ad ep. XLI, 74.

* M. *Considio Noniano*, non ei, qui admodum senex commemoratur ep. XX, 12, sed propraetori, de quo ad Att. VIII, 11. B. 2.

* *trinum nundinum*, nam nomina eorum, qui honores petebant, per tres nundinas promulgabantur, ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset. *Ex Mm.*

§. 5. * *Romae senatus haberi possit*, cf. ep. LXXVII, 7.

§. 6. *Transpadanos*, quibus Caesar et aedilis et consul civitatem dare cogitarat, quod postea dictator effecit. Cf. ad Att. V, 2. VII, 7. *Manut.*

* *Afranio et Petreio*, legatis Pompeii.

* *si insaniet*, si ea amentia repietur, ut bellum contra patriam gerere, quam condicionibus suis stare malit.

§. 7. * *T. Labienus*, cf. ep. LXXVII, 7. LXXVIII, 5.

§. 8. * *me — praefuturum*, quoniam sum adhuc cum imperio. Tantum vero abfuit, ut legionibus praeficeretur, ut ne proelio quidem Pharsalico interesset.

§. 9. * *A.* Terentio *Varroni*, qui in Achaia negotiabatur.

mei cognovi tum etiam valde tui studiosum, diligentissime te commendavi, ut et valetudinis tuae rationem haberet et navigationis et totum te susciperet ac tueretur; quem omnia facturum confido: recepit enim et mecum locutus est suavissime. Tu, quoniam eo tempore 10
mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam et fidelitatem desideravi tuam, cave festines, aut committas, ut aut aeger aut hieme naviges; nunquam sero te venisse putabo, si salvus veneris. Adhuc 11
neminem videram, qui te postea vidisset, quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi; quod non mirabar: neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. Sed da operam, ut valeas, et, si 12
valebis, quum recte navigari poterit, tum naviges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia et Tullia Romae. Cura, ut valeas. IV. Kalendas Febr. Capua.

EPISTOLA LXXX. (Ad Att. VII. 23.)

Scr. in Formiano IV. Id. Febr. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

Quinto Id. Febr. vesperi a Philotimo litteras accepi, Domitium 1
exercitum firmum habere, cohortes ex Piceno, Lentulo et Thermo ducentibus, cum Domitii exercitu coniunctas esse, Caesarem intercludi posse, eumque id timere, bonorum animos recreatos Romae, improbos quasi perculsos. Haec metuo equidem ne sint somnia; sed tamen 2
M' Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium tribunum plebis, (hi enim sunt nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi litterae ad vitam revocaverunt. Ego autem illa metuo ne veriora sint, nos omnes 3
paene iam captos esse, Pompeium Italia cedere; quem quidem (o rem acerbam!) persequi Caesar dicitur. Persequi Caesar Pompeium? Quid? ut interficiat? O me miserum! Et non omnes nostra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiscis. Sed quid faciamus? Victi, 4
oppressi, capti plane sumus. Ego tamen, Philotimi litteris lectis, mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam; sed mihi venit in mentem, multum fore sermonem, me iudicium iam de causa publica fecisse, qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres revertissent. De me autem 5
ipso tibi assentior, ne me dem incertae et periculosae fugae, quum

§. 11. * *M. Volusius*, quaestor ex Asia rediens.

§. 1. * *Caesarem intercludi posse*, cf. Caes. b. civ. I, 17.

§. 2. * *M' Lepidum, L. Torquatum*, cf. ep. LXXVII, 6. *C. Cassium*, LXXIV, 10.

§. 3. * *tu quoque*, licet ab omni partium studio remotus.

§. 4. * *scripseram*, ad Att. VII, 22, 2. *atque adeo Terentiam habebis Idibus. — remittebam*, in eo eram, ut remitterem.

rei publicae nihil prosim, nihil Pompeio; pro quo emori quum pie
6 possum, tum lubenter. Manebo igitur; etsi vivere. — Quod quaeris, hic quid agatur: tota Capua et omnis hic delectus iacet; desperata res est; in fuga omnes sunt; nisi quid eius fuerit, ut Pompeius istas Domitii copias cum suis coniungat. Sed videbamur omnia biduo
7 triduove scituri. Caesaris litterarum exemplum tibi misi; rogaras enim; cui nos valde satisfacere, multi ad me scripserunt; quod patior facile; dum, ut adhuc, nihil faciam turpiter.

EPISTOLA LXXXI. (Ad Att. VIII. 1.)

Scr. Formiis a. d. XV. Kal. Mart. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

1 Quum ad te litteras dedissem, redditae mihi litterae sunt a Pompeio: cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de delectu Domitii, quae sunt vobis nota; nec tamen tam laeta erant in iis litteris, quam ad me Philotimus scripserat (ipsam tibi epistolam misissem, nisi tam subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam:) sed in ea Pompeii epistola erat in extremo, ipsius manu: *Tu, censeo, Luceriam venias; nusquam eris*
2 *tutius*. Id ego in eam partem accepi, haec oppida atque oram maritimam illum pro derelicto habere, nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. Ei statim rescripsi hominemque certum misi de comitibus meis, non quaerere, ubi tutissimo essem; si me vellet sua aut rei publicae causa Luceriam venire, statim esse venturum; hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex provinciis suppeditari vellet. Hoc
3 me frustra scribere videbam. Sed, uti in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam: sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiae contrahantur; et ne is quidem locus stabilis, sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga.
4 Quo minus mirere, si invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis neque victoriae ratio quaesita sit unquam, sed semper flagitiosae

§. 5. *etsi vivere*, sc. taedet.

§. 7. * *cui nos valde satisfacere*, cf. ep. LXXIX, 8.

§. 1. * L. *Vibullius* Rufus, a Pompeio in agrum Picenum confirmandorum hominum causa missus, qui XIII cohortibus ex reliquiis Pompeianorum exercituum et novis delectibus coactis, ad Domitium Corfinium venerat. Caes. b. civ. I, 15. *Philotimus*, ep. 80.

Tu, censeo. In epist. Pompeii, ad Att. VIII, 11. legitur: *censeo ad nos Luceriam venias: nam te hic tutissime puto fore.*

* *Luceriam*, oppidum Apuliae.

§. 2. * *haec oppida*, Campaniae, quibus ego praesum. — *caput ipsum*, Romam.

* *non quaerere*, omiss. accus. subi., cf. ad ep. II, 5. LXV, 5.

et calamitosae fugae. Eundum, ut, quemcunque fors tulerit casum, 5
subeam potius cum iis, qui dicuntur esse boni, quam videar a bonis dissentire; etsi propediem video bonorum, id est lautorum et locupletium, urbem refertam fore, municipiis vero his relictis, refertissimam. Quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos 6
non haberem; nec me M' Lepidi, L. Volcatii, Ser. Sulpicii comitum poeniteret, quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius, nec inconstantior, quam App. Claudius. Unus Pompeius me movet, bene- 7
ficio, non auctoritate: quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa? qui, quum omnes Caesarem metuebamus, ipse eum diligebat, postquam ipse metuere coepit, putat omnes hostes illi oportere esse. Ibimus tamen Luceriam, nec eum fortasse delectabit noster adventus: 8
dissimulare enim non potero, mihi, quae adhuc acta sunt, displicere. Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem; tu, si tibi eadem causa est, me remunerere, sane velim.

EPISTOLA LXXXII. (Ad Att. VIII. 3.)

Scr. in agro Caleno a. d. X. Kal. Mart. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

Maximis et miserrimis rebus perturbatus, quum coram tecum 1
mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis haec est: si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes; et, quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. Quum merita Pompeii summa erga 2
salutem meam familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa rei publicae causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna cum fortuna coniungenda esse videatur. Accedit 3
illud: si maneo et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem, qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, et, ut esset, a me est (tute scis)

§. 5. *lautorum*, mollium, qui pericula pro Pompeio subire nolent, *et locupletium*, qui non facile fortunas suas in discrimen adducere velle videntur. *Manut.*

* *municipiis his relictis*, ubi plurima erant hominum locupletium praedia, quibus timentes Romam redire quam cum Pompeio fugere malent.

§. 6. *nec me — poeniteret*, mallem eos in urbem redeuntes sequi, quam Domitium et Appium, Pompeii comites fugientes. *Manut.*

§. 7. * *beneficio*, cf. ep. LXVII, 3.

* *omnes hostes illi oportere esse*, cf. Caes. b. c. I, 33. *Pompeius dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent.*

propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante provisum: tamen utrumque considerandum est, et quanta fides ei sit habenda, et, si maxime exploratum sit eum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis, esse in ea urbe, in qua quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, nomen futurus, subeundumque periculum sit, cum aliquo
4 fore dedecore, si quando Pompeius rem publicam recuperarit. In hac parte haec sunt; vide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rem publicam ille aluit, auxit, armavit; ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor; ille Galliae ulterioris adiunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille restituendi mei, quam retinendi, studiosior; ille provinciae propagator; ille absentis in omnibus adiutor; idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor rei publicae coepit, contendit, ut decem tribuni plebis ferrent, ut absentis ratio haberetur; quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli, finienti provinciis Galliis Kalendarum
5 Martiarum diem restitit. Sed, ut haec omittam, quid foedius, quid

§. 3. * *multo ante provisum*, cf. ep. LXXII, 4—6.

* *nomen futurus*, sine ulla auctoritate et potentia; *nomen* enim saepius rei vel personae opponitur, ut Cic. Parad. 4. *quum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in re publica erat.* Ovid. A. A. I, 440. *Nomen amicitia est, nomen inane fides*, cf. ep. L, 1. *nomen duarum legionum exilium.*

§. 4. * *contra consilium*, cf. ep. LXXVII, 5.

legibus. Suet. Iul. 20. Caesar, *lege agraria promulgata, obnuntiantem collegam* (Bibulum) *armis foro expulit.* cf. supra ep. 12. §. 5 sqq. Plut. Pomp. c. 47. Dio C. 38, 4—6.

[*Galliae ult. adi.* Suet. Iul. Caes. 22. *Socero igitur* (L. Pisone) *generoque* (Pompeio) *suffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit — — Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit, mox per Senatum Comatam quoque, veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus et hanc daret.*]

* *ille gener*, cf. ad ep. XV, 1.

* *restituendi mei quam retinendi studiosior*, cf. ep. XLI, 37.

provinciae propagator, ut Caesari provincia (Gallia) in alterum quinquennium propagaretur; quod trib. pl. C. Trebonius tulit iterum Pompeio et Crasso coss. cf. ep. 3. l. 7. (74, 8.) *Manut.*

lege quadam sua. Suet. Iul. 28, *Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes summovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege iam in aes incisa et in aerarium condita, corrigeret errorem.*

[*finienti.* Victorius citat Appian. b. civ. II, (26. p. 209. Schweigh.) ubi de Marcello: *εἰσηγεῖτο δὲ, ἤδη καὶ διαδόχους αὐτῷ (Καίσαρι) πέμπειν ἐπὶ τὰ ἔθνη, προαφαιρῶν τοῦ χρόνου· ἀλλὰ διεκώλυσεν ὁ Πομπήϊος εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ εὐνοίας ὑποκρίσει, μὴ δεῖν ἄνδρα λαμπρὸν καὶ ἐς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον ὑβρίζειν βραχεῖ διαστήματι χρόνου.* Cf. Plut. Pomp. 52. Dio Cass. 40, 59. Suet. Iul. 28.]

* *finienti — diem*, Kal. Mart. finem constituenti; cf. ep. LIII, 3. *tempus, quod tu mihi et senatusconsulto et lege finisti.*

perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissima fuga? Quae condicio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? Malae condiciones erant. Fateor; sed numquid hoc peius? „At recuperabit rem publicam.“ Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis et publica et privata adversario tradita? Denique nulla causa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rem publicam defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiae et ab impetu 6
huius belli remotissima; fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione. Invite cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, 7
sed sic, ne causam; in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet; et ut ipse sensi, esset multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi, me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino 8
negotii, quod ab initio vidi, nihil quaeri praeter fugam. Eam si nunc sequor, quonam? Cum illo non; ad quem quum essem profectus, cognovi in iis locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age iam, cum fratre, an sine? cum filio, aut quo 9
modo? in utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes fortunasque 10
nostras? acrior, quam in ceterorum, quod putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age iam has compedes, fasces, 11
inquam, hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum est! Qui autem locus erit nobis tutus, ut iam placatis utamur fluctibus, antequam ad illum venerimus? Qua autem, aut quo, nihil scimus. At 12
si restitero et fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero, quod in Cinnae dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius,

§. 5. * *hoc peius*, hac turpissima fuga.

nulla causa. Optimam enim causam Pompeius ipse sua tarditate et ignavia perdidit. *Manut.* * cf. ep. LXXIV, 10. *causam solum illa causa non habet.*

§. 7. * *sed sic, ne causam*, ideo invite cepi Capuam, ne causam aperte susciperem; cf. ep. LXXIX, 8. *nullum maius negotium suscipere volui, quo plus apud illum meae litterae cohortationesque ad pacem valerent.*

* *ordinum*, neque senatus, neque equitum; multi enim senatores, plurimi equites cum Caesare faciebant.

§. 8. * *Luceriam*, cf. ep. LXXXI, 1.

§. 9. * *in utraque re*, quum aut fratrem filiumque iisdem periculis obiicere, aut ab iis discedere necesse sit.

§. 10. * *aliquid se habere popularе*, nam Cicero semper cum optimatibus contra populare imperium pugnaverat, cf. ep. LXXXVI, 17.

§. 11. * *fasces laureatos*, cf. ep. LXXXI, 6.

§. 12. * *in hac parte*, de qua modo exposui.

Philippus — Flaccus — Mucius, qui, quum maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam ac deinde post in Asiam perfugeret, (Vell. II, 23.) Romae restiterunt, ne, Sullam secuti, patriae bellum inferre cogeren-

quoquo modo ea res huic quidem cecidit; qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est, sed malle, quam arma-
13 tum ad patriae moenia accedere. Aliter Thrasybulus, et fortasse melius. Sed est certa quaedam illa Mucii ratio atque sententia; est illa etiam: et, quum sit necesse, servire tempori, et non amittere
14 tempus, quum sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est; sed sit: deferet triumphum. Non acciperene periculosum sit, accipere invidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! atqui
15 explicanda est: qui enim fieri potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quod plura in eam partem verba fecerim; potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa verior. Quamobrem, ut maxima de re aequo animo deli-
16 beranti, ita mihi des consilium velim. Navis et in Caieta est parata nobis et Brundisii. Sed ecce nuntii, scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente. Non puto etiam hoc Cnaeum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat, etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat, legionem Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules.
17 Sed turpe Domitium deseri, implorantem eius auxilium. Est quaedam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fadium tuum transisse cum cohortibus, summa autem, Afranium cum magnis
18 copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, quum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et litteras; ipse,

tur. Sed Q. Mucium Scaevolam, *pontificem maximum et divini humanique iuris auctorem celeberrimum*, aliosque, *velut faventes Sullae partibus, in curia Hostilia Damasippus praetor trucidavit.* Vell. II, 26.

§. 13. * *aliter Thrasybulus*, qui patriam a triginta tyrannorum dominatione armis in libertatem vindicavit.

* *est illa etiam*, quae verbis proximis proponitur, *certa quaedam ratio atque sententia.*

§. 14. * *Non acciperene p. s., accipere inv. ad bonos?* Si haec vera est lectio, *ne* accipiendum pro *nonne*, ut saepe apud Ciceronem. Recte Orell. monet, sententiam hoc fere requirere: *Non accipere me, periculosum est: accipere invidiosum ad bonos.*

* *qui enim fieri potest*, ut integram reservemus.

§. 16. * *Caieta*, portus prope Formias. — *in Caleno*, sc. agro, in Campania.

* *Scipionem*, P. Nasicam, socerum suum, quem tertio consulatu collegam sibi assumpserat. Syria provincia tum a Senatu ei decreta erat. — *praemiserat*, secuturus ipse, ut Brundisio in Graeciam transire posset.

* *Fausto*, L. Cornelii Sullae fil., quem propraetorem in Mauritaniam mitti senatui placuerat, cf. Caes. b. civ. I, 6.

§. 17. * *C. Trebonio*, Caesaris legato.

[De hac re vid. Caes. B. C. I, 37 sqq.]

§. 18. * *Leptam*, vid. ep. LXIII, 4.

ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui, scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

EPISTOLA LXXXIII. (Ad Att. VIII. 7.)

Scr. in Formiano VII. Kal. Mart. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

Unum etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio 1
non subveniat. „At nemo dubitat, quin subsidio venturus sit.“ Ego non puto. „Deseret igitur talem civem, et eos, quos una scis esse, quum habeat praesertim et ipse cohortes xxx?“ Nisi me omnia fallunt, deseret. Incredibiliter pertimuit; nihil spectat, nisi fugam; cui tu (video enim quid sentias) me comitem putas debere esse. Ego vero, 2
quem fugiam, habeo; quem sequar, non habeo: quod enim tu meum laudas et memorandum ducis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci, quam cum istis vincere; ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse videbatur, cum hoc vero, qui ante fugit, quam scit, aut quem fugiat, aut quo, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, contigit, 3
victus sum. Quod superest, nec ista videre possum, quae nunquam timui ne viderem, nec mehercule istum, propter quem mihi non modo meis, sed memet ipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de viatico, sive a Moneta, (nemo enim solvit) sive ab Oppiis, tuis contubernalibus. Cetera apposite tibi mandabo.

EPISTOLA LXXXIV. (Ad Att. VIII. 8.)

Scr. in Formiano a. d. VII. Kal. Mart. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

O rem turpem et ea re miseram: sic enim sentio, id demum 1
aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Caesarem;

§. 1. * *et ipse*, Domitius; cf. Caes. b. c. I, 17.

§. 2. * *quod dixerim*, ep. LXXII, 7.

cum hoc vero — si malui, sc. vinci, *contigit*, factum est, quod volui.

§. 3. * *ista*, turpem Pompeii ex Italia fugam.

istum, Caesarem.

* *memet ipso*, dignitate mea.

a Moneta, ex officina numorum cudendorum, quae erat ad aedem Monetae, sc. pro argento non signato petendo signatum. *Nemo enim solvit*, qui mihi debet, ut ab iis petere pecuniam possim. *Ern.*

* *Oppiis*, foeneratoribus.

[*contubernalibus*, quia domi tuae ita frequentes sunt, ut contubernales tui videri possint. *Manut.*]

apposita, ad meum discedendi consilium, idonea, quae eo pertinent.

* *apposite*, recepimus cum *Orell.*, ut sit opportune, commodo tempore.

eundem repente timere coeperat, condicionem pacis nullam probarat, nihil ad bellum pararat; urbem reliquerat, Picenum sua amiserat culpa, in Apuliam se compegerat, ibat in Graeciam, omnes nos ἀπροσφωνήτους, expertes sui tanti tam inusitati consilii, relinquebat.
2 Ecce subito litterae Domitii ad illum, ipsius ad consules. Fulsisse mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos eius et exclamasse ille, vir qui esse debuit,

Πρὸς τοῦθ' ὅ τι χρὴ, καὶ παλαμάσθων,
Καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων·
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ — —

3 At ille tibi, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens, pergit Brundisium. Domitium autem aiunt, re audita, et eos, qui una essent, se tradidisse. O rem lugubrem! Itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam. Tuas litteras exspecto.

EPISTOLA LXXXV. (Ad Att. VIII. 11.)

Scr. in Formiano III. Kal. Mart. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

1 Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse videor. Levatur enim omnis cura, quum aut constitit consilium, aut cogitando nihil explicatur;
2 lamentari autem licet. Illud tamen totos dies: „Sed vereor, ne, nihil quum proficiam, etiam dedecori sit studiis ac litteris nostris.“ Consumo igitur omne tempus considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus.
3 Tenesne igitur, moderatorem illum rei publicae quo referre velimus omnia? nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio: *Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria,*

§. 1. * *ibat*, iter parabat; cf. ad ep. LXXXVI, 10.

§. 2. * *litterae ipsius ad consules*, quae leguntur ad Att. VIII, 6. Scripserat Pompeius, plurimum rei publicae interesse, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire. Hinc Cicero falso collegerat, Pompeium Domitio auxilio venturum; cf. ep. LXXXVI, 5.

Πρὸς τοῦθ' ex Arist. Acharn. 659. ubi est *πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω — τεκταινέσθω.*

* *se tradidisse*; cf. Caes. b. civ. I, 19—23.

§. 2. *Illud tamen*, quamvis omnis cura levetur quum cogitando nihil explicatur, *totos dies* magno animi motu me perturbat.

studiis ac lit. n. philosophiae, quae fortem esse iubet sui studiosum.

* *nostris libris*, de re publica, cf. ep. LXXIV, 4.

[§. 3. *Ut enim gub.* Ang. Maius ad Cic. II. de rep. p. 301. ed. Stuttg. adscripsit locum Diotogenis Pythag. e Stob. Tit. 46. p. 330. Gesn. Tit. 48. Gaisf. *κυβερνάτα μὲν γὰρ ἔργον ἐντὶ τὰν ναῦν σώζεν, ἀνιόχω δὲ τὸ ἅρμα, ἰατρῷ δὲ τοὺς νοσέοντας, βασιλέως δὲ καὶ τῶ στραταγῶ τοὺς ἐν πολέμῳ κινδυνεύοντας.*]

sic huic moderatori rei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo. Hoc Cnaeus noster quum antea nunquam, tum in 4
hac causa minime cogitavit. Dominatio quaesita ab utroque est, non id actum, beata et honesta civitas ut esset. Nec vero ille urbem 5
reliquit, quod eam tueri non posset, nec Italiam, quod ea pelleretur; sed hoc a primo cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni iampridem appetitur, multis, qui una sunt, cupientibus. An censes, nihil inter eos con- 6
venire? nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest. Sed neutri *σχοπὸς* est ille, ut nos beati simus; uterque regnare vult. Haec, 7
a te invitatus, breviter exposui: voluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. *Προθεσπίζω* igitur, noster Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens:

Iamque mari magno — —;

non multo, inquam, secus possum vaticinari; tanta malorum impendet *Ἰλιάς*. Atque hoc nostra gravior est causa, qui domi sumus, 8
quam illorum, qui una transierunt, quod illi quidem alterum metuunt, nos utrumque. Cur igitur, inquis, remansimus? vel tibi paruimus, 9
vel non occurrimus, vel hoc fuit rectius. Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima aestate, utrinque mancipiis ex omni genere collectis; nec tam emptio pertimescenda, quae Luceriae multis sermonibus denuntiata est, quam universe interitus: tantas in confligendo utriusque vires video futuras. Habes coniecturam meam. Tu autem 10
consolationis fortasse aliquid exspectasti; nihil invenio; nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. Quod quaeris, quid 11
Caesar ad me scripserit, quod saepe: gratissimum sibi esse, quod quierim; oratque, in eo ut perseverem. Balbus minor haec eadem mandata. Iter autem eius erat ad Lentulum consulem cum litteris

§. 5. * *Genus illud Sullani regni*, cf. ep. LXXXVIII, 7. *Quam crebro illud: „Sulla potuit, ego non potero?“*

§. 6. * *An censes*; quasi interposita interrogatione: „estne hoc verum?“ Utitur hac interrogandi forma ad obiectionem inanem et falsam occupandam. Cf. Hand. Turscll. I, p. 347.

§. 7. *Iamque mari magno*, hemistichium ex vetere poëta, cuius integri sunt versus anapaestici dimetri ex persona Cassandrae vaticinantis lib. I. de Divin. c. 31. *Iamque mari magno classis cita Texitur; exitium examen rapit; Advenit et fera velivolantibus Navibu' complevit manu' litora. Manut.*

§. 9. *occurrimus*, Pompeio.

* *emptio*, ab hasta, cf. ad Att. XII, 3, 2. Orell. Minati erant Pompeiani, bona eorum, qui in urbe remansissent, sub hasta venditum iri. — *Luceriae*, cf. ep. LXXXI, 1.

* *Habes*, accepisti, audisti, ut ep. XLI, 57. *Habes de Vatinio, cognosce de Crasso.*

§. 11. * *quod quierim*, cf. ep. LXXXII, 8.

Caesaris praemiorumque promissis, si Romam revertisset. Verum, quum habeo rationem dierum, ante puto transmissurum, quam potue-
12 rit conveniri. Epistolarum Pompeii duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse.
13 Earum exempla ad te misi. Caesaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat, exspecto. Utinam aliquid simile Parthicis rebus! simul aliquid audiero, scribam ad te. Tu ad me velim bonorum sermones. Romae frequentes esse dicuntur. Scio equidem te in publi-
14 cum non prodire, sed tamen audire te multa necesse est. Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete ad te missum *περὶ ὁμονοίας*: eum mihi velim mittas. Vides, quam causam mediter.

EPISTOLA LXXXVI. (Ad Att. VIII. 11. annexa.)

Scr. Formiis a. d. III. Kal. Mart. A. U. C. 704.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

1 Quum ad te litteras misissem, quae tibi Canusii redditae sunt, suspicionem nullam habebam, te rei publicae causa mare transiturum, eramquē in spe magna, fore, ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius videbatur, aut rem publicam summa
2 cum dignitate defendere. Interim, nondum meis litteris ad te perlatis, ex iis mandatis, quae D. Laelio ad consules dederas, certior tui consilii factus, non exspectavi, dum mihi a te litterae redderentur, confestimque cum Quinto fratre et cum liberis nostris iter ad te in
3 Apuliam facere coepi. Quum Teanum Sidicinum venissem, C. Messius,

* *Balbus minor*, L. Cornelii Balbi Gaditani, de quo ad ep. XXXVIII, 3; ex fratre nepos.

* *transmissurum*, Lentulum, quem Pompeius cum magna parte exercitus Dyrrhachium praemisit.

[§. 13. *Parthicis rebus*, quarum exitus inanes: nam, etsi Parthi, subito cursu in provincias irrumpentes, magnum inferunt terrorem, tamen haud magna calamitas consequitur, iisdem continuo discedentibus. *Manut.*] * cf. ep. LXXII, 3.

* *frequentes esse dicuntur*, cf. ep. LXXXI, 5.

§. 14. * *quam causam mediter*, concordiam.

§. 1, * *litteras*, quae leguntur ad Att. VIII, 11. B., scriptae a. d. XIV. Kal. Martias.

* *Canusii*, in oppido Apuliae Daunine ad Aufidum.

§. 2. * *D. Laelio*, eidem, qui L. Flaccum repetundarum accusaverat, quem paternum amicum Pompeii et pernecessarium dicit Cic. pr. Flacc. 6.

* *tui consilii*, omnes copias in unum locum contrahendi; ad Att. VIII, 5.

[*confestimque*, i. e. sed confestim. Or. I, 14, 63. *si id optime sciat, ignarusque sit faciundae ac poliendae orationis.* Cf. Ligar. 9, 26. Nat. d. I, 17, 44. Off. I, 26, 9. Heusing. ad Off. p. 58. s. Goerenz. ad Leg. p. 268.]

§. 3. * *Teanum Sidicinum*, oppidum Campaniae. — *C. Messius*, cf. ep. XXXII, 11. — *Aeserniae*, in montibus Samnitium. Falsus rumor fuit.

familiaris tuus, mihi dixit aliique complures, Caesarem iter habere Capuam et eo ipso die mansurum esse Aeserniae. Sane sum commotus, quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabam. Itaque tum Cales processi, ut 4
ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Aesernia de eo, quod audieram, referretur. At mihi, quum Calibus essem, affertur 5
litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum consulem misisses. Hae scriptae sic erant: Litteras tibi a L. Domitio a. d. XIII. Kal. Mart. allatas esse, (earumque exemplum subscripseras;) magnique interesse rei publicae scripseras, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire, et ut, praesidii quod satis esset, Capuae relinqueret. His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui 6*
omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum; quo mihi, quum Caesar ad oppidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. Quum res in summa exspectatione esset, utrumque simul 7
audimus, et quae Corfinii acta essent, et te iter Brundisium facere coepisse, quumque nec mihi, nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, a multis, qui e Samnio Apuliaque veniebant, admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Caesare, quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo intenderet, venturus esset. Quod quum ita esset, nec mihi nec fratri meo nec cuiquam amico- 8
rum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam rei publicae noceret, quum praesertim non dubitaremus, quin, si etiam tutum nobis iter fuisset, te tamen iam consequi non possemus. Interim accepimus tuas litteras, Canusio a. d. X. Kal. Mart. 9
datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium veniamus; quas quum accepissemus a. d. III. Kal. Mart., non dubitabamus, quin tu iam Brundisium pervenisses, nobisque iter illud omnino interclusum videbamus, neque minus nos esse captos, quam qui Corfinii fuissent: neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui, regionibus exclusi, intra praesidia atque intra arma aliena venissent. Quod quum ita sit, 10
maxime vellem primum semper tecum fuisse, quod quidem tibi ostenderam, quum a me Capuam reiiciebam; quod feci non vitandi oneris

[§. 5. *quas tu — misisses*, quas te misisse dicebant.]

* *a L. Domitio*, qui Corfinii a Caesare obsidebatur, cf. ep. LXXXII, 16.

* *relinqueret*, Lentulus consul.

§. 7. * *quae Corfinii acta essent*, oppidum traditum et milites Domitianos sacramentum apud Caesarem dicere iussos.

[*nec — dubium esset*, quin contend. i. e. nec dubitaremus contendere. vid. ad or. pro l. Man. §. 49.]

§. 9. * *tuas litteras*, ad Att. VIII, 11. C.

* *qui Corfinii fuissent*, ut L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, alii. Caes. b. civ. I, 23.

[§. 10. *reiiciebam*, repudiare conabar, *invito capiebam* ep. 82, 7.

causa, sed quod videbam, teneri illam urbem sine exercitu non posse; accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortissimis accidisse.
11 Quoniam autem, tecum ut essem, non contigit, utinam tui consilii certior factus essem! nam suspicione assequi non potui, quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut haec rei publicae causa in Italia
12 non posset duce te consistere. Neque vero nunc consilium tuum reprehendo, sed fortunam rei publicae lugeo, nec, si ego, quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo, te nihil nisi
13 summa ratione fecisse. Mea quae semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua condicione retinenda, deinde de urbe, (nam de Italia quidem nihil mihi unquam ostenderas) meminisse te arbitror.
14 Sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit; secutus sum tuum, neque id rei publicae causa, de qua desperavi, quae et nunc afflicta est nec excitari sine civili perniciosissimo bello potest; sed te quaerebam, tecum esse cupiebam; neque eius rei facultatem, si quae
15 erit, praetermittam. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. Primum enim prae me tuli, me nihil malle, quam pacem, non quin eadem timerem, quae
16 illi, sed ea bello civili leviora ducebam. Inde, suscepto bello, quum pacis condiciones ad te afferri, a teque ad ea honorifice et large responderi viderem, duxi meam rationem, quam tibi facile me pro-
17 baturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in rem publicam meritis supplicia miserrima et crudelissima pertulissem; me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui, quum iam in armis essemus, consulatus tamen alter et triumphus amplissimus deferebatur, subiicerer eisdem proeliis, ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid vide-
18 retur habere popùlare. Atque haec non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denuntiata sunt; neque ea tam pertimui, si sub-

de re inchoata quidem, sed non perfecta.]

§. 12. * *consilium tuum*, relinquendae Italiae. Vide quam blande de hoc consilio scribens ad Pompeium loquatur, quod in epistolis ad Atticum multo apertius et liberius reprehendit. Sch.

§. 15. *pugnandi cupidis hominibus*, cf. ep. LXXVI, 4. — *eadem timerem*, cf. ep. LXXV, 4.

[§. 16. *honorifice*, ad Att. VIII, 9. *ille ipse* (Pompeius) *ad eundem* (Caesarem) *scribens in publico proposuit epistolam illam in qua est, „pro tuis rebus gestis amplissimis.“ Amplioribusne, quam suis, quam Africani?*]

[*large*, liberaliter, prolixe, quum nihil Caesari negaretur, omniaque cumulate, quae postularet, darentur, ut est ad Att. VII, 17.]

[§. 17. *eisdem proel.* quibus quum Clodius me peteret, impulsus a Caesare.] * Verebar enim, ne vobis in gratiam redeuntibus, ego deinde tuo praesidio nudatus, Caesari, quem offendissem, poenas darem. Notat autem latenter perfidiam Pompeii, cuius in amicitia iam ante Clodianis temporibus parum senserat esse praesidii. *Manut.*]

[*populare*, populo gratum, ex quo gratia populi conciliari posset.] * cf. ep. LXXXII, 10.

eunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. Quam brevem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostram 19
vides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non satisfacio, facile respondeo: neque enim ego amicior C. Caesari unquam 20
fui, quam illi, neque illi amiciores rei publicae, quam ego. Hoc inter me et illos interest, quod, quum et illi cives optimi sint et ego ab ista laude non absim, ego condicionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt. Quae quoniam ratio vicit, perficiam profecto, ut neque res publica civis a me animum, neque tu amici desideres.

EPISTOLA LXXXVII. (Ad Att. IX. 6.)

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

Quum Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui neque audire meo commodo potuissem, properarem atque essem in itinere, praemissis iam legionibus, praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te et illum mitterem gratiasque agerem, etsi hoc et feci saepe et saepius mihi facturus videor; ita de me mereris. Imprimis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar; festinationi meae brevitatique litterarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces.

EPISTOLA LXXXVIII. (Ad Att. IX. 10.)

Scr. in Formiano a. d. XIV. Kal. Apr. A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

Nihil habebam, quod scriberem: neque enim novi quidquam 1
audieram, et ad tuas omnes rescripseram pridie. Sed, quum me aegritudo non solum somno privaret, verum ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur, tecum ut quasi loquerer, in quo uno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. Amens mihi fuisse videor a principio, et me una haec res 2
torquet, quod non omnibus in rebus labentem vel potius ruentem Pompeium tamquam unus manipularis secutus sim. Vidi hominem 3

§. 19. *Quam brevem* i. e. perquam s. valde br.

* *reliqui*, temporis.

* Epist. LXXXVII. C. *Furnium*, qui tribunus pleb. fuerat biennio ante.

* *praemissis iam legionibus* ad Brundisium.

* *ita de me mereris*, manendo in Italia et Pompeio relicto.

* *ad propositum*, ad festinationem meam, de qua iam initio epistolae dixi.

XIV. Kal. Febr. plenum formidinis. Illo ipso die sensi, quid ageret. Nunquam mihi postea placuit; nec unquam aliud in alio peccare destitit. Nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare.
4 Quid quaeris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant immundae, insulsae, indecorae, sic me illius fugae negligentiaeque deformitas avertit ab amore: nihil enim dignum faciebat, quare eius fugae comitem me
5 adiungerem. Nunc emergit amor, nunc desiderium ferre non possum, nunc mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest; ita dies
6 et noctes, tamquam avis illa, mare prospecto, evolare cupio. Do, do poenas temeritatis meae. Etsi quae fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? Si enim nihil praeter fugam quaereretur, fugissem libentissime; sed genus belli crudelissimi et maximi, quod non-
7 dum vident homines, quale futurum sit, perhorrui. Quae minae municipiis! quae nominatim viris bonis! quae denique omnibus, qui remansissent! quam crebro illud, „*Sulla potuit, ego non potero?*“
8 Mihi autem haeserunt illa: male Tarquinius, qui Porsenam, qui Octavium Mamilium contra patriam, impie Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis, recte Themistocles, qui mori maluit, nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte, immo iure
9 fortasse. Sed quid eorum victoria crudelius? quid funestius? Huius belli genus fugi, et eo magis, quod crudeliora etiam cogitari et parari videbam. Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum et Armeniorum et Colchorum copias ad eam adducere? me meis civibus famem, vastitatem inferre Italiae?
10 Hunc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse extingui cogitabam, urbem autem et populum nostrum servandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam; et tamen spes

§. 3. * *XIV. Kal. Febr.*, in ipso discessu ab urbe, cf. ad Att. VII, 10. — *quid ageret*, fugam scil. ignominiosam, bellum civile exterorum populorum ope Italiae inferendum.

§. 5. *avis illa* apud Platonem ep. 7. p. 348. A. τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐζῶμεν ἐγὼ καὶ Διονύσιος, ἐγὼ μὲν βλέπων ἔξω, καθάπερ ὄρνις, ποθῶν ποθεν ἀναπτάσθαι, ὁ δὲ etc.

[§. 6. *si — quaereretur, fugissem.* vid. ad Catil. II, 3. infr. ad 131, 1.]

§. 7. * *quae minae municipiis*, cf. ep. LXXXV, 9.

* *Sulla potuit*, armis recuperare rempublicam, quae in adversariorum potestate fuerat, *ego non potero?* cf. ep. LXXXV, 5. *genus illud Sullani regni iampridem appetitur.*

§. 8. * *qui mori maluit*, quam Persarum regem, ad quem ex patria pulsus profugerat, in bello Graeciae inferendo adiuvare.

* *At Sulla — recte*, non enim hostes, non barbaras gentes ad patriam armis opprimendam adduxerunt; *immo iure fortasse*, nam Sulla causam optimatium, populi Marius et Cinna defendere sibi visi sunt. Cicero hanc quasi obloquentis affert sententiam, quam deinde refellit.

§. 10. * *Hunc*, Pompeium; proponit enim causam, cur, quum aut Pompeius relinquendus, aut bellum patriae inferendum fuerit, potiorem duxerit patriae salutem.

quaedam me sustentabat, fore, ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitii admitteret. Alia res 11
nunc tota est, alia mens mea. Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur. Ut aegroto dum anima est, spes esse dicitur, sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti. Haec, haec me fefellerunt, et, ut verum loquar, aetas iam 12
a diuturnis laboribus devexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliit. Nunc, si vel periculose experiundum erit, experiar 13
certe, ut hinc avolem. Ante oportuit fortasse. Sed ea, quae scripsi, me tardarunt, et auctoritas maxime tua: nam quum ad hunc locum venissem, evolvi volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime. Erat igitur in ea, quam x. Kalend. 14
Febr. dederas, hoc modo: *Sed videamus, et Cnaeus quid agat, et illius rationes quorsum fluant. Quodsi iste Italiam relinquet, faciet omnino male et, ut ego existimo, ἀλογίστως; sed tum demum consilia nostra commutanda erunt.* Hoc scribis post diem quartum, quam ab urbe discessimus. Deinde VIII. Kalend. Febr.: *Tantummodo* 15
Cnaeus noster, ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat. Eodem die das alteras, quibus mihi consulenti planissime 16
respondes. Est enim sic: *Sed venio ad consultationem tuam. Si Cnaeus Italia cedit, in urbem redeundum puto: quae enim finis peregrinationis?* Hoc mihi plane haesit, et nunc ita video, infinitum bellum iunctum miserrima fuga, quam tu peregrinationem ὑποχορίζῃ. Sequitur χρησμὸς VI. Kalend. Februar.: *Ego, si Pompeius manet in* 17
Italia, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore: sin Italiam relinquit, ad posterum bellum ἄσπονδον strui existimo. Huius igitur belli ego particeps et socius et adiutor esse cogor, quod et ἄσπονδον est et cum civibus. Deinde VII. Idus Febr., quum iam 18
plura audires de Pompeii consilio, concludis epistolam quandam hoc modo: *Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere: summo enim periculo facies, nec rei publicae proderis; cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris.* Quem φιλόπατριν ac πολιτικὸν hominis prudentis et amici tali admonitu non moveret auctoritas? Deinceps III. Idus Februar. iterum 19
mihi respondes consulenti sic: *Quod quaeris a me, fugamne fidam, an moram foedam utiliorem putem; ego vero in praesentia subitum discessum et praecipitem profectionem quum tibi, tum ipsi Cnaeo*

* *conveniret potius* inter Pompeium et Caesarem.

hic — sceleris, ille — flagitii, Caesar tyrannide invadenda, Pompeius Italia ad vastitatem vocanda. *Ern.*

§. 14. * *illius rationes,* Caesaris.

§. 16. * *ad consultationem tuam,* ep. LXXVII, 6. *scribe aliquid, et maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes.*

§. 19. * *fugamne fidam,* nam fugiens cum Pompeio ex Italia, fidem praestat amico; *moram,* consilii ex eventu capiendi dilationem, *foedam* dicit, violatur enim amicitia.

inutilem et periculosam puto, et satius esse existimo, vos dispertitos et in speculis esse. Sed mediusfidius turpe nobis puto esse, de fuga cogitare. Hoc turpe Cnaeus noster biennio ante cogitavit;
20 ita sullaturit animus eius et proscripturit diu. Inde, ut opinor, quum tu ad me quaedam γενικώτερον scripsisses, et ego mihi a te significari putassem, ut Italia cederem, detestaris hoc diligenter XI. Kal. Mart.: *Ego vero nulla epistola significavi, si Cnaeus Italia cederet, ut tu una cederes; aut, si significavi, non dico, fui inconstans, sed demens.* In eadem epistola alio loco: *Nihil relinquitur, nisi fuga; cui te socium neutiquam puto esse oportere, nec unquam*
21 *putavi.* Totam autem hanc deliberationem evolvis accuratius in litteris VIII. Kalend. Mart. datis: *Si M'. Lepidus et L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, si salvus sit Pompeius et constiterit alicubi, hanc νεκυίαν relinquas, et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quae perspicitur futura, colluvie regnare.* Multa disputas huic sententiae convenientia. Inde ad extremum, *Quid si*, inquis, *Lepidus et Volcatius discedunt? Plane ἀπορῶ. Quod evenerit igitur, et quod egeris, id στερκτέον putabo.* Si tum
22 dubitabas, nunc certe non dubitas, istis manentibus. Deinde in ipsa fuga v. Kal. Mart.: *Interea non dubito, quin in Formiano mansu-*
23 *rus sis: commodissime enim τὸ μέλλον ibi καραδοκήσεις.* Ad Kal. Mart. quum ille quintum iam diem Brundisii esset: *Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam*
24 *si una proieceris te.* Deinde IV. Nonas Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν quum breviter scriberes, tamen ponis hoc: *Cras scribam plura et ad omnia; hoc tamen dicam, non poenitere me consilii de tua mansione, et, quamquam magna sollicitudine, tamen, quia minus mali puto esse, quam in illa profectione, maneo in sententia, et gaudeo te man-*

* *in speculis esse*, occasionem rei bene gerendae exspectare.

§. 20. γεννικώτερον, fortius. (v. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 181. III. p. 397. ed. Bip.) ad Att. VIII, 9. εὐγενῆ *tua consilia et tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur*; quod spectare videtur ad epist. ad Att. VIII, 2. *nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum; facis amice tu quidem.*

* γενικώτερον, i. e. magis in universum, ut in alteram utram partem accipi potuerit, recepimus cum Orellio.

§. 21. * *M'. Lepidus et L. Volcatius*, cf. ad ep. LXXVII, 6. — *constiterit*, ex fuga. — *vinci cum illo facilius patiaris*, cf. ep. LXXII, 7.

νεκυίαν, homines nullius pretii, qui ad Caesarem ita confluebant, ut animae mortuorum, νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα ad Ulyssem Od. λ', 49 sqq.

[*colluvie* hominum perditorum et flagitiosorum, ut Clodius *homo ex omnium scelerum colluviene notus* vocatur pro Sext. 7, 15.]

* *in ipsa fuga* Pompeii.

§. 23. * *non scilicet integra re*, animum enim Pompeii suboffendit haec mora; sed hoc tamen consilio rectius tibi consulis, quam si una proiicias te et apertas cum Caesare inimicitias suscipias. *Man.*

§. 24. ὑπὸ τὴν λῆψιν, sub accessionem febris.

sisse. Quum vero iam angerer et timerem, ne quid a me dedecoris esset admissum, III. Nonas Mart.: *Tamen, te non esse una cum Pompeio, non fero moleste. Postea si opus fuerit, non erit difficile, et illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμένιστον. Sed hoc ita dico, si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter: valde videro, et consideratius utilitati nostrae consuluero.* VII. Idus Mart. scribis Peducaeo quoque nostro probari, quod quierim, cuius auctoritas multum apud me valet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil a me adhuc delictum putem. Tu modo, auctoritatem tuam defendito; adversus me, nihil opus est; sed consciis egeo aliis. Ego, si nihil peccavi, reliqua tuebor. Ad ea tu te hortare, et me omnino tua cogitatione adiuva. Hic nihildum de reditu Caesaris audiebatur. Ego his litteris hoc tamen profeci; perlegi omnes tuas, et in eo acquievi. 25 26 27

EPISTOLA LXXXIX. (Ad Att. IX. 11. annexa.)

Scr. XIV. Kal. Apr. in Formiano.

CICERO IMP. S. D. CAESARI IMP.

Ut legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem, te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus; de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam; spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam. Quod si ita est et si qua de Pompeio nostro tuendo et tibi ac rei publicae reconciliando cura te attingit, magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem, qui et illi semper et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli ullam partem attigi, iudicavique eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adiuvandum, sic me nunc Pompeii dignitas 1 2 3

§. 25. **consideratius — consuluero*, fortasse tibi suasero, ut in Italia remaneas et Romam redeas.

§. 26. * S. *Peducaeo*, senatori.

§. 27. *consciis — aliis*, qui consilii mei rationem probent.

* *Ad ea*, ad auctoritatem tuam; quam secutus sum, etiam coram aliis defendendam, *tu te hortare*, ipse tibi auctor sis.

* *de reditu Caesaris*, qui Kal. April. demum Brundisio Romam rediit.

[§. 1. *tuas litteras.* ep. 87.]

§. 2. * *quum primum potui*, statim post reditum ex provincia, cf. ep. LXXVI, 4. LXXIX, 2. LXXXVI, 1.

vehementer movet. Aliquot enim sunt anni, quum vos duo delegi, quos praecipue colerem et quibus essem, sicut sum, amicissimus. 4 Quamobrem a te peto, vel potius omnibus precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. Quae, si tantum ad me ipsum 5 pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum; sed, ut arbitror, et ad tuam fidem, et ad rem publicam pertinet, me e paucis et ad utriusque vestrum et ad civium concordiam per te quam accom- 6 modatissimum conservari. Ego, quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tamen, lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioque misit, eandem me salutem a te accepisse putavi, quam ille; in quem si me intelligis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim.

EPISTOLA XC. (Ad Div. IV. 1.)

Scr. circa Id. Apr. in Formiano vel alia villa A. U. C. 704.

M. T. CICERO SER. SULPICIO S. D.

1 C. Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quaesisse, quibus in locis essem, molesteque ferre, quod me propter valetudinem tuam, quum ad urbem accessissem, non vidisses, et hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque 2 nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos! Profecto aliquid opis occidenti rei publicae tulissemus. Cognoram enim iam absens, te haec mala multo ante providentem, defensorem pacis et in consulatu tuo 3 et post consulatum fuisse. Ego autem quum consilium tuum probarem et idem ipse sentirem, nihil proficiebam: sero enim veneram, solus eram, rudis esse videbar in causa, incideram in hominum

§. 3. * *vos duo delegi*, cf. ep. XLI, 27 ssq.

§. 4. * *bonus vir*, eodem sensu, quo ep. XLI, 22. *cum ipsa quasi republica sum collocutus, ut — eum, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur.*

§. 6. *Lentulo*, quem Caesar Corfinii captum incolumem dimiserat, eidem, qui consul de Cicerone revocando tulerat.

* *C. Trebatius* Testa, iuris civilis peritissimus, de quo cf. ep. XXXVIII, 1.

§. 2. *in consulatu tuo*, quem gessit a. u. 703. cum M. Claudio Marcello. Is quum ad senatum retulisset, ut Caesari succederetur ante tempus, et ne absentis ratio comitiis haberetur, S. Sulpicius restitit. Suet. Caes. 28 sq.

* Idem initio belli civilis non solum ipse Romae remansit, sed etiam filium in Caesaris exercitu stipendia facere passus est; ceterum cf. ep. LXXIV, 7. LXXXI, 6.

§. 3. *veneram*, e provincia Cilicia.

pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil iam videmur opi- 4
tulari posse rei publicae, si quid est, in quo nobismet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quam honestissime lugeamus, nemo est omnium, quicum potius mihi, quam tecum, communicandum putem: nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, praecepta te fugiunt. Atque ipse antea 5
ad te scripsissem, te frustra in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne eius animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, me 6
quum rogaret, ut adessem in senatu, eadem omnia, quae a te de pace et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Res 7
vides quomodo se habeat; orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello; urbem sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide relictam direptioni et incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, 8
non modo, quid sperem, sed vix iam quid audeam optare. Sin autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse, nos colloqui; quamquam longius etiam cogitabam ab urbe discedere — cuius iam etiam nomen invitus audio —, tamen propius accedam, Trebatioque mandavi, ut, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret; idque ut facias, velim, aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas, ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortasse arrogo, ut exploratum 9
habeam, quidquid nos de communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

EPISTOLA XCI. (Ad Div. IV. 2.)

Scr. in Cumano exeunte Aprili A. U. C. 704.

CICERO SER. SULPICIO S. D.

A. d. III. Kal. Maias quum essem in Cumano, accepi tuas litte- 1

§. 5. *in conventum senat.* nam plenus senatus dici haud poterat, consulibus ac tot aliis magistratibus urbe absentibus. ad Att. X, 1. *in conventu senatorum: senatum enim non puto.*

* *eius animum*, Caesaris, qui scripserat ep. LXXXVII. *a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam.*

§. 6. *de Hisp.* ad Att. IX, 18. ubi sermones cum Caesare Formiis habitos exponit, Caesar, *Veni igitur*, inquit, *et age de pace. Meone, inquam, arbitratu? An tibi, inquit, praescribam? Sic, inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Graeciam transportari.*

[§. 7. *imperiis distrib.* quum Italiam et Gallias Caesar, Hispanias, Graeciam et reliquas pop. Rom. provincias Pompeius teneat. *Manut.*]

* *sine fide.* Pertinet hoc ad creditas pecunias: quarum in solutione, nisi iudicia fiant, debitores fidem non praestant. Caes. b. civ. III, 1. *quum fides tota Italia esset angu-*

ras, quibus lectis, cognovi, non satis prudenter fecisse Philotimum, qui, quum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, litteras tuas misisset; quas intellexi brevio-
2 res fuisse, quod eum perlaturum putasses. Sed tamen, postquam tuas litteras legi, Postumia tua me convenit et Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires, quod etiam mecum, ut ad te
3 scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare: quid enim est, quod audeam suadere tibi, homini summa auctoritate summaque prudentia?
4 Si, quid rectissimum sit, quaerimus, perspicuum est; si quid maxime expediat, obscurum; sin ii sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumque sit, non
5 potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas, meam causam coniunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum, quum optime sentiremus, error fuit: nam omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt; qua quum ipsi Caesari nihil esset utilius, gratiam quoque nos inire ab eo defendenda pace arbitrabamur.
6 Quantum nos fefellerit, et quem in locum res deducta sit, vides; neque solum ea perspicis, quae geruntur quaeque iam gesta sunt,
7 sed etiam, qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quae fiunt, aut interesse, etiamsi non probes: quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem. In quo reliqua videtur esse delibe-
8 ratio, quod consilium in discessu, quae loca sequamur. Omnino quum miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior: nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam
9 aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias, ut, si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris; sin autem est, quod mecum communicare velis, ego te exspe-
10 ctabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quam primum velim venias, sicut intellexi et Servio et Postumiae placere. Vale.

stior, neque creditae pecuniae solverentur. MAN.

§. 1. * *Philotimum*, libertum Ciceronis, cf. ep. LXXII, 2.

§. 2. * *sed tamen*, quamquam Philotimus non pertulit litteras et mandata.

* *Postumia tua*, uxor Serv. Sulpicii. *Servius*, Serv. Sulpicii filius.

* *noster*, cf. ad ep. XLI, 73.

[§. 4. *perspicuum est.* Cf. ep. 93, 5.]

§. 6. * *Quantum nos fefellerit*, haec opinio, *et quem in locum res deducta sit, vides.* Caesar enim, spe pacis abiecta, Roma in Hispanias abierat, contra Pompeii legatos arma laturus.

* *qui exitus sit futurus*, rem publicam unius potestati subiectam iri.

EPISTOLA XCII. (Ad Div. II. 16.)

Scr. in Cumano exeunte Aprili A. U. C. 704.

M. T. CICERO IMP. M. COELIO S. P. D.

Magno dolore me affecissent tuae litterae, nisi iam et ratio 1
ipsa depulisset omnes molestias, et diuturna desperatione rerum
obduruisset animus ad dolorem novum. Sed tamen quare acciderit, 2
ut ex meis superioribus litteris id suspicarere, quod scribis, nescio:
quid enim in illis fuit praeter querelam temporum, quae non meum
animum magis sollicitum haberent, quam tuum? Nam non eam
cognovi aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id ut non putem
videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse de- 3
beres, ut me existimares aut tam improvidum, qui ab excitata for-
tuna ad inclinatam et prope iacentem desciscerem, aut tam incon-
stantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem a
meque ipse deficerem, et, quod initio semperque fugi, civili bello
interessem. Quod est igitur meum „triste consilium?“ ut discede- 4
rem fortasse in aliquas solitudines? Nosti enim non modo stomachi
mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in
hominum insolentium indignitate fastidium; accedit etiam molesta
haec pompa lictorum meorum nomenque imperii, quo appellor. Eo 5
si onere carerem, quamvis parvis Italiae latebris contentus essem.
Sed incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam
in voculas malevolorum. Quod quum ita esset, nihil tamen unquam 6
de profectione, nisi vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea prae-
diola tibi nota sunt; in his mihi necesse est esse, ne amicis mole-
stus sim. Quod autem in maritimis sum, facillime moveo nonnullis 7
suspicionem, velle me navigare; quod tamen fortasse non nollem,
si possem ad otium. Nam ad bellum quidem qui convenit? praeser-

* Ep. XCII. *M. Coelio*, cf. ep. LXV.

§. 1. * *litterae tuae*, ad Div. VIII, 16, quibus suadet Coelius Ciceroni, ut, dum armis decernatur, in oppidum aliquod vacuum a bello secedat, neve contra victorem faciat, quem dubiis rebus laedere noluit.

§. 2. * *non eam*, i. e. multo maiorem, quam ut putem.

§. 3 *ab excitata* Caesaris *ad inclinatam* Pompeii.

§. 4. * *quondam hab.* Significat illud tempus, qua Coelius contra cives improbos pro re publica senserat. Nam, ut Cicero scripsit in Bruto c. 79. *talis tribunus pl. fuerat, ut nemo contra civium perditorum populärem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum statu steterit constantius. Manut.*

§. 6. * *molestus sim*, ipsa lictorum pompa.

[§. 7. *facillime*, libentissime, ut Orat. II, 85, 346. ad Att. XIII, 39. quae loca citat Victor. Cf. Graev. ad epp. fam. III, 12. Heusing. ad Off. II, 19, 9.]

tim contra eum, cui spero me satisfecisse, ab eo, cui iam satisfieri nullo
8 modo potest? Deinde sententiam meam tu facillime perspicere potuisti iam ab illo tempore, quum in Cumanum mihi obviam venisti: non enim te celavi sermonem T. Ampii; vidisti, quam abhorrerem ab urbe
9 relinquenda. Quum audissem, nonne tibi affirmavi, quidvis me potius perpessurum, quam ex Italia ad bellum civile exiturum? Quid ergo accidit, cur consilium mutarem? nonne omnia potius, ut in sententia
10 permanerem? Credas hoc mihi velim, quod puto te existimare, me ex his miseriis nihil aliud quaerere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluisse, quam pacem, ea desperata, nihil tam
11 fugisse, quam arma civilia. Huius me constantiae, puto fore, ut nunquam poeniteat. Etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensium, quod nunquam bello civili
12 interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quod illi tribuebatur ignaviae; de nobis id existimari posse non arbitror. Nec me ista terrent, quae mihi a te ad timorem fidelissime atque amantissime proponuntur: nulla est enim acerbitas, quae non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere videatur; quam quidem ego a re
13 publica meis privatis et domesticis incommodis libentissime vel istis ipsis, quae tu me mones, ut caveam, redemissem. Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla res publica, satis amplum patri-
14 monium relinquam in memoria nominis mei, sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim a reliquis civibus. Nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum mihique carissimum; an dubitas, qui scias, quanti quum illum, tum vero Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissime sollicitet? et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula, Dolabellam meum, vel potius nostrum, fore ab iis molestiis, quas liberalitate

* *contra eum, cui spero me satisfecisse*, cf. ep. LXXX, 7.

* *ab eo*, i. e. in gratiam eius, Pompeii. Vide de hoc usu praepositionis *ab* Hand. Tursell. I, 55. 56.

§. 8. * *mihi obviam venisti*, redeunti ex Cilicia.

T. Ampii Balbi, ad quem scribit VI, 12. haud dubie minacem et immoderatum de bello utique gerendo. Unde Caesariani hunc T. Ampium tubam belli civilis post victoriam appellabant. *Gronov.*

§. 9. *Quum aud.* Pompeium de urbe relinquenda cogitare.

§. 11. * *Q. Hortensium*, v. ad ep. VII, 7. — *bello civili*, inter Marium, Cinnam et Sullam gesto.

tribuebatur ignaviae. Corn. Nep. Timol. 4. *neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae.*

* *existimari posse non arbitror*, satis enim, Catilinae audacia repressa, consul probavi me minime ignavum esse.

§. 12. * *proponuntur*, eventura mihi Pompeium secuto et meis; ad Div. VIII, 16. *ne te tuosque omnes funditus evertas.*

§. 14. *generum meum*, Dolabellam.

* *an dubitas*, cf. ad ep. LXXXV, 6.

ab iis molestiis, ab aere alieno. *liberalitate sua*, immoderatis sumtibus.

* *fore liberum*, Caesaris liberalitate sublevatum, fortasse etiam

sua contraxerat, liberum. Velim quaeras, quos ille dies sustinuerit, in urbe dum fuit, quam acerbos sibi, quam mihimet ipsi, socero, non honestos. Itaque neque ego hunc Hispaniensem casum exspecto, 15 de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis, neque quidquam astúte cogito. Si quando erit civitas, erit profecto nobis locus; sin autem non erit, in easdem solitudines tu ipse (ut arbitror) venies, in quibus nos consedisse audies. Sed ego fortasse vaticinor, et haec 16 omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me: eos ego fortasse nunc imitor, et utor aetatis vitio. Velim ita sit. Sed tamen .... Togam praetextam 17 texi Oppio, puto te audisse. Nam Curtius noster dibaphum cogitat; sed eum infector moratur. Hoc adspersi, ut scires, me tamen in stomacho solere ridere. De Dolabella quod scripsi, suadeo videas, 18 tamquam si tua res agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbu- 19 lenter, nihil temere faciemus. Te tamen oramus, quibuscunque erimus in terris, ut nos liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra et tua fides postulabit.

EPISTOLA XCIII. (Ad Div. V. 19.)

Scr. in Cumano exeunte Aprili A. U. C. 704.

CICERO RUFO.

Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus, 1 tamen quotidie magis id perspicio, exstatque id, quod mihi ostenderas quibusdam litteris, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in provincia fuisses, (etsi meo iudicio nihil ad tuum provinciale officium addi potest,) quo liberius iudicium esse posset tuum. Itaque 2

novis tabulis; cf. ep. LXXIV, 10. *illuc facere — omnes, qui aere alieno premantur.* ep. XCIV, 5. Postea Dolabella, tribunus pl. factus, legem tulit de novis tabulis, cf. ad Att. XI, 23.

[*quos ille dies sustinuerit*, quum satisfacere creditoribus non posset. *Manut.*]

[§. 15. *Hispaniensem casum*, Hisp. belli exitum. Coelii verba (ad Fam. VIII, 16.) *Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta; quas tibi nuntio adventu Caesaris fore nostras. Manut.*]

[*astute*, ut maneam, si Caesar in Hisp. vicerit, sin male rem gesserit, Pompeium sequar.]

§. 17. *Togam pr.* magistratum aliquem parari a Caesare.

* *Oppio*, Caesaris amico, de quo ad Q. fr. III, 1, 8. 10. 13. Quem magistratum Caesar ei paraverit, ignoramus. — *Curtius*, cf. ep. XL, 8.

dibaphum cogitat, augur fieri cupit. *Infector* vocatur Caesar, a quo se augurem factum iri sperat Curtius.

Ep. XCIII. *Rufo*, L. Mescinio R. qui quaestor Ciceronis fuerat in Cilicia.

* *quo liberius iudicium esse posset tuum*; quaestor enim praesidem provinciae parentis loco habere debebat, quod nisi fecisset, impietatis crimen subibat.

me et superiores litterae tuae admodum delectaverunt, quibus et exspectatum meum adventum abs te amanter videbam, et, quum aliter res cecidisset ac putasses, de meo consilio magno opere esse laetatum, et his proximis litteris magnum cepi fructum et iudicii et officii tui: iudicii, quod intelligo, te, id quod omnes fortes ac boni viri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum honestumque sit; officii, quod te mecum, quodcunque cepissem consilii, polliceris fore; quo neque mihi gratius, neque, ut arbitror, tibi honestius
3 esse quidquam potest. Mihi consilium captum iamdiu est; de quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilii tali tempore quasi quaedam admonitio videtur esse officii vel potius efflagitatio ad coeundam societatem vel periculi vel
4 laboris. Quum vero ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, libenter amplector talem animum, sed ita: (non enim dimittam pudorem in rogando meum,) si feceris id, quod ostendis, magnam habebo gratiam; si non feceris, ignoscam, et alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. Est enim res pro-
5 fecto maxima. Quid rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut si nos ii sumus, qui esse debemus, id est studio digni et litteris nostris, dubitare non possimus, quin
6 ea maxime conducant, quae sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit, statim ad me venies; sin idem placebit, atque eodem, nec continuo poteris, omnia tibi ut nota sint, faciam. Quidquid statueris, te mihi amicum, sin id quod opto, etiam amicissimum iudicabo.

EPISTOLA XCIV. (Ad Att. X. 8.)

Scr. in Cumano a. d. VI. Non. Maii A. U. C. 704.

CICERO ATTICO S.

1 Et res ipsa monebat et tu ostenderas et ego videbam, de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. Sed, quum ad me saepe mea Tullia scribat, orans,

[§. 2. *superiores — proximis.* Cf. Catil. I, 1, 1. 4, 8. II, 3, 6.]

[*aliter res cecid.* non in urbem venissem.]

[*meo consilio*, in ora maritima manendi. *Corr.*]

§. 3. * *consilium captum est*, ad Pompeium in Graeciam aufugiendi.

[§. 4. *si feceris id, quod ostendis*, te mecum fore. *Corr.*]

* *alterum*, quod remanseris Romae, *timori*, ne Caesaris iram commoveris neve navigationis bellive pericula subieris, *alterum*, quod te mecum fore pollicitus fueris, *mihi*, cuius quaestor fueris, *n. n. p. arbitrabor.*

[§. 5. *quid rectum sit.* vid. ep. 91, 4.].

§. 6. * *Sin idem pl., atque eod., nec cont. pot.*; sin ut ego ex Italia fugere voles, atque eodem, ad Pompeium, neque tamen continuo ad me venire poteris, ut simul profugias.

ut, quid in Hispania geratur, exspectem, et semper adscribat, idem videri tibi, idque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Consilium 2 istud tunc esset prudens, ut mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus, quod fieri non necesse est. Necesse est enim, aut, id quod maxime velim, pelli istum ab Hispania; aut trahi id bellum; aut istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. Si pelletur, quam gratus aut quam honestus tum erit ad Pom- 3 peium noster adventus, quum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? Sin trahitur bellum, quid exspectem aut quam diu? Relinquitur, ut, si vincimur in Hispania, quiescamus. Id ego contra puto; istum enim victorem 4 magis relinquendum puto, quam victum, et dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. Nam caedem video, si vicerit, et impetum in 5 privatorum pecunias et exulum reditum et tabulas novas et turpissimorum honores, et regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile. Tacita esse poterit indignitas nostra? 6 Pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere? et quidem illum rogari prius? praesto esse clientem tuum Clodium? C. Ateii Plaguleium? ceteros? Sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios, a me defensos, nec videre in curia sine dolore, nec versari inter eos sine dedecore potero. Quid, si ne id quidem est exploratum, fore, 7 ut mihi liceat, (scribunt enim ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse, quod in senatum non venerim;) tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum coniuncti ne cum praemio quidem voluimus esse? Deinde hoc vide, non esse iudicium 8 de tota contentione in Hispaniis; nisi forte, iis amissis, arma Pompeium abiecturum putas; cuius omne consilium Themistocleum est.

§. 1. * *quid in Hispania geratur*, cf. ep. XCII, 15.

§. 3. * *ipsum Curionem*, de quo cf. ep. LXV, 8., *transiturum*, desperatis Caesaris rebus.

§. 4. * *quam victum et dubitantem* cet., quam quum victus sit magisque dubitet quam fidat suis rebus. *Manut.*

§. 5. * *Persae*, regis dominationi adsueto.

§. 6. * *Gabinio*, quo consule Cicero in exilium missus erat; is postea, e Syria provincia redux, repetundarum reus, a Pompeio et Cicerone ipso frustra defensus, damnatus in exilium abiit. Caesar vero Hispaniensi bello confecto Gabinium restituit.

* Sextum *Clodium*, qui post P. Clodii mortem de vi damnatus, a M. Antonio demum post Caesaris caedem ex exilio revocatus est.

a me defensos, qui me defendente condemnati in exilium abierunt, quos, restitutos a Caesare, videre in senatu sine dolore non potero, quia legibus condemnatos armis restitutos videbo. *Manut.*

[*sine dedecore*, quia versabor inter homines iudicio notatos. *Id.*]

* *ut mihi liceat*, sententiam dicere in senatu.

[§. 7. *dubitemus*, consideremus. In his verbum dubitandi notat consultationem affirmationi propiorem, quam negationi, ut ait Perizonius ad Sanctii Minerv. p. 328. Cf. Zumptii Gramm. lat. §. 354.]

§. 8. * *Themistocleum est*; Themistocles enim bello Persico Atheniensibus persuasit, ut urbe agris-

Existimat enim, qui mare teneat, eum necesse esse rerum potiri.
9 Itaque nunquam id egit, ut Hispaniae per se tenerentur, navalis
10 apparatûs ei semper antiquissima cura fuit. Navigabit igitur, quum erit tempus, maximis classibus, et ad Italiam accedet; in qua nos sedentes quid erimus? — Nam medios esse iam non licebit. —
11 Classibus adversabimur igitur? Quod malum maius? Scilicet! tantum denique? quid turpius? An, qui valide huius absens et solus tuli scelus, eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram?
12 Quod si iam, misso officio, periculi ratio habenda est, ab illis est periculum, si peccaro, ab hoc, si recte fecero, nec ullum in his malis consilium periculo vacuum inveniri potest, ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam
13 cum salute. Non simul cum Pompeio mare transierimus? Omnino non potuimus. Exstat ratio dierum. Sed tamen (fateamur enim, quod est, ne condimus quidem, ut possimus) fefellit ea me res, quae fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putavi fore; quae si esset, iratum mihi Caesarem esse, quum idem amicus esset Pompeio,
14 nolui. Senseram enim, quam iidem essent. Hoc verens in hanc tarditatem incidi. Sed assequor omnia, si propero; si cunctor,
15 amitto. Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, nec haec collegii nostri ab Atto, sed illa Platonis de tyrannis: nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat; quippe qui florentissimus ac novus VI, VII diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit; qui duarum rerum simulationem tam cito ami-
16 serit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario. Iam quibus

que relictis naves conscenderent et classe bellum gererent.

§. 9. *per se*, non per legatos.

§. 11. * *Scilicet! tantum denique?* i. e. quod malum, ne dicam maius, denique tantum est?

[*inval. et abs.*, in Gallia, Caesaris. *solus tuli scelus*, ab Italia prohibitus. De formula *An* vid. ad Catil. I, 1, 3.] * Locus hic in libris MS. foede corruptus. Matth. ex J. Gronovii coniect. dedit: *Ain' tu, Attice? An invalidi et absentis solus* cet. Nos, librorum vestigia aliquanto pressius secuti, ex Billerbeckii fere sententia locum constituimus. — *Valide*, forti animo.

[§. 12. *ab illis*, Pompeianis. *si peccaro* manendo in Italia. *turpiter facere*, manere in Italia. *Fugere* c. infin. iungit Cic. etiam Or. III, 38, 153. Muren. 5, 11.]

§. 13. * *Exstat ratio dierum*, cf. ep. LXXXVI, 8. 9. — *ne condimus quidem, ut possimus*, fac, nos posse, tamen non condimus.

senseram, Clodianis temporibus, quum Pompeius ideo me noluit defendere, ne Caesarem offenderet. *quam iidem*, voluntate coniuncti. *Manut.*

§. 15. * *ab Atto* Naevio, qui Tarquinio Prisco regnante clarissimus augur fuit; cf. Liv. I, 36. Cic. Div. I, 17.

[*illa Platonis*, de rep. VIII. p. 562 sqq. ed. Steph.]

* *VI, VII. diebus*, tot enim dies Caesar, antequam in Hispanias proficisceretur, Romae commoratus erat; Caes. b. civ. I, 33.

in Metello, quem trib. pl. interficere voluit, quod eum impedire volebat, quo minus aerarium effringeret et pecuniam inde auferret. *Ern.*

utatur vel sociis vel ministris, si ii provincias, si rem publicam regent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Non sunt omnia colligenda, quae tu acutissime perspicis; sed 17
tamen ea pone ante oculos: iam intelliges, id regnum vix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi 18
homines in re publica excellentes tulerunt; nisi forte me Sardanapali vicem in meo lectulo mori malle censueris, quam exilio Themistocleo: qui quum fuisset, ut ait Thucydides, *τῶν μὲν παρόντων δὶ ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής*, tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum nihil fefellisset. Etsi is erat (ut ait 19
idem) qui *τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα*, tamen non vidit, nec quo modo Lacedaemoniorum, nec quo modo suorum civium invidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. Non fuisset illa nox tam acerba Africano, sapientissimo 20
viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset. Nos tamen hoc confirmamus illo 21
augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est, aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore. Quam- 22
quam tempus est, nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare. Sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum,* an fiat, videam, an futurum esse multo ante viderim. Quae quum ita sint, non est committendum, ut iis parea- 23
mus, quos contra me senatus, ne quid res publica detrimenti acciperet, armavit. Tibi sunt omnia commendata; quae commendationis 24
meae pro tuo in nos amore non indigent. Ne hercule ego quidem reperio, quid scribam. Sedeo enim *πλουδοχῶν*. Etsi nihil unquam 25
tam fuit scribendum, quam nihil mihi unquam ex plurimis tuis iucunditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam suavissime dili-

in aerario, quo effracto patefecit, se divitiis non affluere.

§. 16. * *patrimonium suum*, nam et Antonius, et Curio, et Dolabella, Caesaris socii, magno omnes aere alieno oppressi. *Manut.*

[§. 18. *nisi forte.* vid. ad or. pro S. Roscio §. 62.]

* *Sardanapali vicem*, qui ultimus Assyriae rex, bello a coniuratis sibi illato, victus se et divitias suas incendio cremavit.

Thucydides, I, 138.

§. 20. *illa nox*, qua in cubiculo suo interfectus est, suorum, ut putabatur, scelere. *ille dies*, quo Sullae armis urbe pulsus est.

* *utrum factum, an fiat videam, an* cet. Affert Orellius similem locum ad Att. IX, 2. *Utrum hoc tu parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam?*

§. 23. *ut iis pareamus*, Caesari cum suis, contra quos me sen. — *armavit*, tanquam proconsulem. Nam Caes. B. C. I, 5. *Decurritur ad illud extremum atque ultimum SC. —dent operam consules, praetores, tribuni pl. quique consulares* (al. *proconsules*) *sint ad urbem, ne quid respubl. detrimenti capiat.* Vid. supr. ep. 76, 6.

gentissimeque coluisti. Valde eo ipsa delectata est: ego autem non minus; cuius quidem virtus mirifica. Quomodo illa fert publicam cladem! quomodo domesticas tricas! quantus autem animus in discessu nostro! Sit στοργῆς licet summa σύντηξις, tamen nos recte facere
26 et bene audire vult. Sed hac super re nimis, ne meam ipse συμπάθειαν iam evocem. Tu, si quid de Hispaniis certius et si quid aliud, dum adsumus, scribes et ego fortasse discedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quod Tullia te non putabat hoc tempore
27 ex Italia. Cum Antonio item est agendum, ut cum Curione, Melitae me velle esse, huic bello nolle interesse. Eo velim tam facili uti possim et tam bono in me, quam Curione. Is ad Misenum VI. Nonas venturus dicebatur, id est, hodie; sed praemisit mihi odiosas litteras, hoc exemplo: — —

ANTONIUS TRIB. PLEB. PROPRAET. CICERONI IMP. S. D.

28 *Nisi te valde amarem, et multo quidem plus, quam tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, quum praesertim falsum esse existimarem. Sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare, mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni*
29 *esse. Te iturum trans mare, credere non possum, quum tanti facias Dolabellam et Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas amplitudoque tua*
30 *paene carior est, quam tibi ipsi. Sed tamen non sum arbitratus esse amici, non commoveri etiam improborum sermone; atque eo feci studiosius, quod iudicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quae magis a ζηλοτυπίᾳ mea, quam ab iniu-*
31 *ria tua nata est. Sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Caesare meo, meque illud una iudicare,*
32 *Caesarem maxime in suis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serves, eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra ne profugias, qui te, etsi non amabit, (quod accidere non potest) tamen salvum*

§. 25. *domest. tric.* propter rem familiarem a viro suo Dolabella perturbatam. Vid. ep. 92, 14.

* *σύντηξις*, arctissima coniunctio, *στοργῆς*, quae ex pietate proficiscitur. — *recte facere*, ire ad Pompeium.

§. 27. * *Melitae me velle esse*, non enim audet Antonio, quem Caesar in Hispanias proficiscens Italiae pro praetore praefecerat, aperte confiteri, se ad Pompeium iter parare.

§. 30. *ζηλοτυπίᾳ*, ex eo nata, quod Cicero augur factus erat, quum idem vellet Antonius.

§. 32 * *qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit*; Pompeius, ut Ciceronem restituere posset in patriam, prius Clodium contra eum armaverat, quum augur in Clodio ad plebem traducendo adesset.

* *quod accidere non potest*, fieri non potest, ut te non amet.

amplissimumque esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium, familiarissimum meum, misi, ut mihi magnae curae tuam vitam ac dignitatem esse scires.

Eodem die a Caesare Philotimus attulit, hoc exemplo: 33

CAESAR IMP. CICERONI IMP. S.

Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram, tamen, permotus hominum fama, scribendum ad te existimavi et pro nostrâ benevolentia petendum, ne quo progredereris proclinata iam re, quo integra etiam progrediendum tibi non existimasses. Namque et amicitiae graviorem iniuriam feceris, et tibi minus com- 34 *mode consulueris, si non fortunae obsecutus videbere, (omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur) nec causam secutus, (eadem enim tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse iudicasti) sed meum aliquod factum condemnavisse; quo mihi gravius abs te nil accidere potest. Quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a te peto. Postremo, quid viro bono et quieto et bono civi* 35 *magis convenit, quam abesse a civilibus controversiis? Quod non-nulli quum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tú,* 36 *explorato et vitae meae testimonio et amicitiae iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse. XV. Kal. Mai. ex itinere.*

EPISTOLA XCV. (Ad Div. XIV. 7.)

Scr. in portu Caietano nave conscensa, III. Idus Iun. A. U. C. 704.

M. T. CICERO TERENTIAE SUAE, ET TULLIAE S. P. D.

Omnes molestias et sollicitudines, quibus et te miserrimam habui 1 et, id quod mihi molestissimum est, Tulliolam, quae nobis nostra vita dulcior est, deposui et eieci. Quid causae autem fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi: χολὴν ἄκρατον noctu eieci. Statim ita sum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum soles, pie et caste satisfacies. Navem spero nos valde bonam habere; in eam simulatque 2 conscendi, haec scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te et Tulliolam nostram diligentissime commendabo. Cohortarer vos, [quod] animo fortiore essetis, nisi vos 3

§. 33. * *proclinata iam re*, ad victoriam nostram.

§. 1. * *satisfacies*; addunt libri glossema: *id est, Apollini et Aesculapio.*

§. 3. * *quod* seclusit *Orell.*, com-

fortiores cognossem, quam quemquam virum. Et tamen eiusmodi spero negotia esse, ut et vos istic commodissime sperem esse, et 4 me aliquando cum similibus nostri rem publicam defensuros. Tu primum valetudinem tuam velim cures: deinde, tibi si videbitur, villis iis utere, quae longissime aberunt a militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam atque etiam vale. D. III. Idus Iun.

EPISTOLA XCVI. (Ad Div. IX. 9.)

Scr. in castris ad Dyrrhachium mense Maio A. U. C. 705.

DOLABELLA CICERONI S. D.

1 Si vales, gaudeo. Et ipse valeo et Tullia nostra recte valet; Terentia minus belle habuit, sed certum scio iam convaluisse eam. 2 Praeterea rectissime sunt apud te omnia. Etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui venire, partium causa potius, quam tua, tibi suadere, ut te aut cum Caesare nobiscumque coniungeres, aut certe in otium referres, praecipue nunc, iam inclinata victoria, ne possum quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tibi suadere videar, quod pie tacere non possum. Tu autem, mi Cicero, sic haec accipies, ut sive probabuntur tibi, sive non probabuntur, ab optimo certe animo ac deditissimo tibi et cogitata 3 et scripta esse iudices. Animadvertis, Cn. Pompeium nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, neque etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum, et hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honeste effugere possit, pulso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique; quod nescio, an nulli unquam 4 nostro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille sperare possit, aut tu, animum adverte pro tua prudentia; sic enim facillime, quod 5 tibi utilissimum erit consilii, capies. Illud autem te peto, ut, si iam ille evitaverit hoc periculum et se abdiderit in classem, tu tuis rebus consulas et aliquando tibi potius, quam cuivis, sis amicus. 6 Satisfactum est iam a te vel officio vel familiaritati; satisfactum etiam partibus et ei rei publicae, quam tu probabas. Reliquum est, ut

parato loco ep. LIV, 11. *hortatus sum, — defenderent.*

§. 4. * *Cicero bellissimus,* filius.

* Ep. XCVI., §. 1. *apud te,* domi tuae; ea enim formula utuntur etiam absente domino; cf. ad Att. I, 8, 1. *Apud te est, ut volumus.* de Orat. I, 49. *M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio.*

§. 2. * *tibi suadere,* cf. ad ep. II, 5. — *pie,* ut gener.

[§. 3. *capto ex. veter.* Hispaniensi.]

circumvallato, ad Dyrrhachium.

an nulli. Vid. Excurs.

ubi nunc est res publica, ibi simus potius, quam, dum illam veterem sequimur, simus in nulla. Quare velim, mi iucundissime Cicero, si 7
forte Pompeius, pulsus his quoque locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas vel in quamvis quietam recipias civitatem. Quod si eris facturus, velim mihi scribas, ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem. Quaecunque de tua dignitate ab impe- 8
ratore erunt impetranda, qua est humanitate Caesar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare; et meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuae quoque fidei et humani- 9
tatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, reverti possit ad me et a te mihi litteras referat.

EPISTOLA XCVII. (Ad Div. XV. 15.)

Scr. Brundisii mense, ut videtur, Sextili A. U. C. 706.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Etsi uterque nostrum spe pacis et odio civilis sanguinis abesse 1
a belli pertinacia voluit, tamen, quoniam eius consilii princeps ego fuisse videor, plus fortasse tibi praestare ipse debeo, quam a te exspectare. Etsi, ut saepe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum, et item mecum tuus, adduxit utrumque nostrum ad id consilium, ut uno proelio putaremus, si non totam causam, at certe nostrum iudicium definiri convenire. Neque quisquam hanc nostram 2
sententiam vere unquam reprehendit, praeter eos, qui arbitrantur melius esse, deleri omnino rem publicam, quam imminutam et debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. Sed ea sunt consecuta, ut 3
magis mirum sit, accidere illa potuisse, quam nos non vidisse ea futura, nec, homines quum essemus, divinare potuisse. Equidem 4
fateor, meam coniecturam hanc fuisse, ut, illo quasi quodam fatali proelio facto, et victores communi saluti consuli vellent et victi suae;

§. 7. *his quoque locis*, Dyrrhachio. * Quum scribat *his quoque locis*, apparet Dolabellam non Romae sed in Caesaris castris fuisse quum haec scriberet; idem inde colligi potest, quod §. 1. scribit *scio iam convaluisse eam*. Cf. etiam Drumann. II, p. 567 ss.

§. 9. * *reverti possit*, neve retineatur in Pompeii castris.

* Ep. XCVII. Scr. Brundisii. Cicero, qui Dyrrhachii, dum Pompeius Caesarem in Thessaliam sequitur, remanserat valetudinis causa, post pugnam Pharsalicam, desperata optimatium causa, in Italiam rediit et Brundisii versatus est.

§. 1. * *eius consilii princeps ego f. v.*, nam Cassius post pugnam Pharsalicam primum Corcyram, dein cum navibus in Hellespontum se contulit, ubi quum in Caesarem incidisset, se cum suis ei tradidit; cf. ad §. 5.

§. 4. *fatali proelio*, Pharsalico. *victores comm. sal. cons.* pace facta, victis ignoscendo, *victi suae*,

5 utrumque autem propositum esse arbitrari in celeritate victoris. Quae si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia, te, ut opinor, ipso allegato ac deprecatore. Amissis autem temporibus, quae plurimum valent, praesertim in bellis civilibus, interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent, 6 alios, ut ipsum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quem istum Pharnacem Asiae 7 terrorem illaturum putaret? Nos tamen in consilio pari casu dissimili usi sumus. Tu enim eam partem petisti, ut et consiliis interesses, et, quod maxime curam levat, futura animo prospicere posses. Ego, qui festinavi, ut Caesarem in Italia viderem, (sic enim arbitrabamur,) eumque multis honestissimis viris conservatis redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem, ab illo longissime et absum et afui. 8 Versor autem in gemitu Italiae et in urbis miserrimis querelis, quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte 9 ferre potuisset, si auctor affuisset. Quare velim, pro tua perpetua erga me benevolentia, scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid exspectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuae litterae; atque utinam primis illis, quas Luceria miseras, paruissem! sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem.

EPISTOLA XCVIII. (Ad Div. XV. 21.)

Scr. Romae mense Decembri A. U. C. 706.

M. T. CICERO TREBONIO S. P. D.

1 Et epistolam tuam legi libenter et librum libentissime; sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod, quum incendisses cupi-

depositis armis, venia praeteritorum petita. *Manut.*

§. 5. *quam cognovit Asia — Achaia*, quam cognoverunt ii, qui post Pharsalicam pugnam se in Asiam et in Achaiam receperunt. *Manut.*

te, ut op., ipso all. Cassius enim post pugnam Pharsalicam ad Caesarem transierat, tradita Caesari classe Pompeiana. Dio Cass. 42, 6.

* *ipsum vinci*, cf. Haase ad Reisig. n. 601.

[§. 6. *Quis — putaret* i. e. nemo enim putabat; nos diceremus *putasset*. Vid. ad or. pro S. Roscio §. 103.]

[*tantam moram*, novem mensium.]

* *Pharnacem*, Mithridatis filium, Ponti regem, quem Caesar paullo post uno proelio devicit.

§. 7. * *arbitrabamur*, Caesarem primo quoque tempore in Italiam esse rediturum.

§. 8. *in gemitu Italiae.* Absente enim Caesare, M. Antonius multa contra leges moremque maiorum tyrannico more commisit. Vid. Philipp. II, 25. *Manut.*

auctor, Caesar.

§. 9. * *Luceria*, quum ibi esset apud Pompeium, antequam is Italia cederet. Cassii autem consilium videtur fuisse, ut Cicero in Italia maneret. Sch.

§. 1. * *librum*, dictorum Ciceronis, cf. §. 3.

ditatem meam consuetudinis augendae nostrae, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere,) tum discedis a nobis, meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore, ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris et longis epistolis leniatur. 2 Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. 3 Nam, ut illa omittam, quae civitate teste fecisti, quum mecum inimicitias communicasti, quum me contionibus tuis defendisti, quum quaestor in mea atque in publica causa consulum partes suscepisti, quum tribuno plebis quaestor non paruisti, cui tuus praesertim collega pareret; ut haec recentia, quae meminero semper, obliviscar, quae tua sollicitudo de me in armis, quae laetitia in reditu, quae cura, qui dolor, quum ad te curae et dolores mei perferrentur; Brundisium denique te ad me venturum fuisse, nisi subito in Hispaniam missus esses; ut haec igitur omittam, quae mihi tanti aestimanda sunt, quanti vitam aestimo et salutem meam: liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! primum, quod tibi facetum videtur, quidquid ego dixi, quod alii fortasse non item; deinde, quod illa sive faceta sunt sive sic, fiunt, narrante te, venustissima. Quin etiam ante, quam ad me veniatur, risus omnis paene consumitur. Quodsi in iis scribendis nihil aliud, nisi, quod necesse 4 fuit, de uno me tamdiu cogitavisses, ferreus essem, si te non amarem. Quum vero ea, quae scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris, non possum existimare, plus quemquam a se ipso, quam me a te, amari. Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus possem! — amore certe respondebo; quo tamen ipso tibi confido futurum satis.

Nunc ad epistolam venio, cui copiose et suaviter scriptae nihil 5 est quod multa respondeam. Primum enim ego illas Calvo litteras misi, non plus, quam has, quas nunc legis, existimans exituras. Aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli

discedis a nobis, in provinciam Hispaniam proficiscens. §. 3.

§. 3. *inimicitias communicasti*, meos inimicos pro tuis habuisti.

quum quaestor — suscepisti, a. u. 693. quum Clodius id ageret, ut a patriciis ad plebem traduceretur, obnitentibus Afranio et Metello coss.

tribuno pl. C. Herennio, qui legem tulerat, ut universus populus in campo Martio de Clodio ad plebem traducendo suffragium ferret.

tuus — collega, Q. Caecilius Metellus Creticus.

in armis, quum essem ad Pompeium profectus.

* *sive sic*; *sic* minuendi vim habet, ut ad Att. XV, 13. *Cautum Marcellum, me sic, sed non cautissimum.* Manut. Cf. etiam Hor. Carm. II, 11, 14. *iacentes sic temere*, et Graecorum οὕτως.

* *ad me*, ad dictum meum, quod refers.

§. 5. * *Calvo*, C. Licinio. — *exituras*, ut ab aliis legerentur.

6 laudibus, quam tu id vere potuisse fieri putas. Primum (quod ita iudicabam) acute movebatur; genus quoddam sequebatur, in quo, iudicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur, quod probaret. Multae erant et reconditae litterae; vis non erat. Ad eam igitur adhortabar. In excitando autem et in acuendo plurimum valet, si
7 laudes eum, quem cohortere. Habes de Calvo iudicium et consilium meum: consilium, quod hortandi causa laudavi; iudicium, quod de
8 ingenio eius valde existimavi bene. Reliquum est, ut tuam profectionem amore prosequar, reditum spe exspectem, absentem memoria
9 colam, omne desiderium litteris mittendis accipiendisque leniam. Tu velim tua in me studia et officia multum tecum recordere; quae quum tibi liceat, mihi nefas sit oblivisci, non modo virum bonum me existimabis, verum etiam te a me amari plurimum iudicabis. Vale.

EPISTOLA XCIX. (Ad Div. IX. 1.)

Scr. Romae initio anni U. C. 707.

C. Iulio Caesare III. M. Aemilio Lepido Coss.

CICERO M. VARRONI S.

1 Ex iis litteris, quas Atticus a te missas mihi legit, quid ageres et ubi esses, cognovi; quando autem te visuri essemus, nihil sane ex iisdem litteris potui suspicari. In spem tamen venio, appropinquare tuum adventum: qui mihi utinam solatio sit! Etsi tot tantisque rebus urgemur, nullam ut levationem quisquam non stultissimus sperare debeat; sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuvare. Scito enim me, posteaquam in urbem venerim, redisse cum veteribus amicis, id est, cum libris nostris, in gratiam; etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod eorum me suppudebat. Videbar enim mihi, quum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem, praeceptis illorum non satis paruisse. Ignoscunt mihi, revocant in consuetudinem pristinam, teque, quod in eo permanseris, sapientiorem, quam me, dicunt

§. 6. *acute movebatur*, celeres erant eius ingenii motus, ut facile et acute, quid dicendum esset, inveniret.

genus quoddam, exile. Cic. Brut. 82. *Atticum se Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebat, inquam, ita, sed et ipse errabat, et alios errare cogebat.* [cf. Quint. X, 1, 115. et Spald.]

§. 1. * *ubi esses*; nam M. Terentius Varro nondum veniam in urbem redeundi a Caesare impetraverat.

in res turbul. in bellum civile.

infidel. soc. Pompeianis, de quorum in remp. atque in me voluntate nihil mihi certum possem polliceri. *Manut.*

* *quod in eo permanseris*; Varro, Quintiliano teste vir Romanorum eruditissimus, ne eo quidem tempore, quo cum Pompeio in Graecia erat, litterarum studiis abstinuit.

fuisse. Quamobrem, quoniam placatis iis utor, videor sperare de- 2
bere, si te viderim, et ea, quae premant, et ea, quae impendeant, me facile transiturum. Quamobrem sive in Tusculano sive in Cumano ad te placebit sive (quod minime velim) Romae, dummodo simul simus, perficiam profecto, ut id utrique nostrum commodissimum esse videatur.

EPISTOLA C. (Ad Div. VI. 22.)

Scr. Romae initio A. U. C. 707.

CICERO DOMITIO.

Non ea res me deterruit, quo minus, posteaquam in Italiam 1
venisti, litteras ad te mitterem, quod tu ad me nullas miseras, sed quia nec, quid tibi pollicerer, ipse egens rebus omnibus, nec, quid suaderem, quum mihimet ipsi consilium deesset, nec quid consolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Haec quamquam nihilo 2
meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora, tamen inanes esse meas litteras, quam nullas, malui. Ego, si te intelli- 3
gerem plus conatum esse suscipere rei publicae causa muneris, quam quantum praestare potuisses, tamen, quibuscunque rebus possem, ad eam condicionem te vivendi, quae daretur quaeque esset, hortarer. Sed quum consilii tui bene fortiterque suscepti eum tibi finem statue- 4
ris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluisset; oro obtestorque te pro vetere nostra coniunctione ac necessitudine proque summa mea in te benevolentia et tua in me pari, te ut nobis, parenti, coniugi tuisque omnibus, quibus es fuistique semper carissimus, salvum conserves; incolumitati tuae tuorumque, qui ex te pendent, consulas; quae didicisti quaeque ab adolescentia pulcherrime a sapientissimis viris tradita memoria et scientia comprehendisti, iis hoc tempore utare; quos coniunctos summa benevolentia plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium, si non aequo animo, at forti feras. Ego, quid possim, nescio, vel potius me parum posse sentio; 5
illud tamen tibi polliceor, me, quaecunque saluti dignitatique tuae

Ep. C. *Domitio*, filio L. Domitii Aenobarbi, eius, qui ad Corfinium a Caesare captus et dimissus proelio demum Pharsalico occubuit. Cn. a Caesare veniam in Italiam redeundi impetravit, post Cassii et Bruti, propinqua sibi cognatione iunctorum, in interficiendo Caesare socius.

§. 3. *plus conatum esse*, quod fecisset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renovare voluisset. *Manut.* [*plus — muneris.* Vid. ad Catil. IV, §. 16. *si intellig. — tamen.* ad Catil. III, §. 7.]

* *ad eam condicionem te vivendi — hortarer*; videtur Domitius cogitasse de voluntaria morte.

§. 4. *parenti*, matri, Porciae, sorori Catonis Uticensis.

* *quos — amisisti*; pater in proelio Pharsalico occubuerat.

conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu et studio et officio in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem ad
6 matrem tuam, optimam feminam tuique amantissimam, detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciam, ut te velle intellexero. Sin autem tu minus scripseris, ego tamen omnia, quae tibi utilia esse arbitrabor, summo studio diligenterque curabo. Vale.

EPISTOLA CI. (Ad Div. XIII. 29.)

Scr. Romae initio anni U. C. 707.

M. T. CICERO L. PLANCO S.

1 Non dubito, quin scias, in iis necessariis, qui tibi a patre relicti sunt, me tibi esse vel coniunctissimum non iis modo causis, quae speciem habeant magnae coniunctionis, sed iis etiam, quae familiaritate et consuetudine tenentur, quam scis mihi iucundissimam
2 cum patre tuo et summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinem et eo magis, quod intellexi, ut primum per aetatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me a te in primis coeptum esse observari, coli,
3 diligi. Accedebat non mediocre vinculum quum studiorum, quod ipsum est per se grave, tum eorum studiorum earumque artium, quae per se ipsae eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate
4 devinciunt. Exspectare te arbitror, haec tam longe repetita principia quo spectent. Id primum ergo habeto, non sine magna iustaque causa hanc a me commemorationem esse factam. C. Ateio Capitone
5 utor familiarissime. Notae tibi sunt varietates meorum temporum. In omni genere et honorum et laborum meorum et animus et opera et auctoritas et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praesto fuit et
6 paruit et temporibus et fortunae meae. Huius propinquus fuit T. Antistius; qui quum sorte quaestor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antistius nihil potuit. Nam, si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quam ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti, praesertim quum sciret, quanti is Caesarem faceret semperque fecisset. Sed oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non
7 potuit. Quum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere

Ep. CI. *Planco.* Est L. Munatius Plancus, qui tum cum Caesare in Africa contra Scipionem et Iubam regem pugnabat.

[§. 1. vid. ep. 167, 3.]

§. 3. * *eorum studiorum*, philosophiae, *earumque artium*, oratoriae potissimum.

§. 4. * *C. Ateio Capitone*, cf. ep. XCIV, 6.

§. 6. * *oppressus*, subito Pompeii adventu. *Manut.*

§. 7. * *Apolloniae*, in urbe Macedoniae. — *signaretur argentum*, iussu Pompeii.

eum praefuisse, neque possum negare affuisse, sed non plus duobus, an tribus mensibus. Deinde afuit a castris; fugit omne negotium. Hoc mihi ut testi velim credas: meam enim ille maestitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam 8 Macedoniam, quo potuit longissime a castris, non modo ut non praeesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post 9 proelium se ad hominem necessarium, A. Plautium, in Bithyniam contulit. Ibi eum Caesar quum vidisset, nihil aspere, nihil acerbe dixit; Romam iussit venire. Ille in morbum continuo incidit, ex quo non convaluit. Aeger Corcyram venit; ibi est mortuus. Testamento, 10 quod Romae Paullo et Marcello consulibus fecerat, heres ex parte dimidia et tertia est Capito; in sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cuiusquam querela publica potest esse: ea est ad H-S xxx. Sed de hoc Caesar viderit. Te, mi Plance, pro paterna necessitu- 11 dine, pro nostro amore, pro studiis et omni cursu nostro totius vitae simillimo, rogo et a te ita peto, ut maiore cura, maiore studio nullam possim, ut hanc rem suscipias, meam putes esse, enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Caesaris beneficio, hereditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quae 12 potui in hac summa tua gratia ac potentia a te impetrare, si petissem, ultro te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adiumento spero, cuius ipse Caesar optimus esse iudex potest: semper Caesarem Capito coluit et dilexit. Sed ipse huius 13 rei testis est; novi hominis memoriam. Itaque nihil te doceo; tan-

[*an trib. m.* pro *aut.* ut Brut. 23, 69.]

§. 9. *A. Plautium*, qui Bithyniae praeerat, Caesaris partium fautor et adiutor. *Manut.*

§. 10. *ex parte dimidia et tertia.* Quum tota hereditas s. as dividatur in XII uncias; pars dimidia et tertia idem est ac semissis et trieus, h. e. dextans: nostri dicerent $\frac{10}{12}$ s. $\frac{5}{6}$ totius hereditatis. *Sextans* est $\frac{2}{12}$ s. $\frac{1}{6}$, sexta assis et hereditatis pars.

[*in sextante sunt*, sextantem accipiunt, heredes sunt ex sextante.]

publica potest esse, in publicum redigi, publicari, quia Antistius Pompeianus, Capito contra Caesarem potius dilexerat.

[§. 11. *viderit*, *Videro*, *videris* etc. minus recte pro *videbo* etc. positum vulgo accipitur. Videre, quum ad animum transfertur, proprie est perpendere, considerare. Itaque ubi dicere volunt Latini *de hac re deliberabo*, *quaeram*, dicunt *hoc videbo*, ut Fin. V, 21 extr. supra ep. 74, 8. infr. §. 13. At *videro* est quum rem consideravero, *decernam eam et diiudicabo*, in quo omittitur id, quod consequens est τῷ *videre*. Ep. 88, 25. *valde videro et consideratius utilitati nostrae consuluero*, i. e. ubi deliberavero, utilitatem praestabo. Hinc fit ut futur. exactum rem futuro tempore cito praetereuntem, ad certum temporis articulum restrictam, significet, quum in futuro primo vis rei continuatae insit. Vid. Exc. ad orat. VII.]

* *nullam* rem petere, quod ex iis, quae sequuntur, facile colligitur.

[§. 12. *potui — si petissem*, ut Verr. III, 49, 117. *multo pluris fructus annui Siciliae venire* potuerunt, *si id te senatus aut pop. Rom. facere* voluisset. Verr. III, 31, 73. Quint. 13, 43. *poterat si esset.*]

§. 13. * *memoriam*; cf. pro Li-

tum tibi sumito pro Capitone apud Caesarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam; 14 in eo quantum sit ponderis, tu videbis. Quam partem in re publica causamque defenderim, per quos homines ordinesque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Caesaris voluntate, (quod intellexerim scire ipsum Caesarem me invitissimum fecisse,) id fecisse aliorum consilio, hortatu, auctoritate; quod fuerim moderatior temperatiorque, quam in ea parte quisquam, id me fecisse maxime auctoritate Capitonis; cuius similes si reliquos necessarios habuissem, 15 rei publicae fortasse nonnihil, mihi certe plurimum profuissem. Hanc rem, mi Plance, si effeceris, meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris, ipsum Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adiunxeris.

EPISTOLA CII. (Ad Div. XIII. 10.)

Scr. Romae initio anni U. C. 707.

CICERO BRUTO S.

1 Quum ad te tuus quaestor, M. Varro, proficisceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. 2 Sed quum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas litteras maximum apud te pondus habituras, a meque contenderet, ut quam diligentissime scriberem, malui facere, quod meus famili- 3 aris tanti sua interesse arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas, quum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam se meam contulit; deinde, ut se corroboravit, duae causae accesserunt, quae meam in illum benevolentiam augerent: una, quod versabatur in hoc studio nostro, quo etiamnunc maxime delectamur, et cum ingenio, ut nosti, nec sine industria; deinde, quod mature se

gar. 12., ubi Cicero de Caesare dicit: *spero, etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi iniurias — recordari.* Locum laud. SCH.

§. 14. * *minus ex Caesaris voluntate* Cicero fecit, ut Romam in senatum non veniret, ut postea ad Pompeium abiret in Graeciam.

[Ep. CII. *Bruto*, pro praetore Galliam Cisalp. administranti.]

§. 1. *M. Varro*, diversus a M. Terentio Varrone eo, ad quem scripta est ep. XCIX., ut vidit Cortius et post eum Wieland. Is enim tunc in Italia vivebat, ac potissimum in Tusculano suo litteris operam dabat, homo paene septuagenarius.

* *in forum venit*, sumta virili toga, quae sumebatur ineunte aetatis anno XVII., in forum ibant, ut oratores audirent eosque discerent imitari. MAN.

[§. 3. *in hoc studio nostro*, eloquentiae.]

contulit in societates publicanorum, quod quidem nollem; maximis enim damnis affectus est. Sed tamen causa communis ordinis, mihi commendatissimi, fecit amicitiam nostram firmiorem. Deinde versatus 4 in utrisque subselliis optima et fide et fama, iam ante, hanc commutationem rei publicae petitioni sese dedit, honoremque honestissimum existimavit fructum laboris sui. His autem temporibus a me Brundisio 5 cum litteris et mandatis profectus ad Caesarem est; qua in re et amorem eius in suscipiendo negotio perspexi, et in conficiendo ac renuntiando fidem. Videor mihi, quum separatim de probitate eius 6 et moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse. Sed tamen separatim promitto in meque recipio, fore eum tibi et voluptati et usui. Nam et modestum hominem cognosces et pudentem et a cupiditate omni remotissimum, praeterea magni laboris summaeque industriae. Neque ego haec polliceri debeo, 7 quae tibi ipsi, quum bene cognoris, iudicanda sunt; sed tamen in omnibus novis coniunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiae fores aperiantur. Quod ego his litteris efficere volui; etsi id ipsa per se necessitudo quaesturae effecisse debet. Sed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, 8 si me tanti facis, quanti et Varro existimat et ipse sentio, ut quam primum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum et ipse sperarit nec ego dubitarim.

EPISTOLA CIII. (Ad Div. V. 21.)

Scr. Romae initio anni U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. L. MESCINIO.

Gratae mihi tuae litterae fuerunt, ex quibus intellexi, quod 1 etiam sine litteris arbitrabar, te summa cupiditate affectum esse videndi mei. Quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam: nam tecum esse, ita mihi omnino omnia, quae opto, contingant, ut vehementer velim! Etenim quum esset maior et virorum 2 et civium bonorum et iucundorum hominum et amantium mei copia, tamen erat nemo, quicum essem libentius, quam tecum, et pauci,

* *ordinis mihi commendatissimi*, cf. ad ep. X, 17.

§. 4. *in utrisque subselliis* et patronus et iudex.

* *Fides* est patroni, *fama* iudicis integri et iusti. Ern. — *petitioni*, honorum.

§. 5. *ac renuntiando* mihi exspectanti nuntium de eo negotio confecto mittendo.

[Ep. CIII. *Mescinio*. vid. ad ep. 93.] * Mescinius, Ciceronis auctoritatem secutus, ad Pompeium se contulerat.

[§. 1. *ita mihi omnia — contingant*. Vid. ad Catil. IV, 6, 11. Cf. 175, 1.]

3 quibuscum essem aeque libenter. Hoc vero tempore, quum alii interierint, alii absint, alii mutati voluntate sint, unum, medius fidius, tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum vivo necessario. Noli enim existimare, mihi non solitudinem iucundiorem esse, qua tamen ipsa uti non licet, quam sermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno
4 aut summum altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, litterulis nostris, praeterea conscientia etiam consiliorum meorum. Ego enim is sum, quemadmodum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam mea potius, quam meorum civium, causa fecerim; cui nisi invidisset is, quem tu nunquam amasti, (me enim amabas) et ipse beatus esset et omnes boni. Ego sum, qui nullius vim plus valere volui, quam honestum otium; idemque, quum illa ipsa arma, quae semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram, quavis tuta condicione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.
5 Sed et haec et multa alia coram brevi tempore licebit. Neque me tamen ulla res alia Romae tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum: videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. Puto autem mea nonnihil interesse; quamquam id ipsum, quid intersit, non sane intelligo: verumtamen, quidquid illinc nuntiatum sit, non longe abesse a consiliis amicorum. Est enim res iam in eum locum de-
6 ducta, ut, quamquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem. Sed plane animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum; quem etiam tuae superiores litterae confirmarunt, quibus intellexi, quam fortiter iniuriam ferres, iuvitque me, tibi quum summam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuisse. Verum enim scribam: teneriore mihi animo videbare, sicut omnes
7 fere, qui vita ingenua in beata civitate et libera viximus. Sed, ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc non solum adversam, sed funditus eversam fortunam fortiter ferre debemus; ut hoc saltem in

[§. 3. *posuerim*, transegerim, ut Brut. 22, 87. *diem in considerandā causa ponere.* ad Att. XI, 22. *ut multos dies in oppidum ponat*, i. e. ut in op. aliquod perveniat. Sic saepe *tempus in al. re ponere.*]

[§. 4. *nisi invidisset is*, Pompeius. Invidit autem Ciceroni, quum eius consilio uti noluit, ne hanc ob causam auctoritate plus valeret Cic.] * cf. ep. VII, 10. *Tuus autem ille amicus* (Pompeius) — *occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet.*

* *honestum otium*, pacem, ut ex iis quae sequuntur apparet.

§. 5. * *rerum Africanarum*; Caesar tunc in Africa erat, ut cum reliquiis Pompeianorum, qui Scipione duce cum Juba rege se coniunxerant, bellum gereret.

§. 6. *iniuriam*, quod urbe immerito carebat, quia initio belli civilis Pompeium secutus erat.

* *tuas litteras*, doctrinam, philosophiae potissimum studia, quae docent, nihil extimescendum praeter culpam; cf. ep. CXV, 22.

maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio, tibique persuade, praeter culpam ac peccatum, qua semper caruisti et carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam brevi; si quid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiorem faciam statim. Tu ita fac cupidus mei videndi sis, ut istinc te ne moveas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quaesieris per litteras, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuae et tranquillitati animi servias. 8 9

EPISTOLA CIV. (Ad Div. IX. 6.)

Scr. Romae mense Iunio A. U. C. 707.

CICERO VARRONI.

Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere. Est igitur adventus [Caesaris scilicet] in exspectatione, neque tu id ignoras; sed tamen, quum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense venturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret; multos ei molestos fore, ipsumque multis; Ostiae videri commodius eum exire posse. Id ego non intelligebam, quid interesset. Sed tamen Hirtius mihi dixit, et se ad eum et Balbum et Oppium scripsisse, ut ita faceret, homines, ut cognovi, amantes tui. Hoc ego idcirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares, vel potius ut utrobique: quid enim ille facturus sit, incertum est: et simul ostentavi tibi, me istis esse familiarem et consiliis eorum interesse. Quod ego cur nolim, nihil 1 2 3 4

§. 8. * *qua* refertur ad *culpam*, in quo vocabulo maior vis inest quam in addito *ac peccatum*. Süpfle similem locum affert ad Div. X, 24. *amor tuus et iudicium de me utrum mihi plus dignitatis an voluptatis sit allaturus, non facile dixerim.* Cf. etiam pr. Cluentio 53, 146. *mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus.*

§. 1. * *Caninius*, cf. ep. XXXVI, 6. — *adventus Caesaris*, ex Africa redeuntis, postquam Pompeianos ad Thapsum devicit.

[*scilicet*, scito, scias liceat. Vid. Gronov. obs. III, 9.]

* *Alsiense* praedium ad Alsium situm, oppidum Etruriae in littore maris Superi, quod non longe abest ab Arni fl. capite. — *multos*, qui Caesaris salutandi caussa eo venissent.

[*exire*, e navi.]

§. 3. * *hospitium tibi parares*, nam Varro Caesarem adire voluit, ut veniam Romam redeundi ab eo impetraret. — *ostentavi*; iocatur Cicero, tamquam gloriari voluerit Caesarianorum familiaritate; sed cf. ep. CIII, 3.

videō: non enim est idem ferre, si quid ferendum est, et probare, si quid non probandum est. Etsi quid non probem, equidem iam nescio praeter initia rerum: nam haec in voluntate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum, hunc autem non tam cupere, quam non timere; (ergo haec consilii fuerunt, reliqua neces-
5 saria) vincere autem aut hos aut illos necesse esse. Scio te semper mecum in luctu fuisse, quum videremus, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus et ducum interitu: tum vero extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam; quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis mina-
6 bantur, eratque iis et tua invisa voluntas et mea oratio. Nunc vero, si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent; erant enim nobis perirati, quasi quidquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus; aut quasi utilius rei publicae fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quam vel emori, vel cum
7 spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata re publica vivimus. Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitae casus paraverunt. Huc enim ut venirem, superior longius, quam volui, fluxit oratio. Quum enim te semper magnum hominem duxi, tum quod his tempestatibus es prope solus in portu, fructusque doctrinae percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres eaque tractes, quorum et usus et delectatio est omnibus
8 istorum et actis et voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tuscu-

[§. 4. *quid enim iam scio, pr. init. rer.* ut de exitu totius belli, de Caes. consiliis et rationibus iudicare non possim. *Nam haec*, initia rerum, *in voluntate fuerunt*, i. q. paulo post *consilii fuerunt*, quum e Caesaris voluntate et consilio penderent, *reliqua necessaria*, ipso rerum eventu, temporibus, fortuna effecta. Cf. ep. 107, 5.] * Recepimus Lambini emendationem, probante Orell.; Matth. not. refertur ad ea quae in prioribus edit. ex Ernest. coniect. legebantur. *Etsi quid non probem? quid enim iam scio* cet.

nam tu aberas, in Hispania legatus cum Petreio et Afranio.

* *hunc autem*, Caesarem; pacis enim condiciones proponebat.

[§. 5. *extr. mal. omn.* Cf. ep. 113, 6 sq.]

[*otiosis minab.* Caesar. b. civ. I, 33. *Pomp. discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent.*]

* *voluntas*, a bello civili abhorrentis, *oratio* pacem usque suadentis.

§. 6. * *Nunc vero*, post Pharsalicam pugnam Ciceronisque et Varronis reditum.

* *non idem illis censuissemus*; iungendum *illis* cum *censuissemus*, ut ad Div. IX, 2; 4. *tibi igitur hoc censeo.*

ad bestiarum, elephantorum regis Iubae, de b. Afric. c. 72.

[*aliqua tamen*, restituendae reip.]

§. 7. * *fructusque doctrinae percipis*, cf. ep. XCIX, 1.

et actis et vol. Actae sunt amoena littora, praedia maritima. Vid. Graev. ad h. l. et ad Verr. V, 25, 31. *Acta*, res gestae, unde *actis* repetit Schütz. non satis congruunt cum *voluptatibus*. *Usus et delectatio* iunguntur etiam ep. 108, 9. * Imo melius congruunt *acta* cum *usu*, *voluptates* cum *delectatione*. Esse quandam in his partitionem, vel duplex *et — et* ostendit.

lanenses dies instar esse vitae puto, libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, isto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut possumus, et in nostris studiis liben- 9
tissime conquiescimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut, quum opera nostra patria sive non possit uti sive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines, fortasse non recte, sed tamen multi etiam rei publicae praeponendam putaverunt? Quae igitur studia 10
magnorum hominum sententia vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente re publica cur non abutamur? Sed plus facio, 11
quam Caninius mandavit. Is enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires; ego tibi ea narro, quae tu melius scis, quam ipse, qui narro. Faciam ergo illud, quod rogatus sum; ut eorum, quae temporis huius sint, quae tua interesse audiero, ne quid ignores.

EPISTOLA CV. (Ad Div. IX. 16.)

Scr. in Tusculano mense Quintili A. U. C. 707.

CICERO PAPIRIO PAETO S.

Delectarunt me tuae litterae, in quibus primum amavi amorem 1
tuum, qui te ad scribendum incitavit verentem, ne Silius suo nuntio aliquid mihi sollicitudinis attulisset; de quo et tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo, facile ut intelligerem, te esse commotum, et ego tibi accurate rescripseram, ut quoquo modo in tali re atque tempore aut liberarem te ista cura, aut certe levarem. Sed quoniam proximis quoque litteris ostendis, quantae tibi curae 2
sit ea res, sic, mi Paete, habeto: quidquid arte fieri poterit, (non enim iam satis est consilio pugnare; artificium quoddam excogitandum est,) sed tamen quidquid elaborari aut effici potuerit ad istorum benevolentiam conciliandum et colligendum, summo studio me consecutum esse, nec frustra, ut arbitror; sic enim color, sic observor ab omnibus iis, qui a Caesare diliguntur, ut ab iis me amari putem. Nam etsi non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod 3

§. 8. * *instar vitae*, vitam vere vitalem.

§. 10. * *abutamur*, ad satietatem utamur; nam *abuti* non solum idem est, quod *male uti*; cf. ad Div. X, 15, 1. *cum Lepido egi, ut — obsequio — meo, si ita faceret, ad omnes res abuteretur.*

§. 11. * *quae temp. h. sint, quae tua int. aud.*, cf. ep. LXVI, 7.

[§. 1. *amavi*, cum voluptate agnovi, ut explicat Cortius. Terent. Eunuch. III, 2. 3. *Ecquid nos amas de fidicina ista?*] * ad Att. VII, 2. *Alexidis manum amabam.*

Silius propraetor Bithyniae a. u. 702. Is fortasse Ciceroni nuntiaverat, Caesarem eius iocis salibusque esse offensum. * cf. ep. LIX.

exemplo. vid. Mencken observ. l. lat. p. 340. * cf. ep. CLXXI, 1.

§. 2. * *habeto*, cf. ad ep. XLI, 57.

[*consecutum*, secutum, consectatum, consequi voluisse, ut ep. 139. extr.]

incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, — cetera sunt signa communia; — sed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo vereque arbitrer diligi, quia et nostra fortuna ea est et illorum, ut simulandi causa non sit. De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam; nisi quod omnia sunt incerta, quum a iure discessum est; nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen eius ipsius nulla re a me offensus est animus. 5 Est enim adhibita in ea re ipsa summa a nobis moderatio. Ut enim olim arbitrabar esse meum libere loqui, cuius opera esset in civitate libertas, sic, ea nunc amissa, nihil loqui, quod offendat aut illius 6 aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem si velim nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, fama ingenii mihi esset abiicienda; quod si possem, non recusarem. Sed tamen ipse Caesar habet peracre iudicium; et, ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret: „hic versus Plauti non est, hic est", quod tritas aures haberet notandis generibus poëtarum et consuetudine legendi, sic audio Caesarem, quum volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere solere; quod eo nunc magis 7 facit, quia vivunt mecum fere quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quae fortasse illis, quum dixi, nec illiterata nec insulsa esse videantur. Haec ad illum cum reliquis actis perferuntur; ita enim ipse mandavit. Sic fit, ut, si quid praeterea 8 de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem Oenomao tuo nihil utor; etsi posuisti loco versus Accianos. Sed quae est invidia? aut quid mihi nunc invideri potest? Verum fac esse omnia. Sic video

[§. 3. *quasi aurum igni.* Ovid. Trist. I, 5, 25. *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est inspicienda fides,* et iam prius Menander ap. auct. comp. Menandr. et Phil. p. 359. *Χρυσὸν μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί, ἡ δ' ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.* Isocr. ad Demonic. p. 7. B. ed. H. Steph. *τὸ μὲν χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγιγνώσκομεν.*]

* *arbitrer diligi* dicit neglecto inter verba *amandi* et *diligendi* discrimine, quod paullo ante servavit.

§. 4. * *praestari*, cf. ep. XLIV, 4. ep. CXXVI, 11. infr. §. 8. 9.

[*sed tamen.* vid. ad Catil. III, §. 3. ut *sed* pro *tamen* §. 5. Pendet hic usus ex eo, quod sententia ex interiecta sententia nectitur.]

§. 6. *Servius* Claudius, Paeti frater consobrinus, mortuus Metello et Afranio coss.

[*generibus* scribendi. Nos diceremus *Character, Geist.*]

ἀποφθεγμάτων, dicta collectanea appellat Suet. Caes. 56. * Publicari ea vetuit Augustus.

§. 8. *Oenomao,* Accii poetae tragoedia. Versus vero illi, vitandam esse invidiam, *animo firmo et gravi, tamquam fluctum a saxo, frangendam* (§. 10.), monebant.

* *loco*, quo poni debebant; ad Div. XI, 16. *epistolae offenduut, non loco redditae.*

philosophis placuisse iis, qui mihi soli videntur vim virtutis tenere, nihil esse sapientis praestare, nisi culpam; qua mihi videor dupliciter carere, et quod ea senserim, quae rectissima fuerunt, et quod, quum viderem praesidii non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni civis certe non sum reprehendendus. Reliquum est, ne quid stulte, ne quid temere 9
dicam aut faciam contra potentes; id quoque puto esse sapientis. Cetera vero, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum vivant ii, qui me assidue colunt et observant, praestare non possum. Ita fit, ut et consiliorum superiorum 10
conscientia et praesentis temporis moderatione me consoler, et illam Accii similitudinem non iam ad invidiam, sed ad fortunam transferam, quam existimo levem et imbecillam ab animo firmo et gravi, tamquam fluctum a saxo, frangi oportere. Etenim quum plena sint monumenta 11
Graecorum, quemadmodum sapientissimi viri regna tulerint vel Athenis vel Syracusis; quum, servientibus suis civitatibus, fuerint ipsi quodammodo liberi, ego me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque offendam animum cuiusquam, nec frangam dignitatem meam?

Nunc venio ad iocationes tuas, quoniam tu secundum Oenomaum 12
Accii non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti. Quem tu mihi pompilum, quem denarium narras? quam tyrotarichi patinam? facilitate mea ista ferebantur antea, nunc mutata res est. Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros. Puto enim te audisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos coenitare. Tu autem, quod 13
mihi bonam copiam eiures, nihil est; tum enim, quum rem habebas, quaesticulus te faciebat attentiorem; nunc, quum tam aequo animo

* *philosophis iis*, Stoicis, *qui m. s. vid. vim virtutis tenere*, i. e. intelligere, quae sit vera virtus.

* *ad ea*, quae rectissima esse intellexeram.

§. 9. * *qui me assidue colunt et observant*, Caesaris familiares, cf. §. 2.

§. 11. * *monumenta Graecorum*, cf. ep. XXXV, 2. *genus scriptorum tuorum — ita me cepit, — ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis.*

§. 12. *secundum Oenomaum.* Papirius in epistola sua post eos versus, quos ex Attii Oenomao recitaverat, cum Cicerone iocatus fuerat, non modice, ut olim in Atellanis fabulis fiebat, sed liberius, ut in mimis. *Man.*

* *ut olim solebat* fieri. Mos olim obtinuisse videtur, ut Romae quoque, velut Athenis drama satyricum, post tragoedias Atellanae introducerentur.

pompilus, genus thynnorum ap. Plin. H. N. IX, 20. *thynnarium*, edulium ex thynnis. Fingit pimirum, se istos pisces ut viliores fastidire et lautiores appetere. *Schütz.*

* *denarium*, quo pompilum emturus sis. *Thynnarium*, quod ex Rutilii coniect. recepit Matth., nullo alio loco legitur.

§. 13. *bonam copiam eiurare*, proprie est iurare, se creditoribus satisfacere non posse; h. l. nihil est, quod iures, te non habere, unde sumptum facias.

bona perdas, non eo sis consilio, ut, quum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere; etiam haec levior est plaga
14 ab amico, quam a debitore. Nec tamen eas coenas quaero, ut magnae reliquiae fiant; quod erit, magnificum sit et lautum. Memini te mihi Phameae coenam narrare: temperius fiat, cetera eodem modo. Quodsi perseveras me ad matris tuae coenam revocare, feram id quoque. Volo enim videre animum, qui mihi audeat ista, quae scribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Iovis similem. Mihi crede, non audebis. Ante meum adventum fama ad te de mea nova lautitia
15 veniet; eam extimesces. Neque est, quod in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli. Solebam enim antea debilitari oleis et lucanicis tuis. Sed quid haec loquimur? liceat modo isto venire. Tu vero (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. Ego tibi unum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit; cetera more nostro; superiora illa lusimus. De villa Seliciana et curasti diligenter et scripsisti facetissime. Itaque puto me praetermissurum. Salis enim satis est, sannionum parum. Vale.

aestimationem. Caesar B. C. III, 1. *cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur, constituit, ut arbitri darentur; per eos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur.* Ita quarta fere pars debiti peribat. Suet. Caes. 42. Hinc aestimatio pro iactura.

[§. 14. *magnificum*, genere, ut pavonibus al. *lautum* arte coqui et apparatus elegantia. *Manut.*]

[*Phamea*, Sardus, avus Tigellii tibicinis, (vid. ad Fam. VII, 24. coll. ad Att. XIII, 49.) noti ex Horatio, homo locuples.]

* *temperius*, minus sero.

ad matris tuae coenam, parcam et frugalem.

Miniani Iov. sim. rubentem non sua sponte, (nam polypus ruber non est,) sed iure tinctum. Iovis simulacri faciem in Capitolio illini minio solitam, ait Plinius XXXIII, 7. XXXV, 12. inde *miniano* cognomen. *Manut.*

[§. 15. *debilitari*, nempe istis cibis in promulside sumendis frangebat famem, ut in ipsa coena stomachus languidior esset, ut IX, 20. *quem solitus es promulside conficere. Ern.*]

isto. Neapolim.

* *abstergere*, cf. de Sen. 1, 2. *mihi quidem ita iucunda huius libri confectio, ut — omnes absterserit senectutis molestias.*

* *tyrotarichum antiquum*, cf. §. 12.

[*curasti dilig.* accurate eam inspiciendo, ut eam penitus nosses. *Praetermissurum*, non empturum.]

Salis enim, satis materiae est salibus et dictis facetis in Caesarianos, sed parum derisorum, quod propter potentiam illorum et violentiam nemo libere iocari audet. *Gronov.* cui Cic. etiam ad nomen villae alludere videtur. * Salinas fuisse in villa Seliciana, veri est simile.

EPISTOLA CVI. (Ad Div. VII. 3.)

Scr. Romae mense Quintili A. U. C. 707.

M. CICERO M. MARIO S. D.

Persaepe mihi cogitanti de communibus miseriis, in quibus tot 1
annos versamur et, ut video, versabimur, solet in mentem venire illius temporis, quo proxime fuimus una; quin etiam ipsum diem memoria teneo. Nam a. d. III. Idus Maias, Lentulo et Marcello consulibus, quum in Pompeianum vesperi venissem, tu mihi sollicito animo praesto fuisti. Sollicitum autem te habebat cogitatio quum 2
officii, tum etiam periculi mei. Si manerem in Italia, verebare, ne officio deessem; si proficiscerer ad bellum, periculum te meum com- 3
movebat. Quo tempore vidisti profecto me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu. Pudori tamen malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere. Cuius me 4
mei facti poenituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram. Primum neque magnas 5
copias neque bellicosas; deinde, extra ducem paucosque praeterea, (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem, maximum autem aes alienum amplissimorum virorum. Quid quaeris? Nihil boni, praeter causam. Quae quum vidissem, desperans victoriam, primum 6
coepi suadere pacem, cuius fueram semper auctor; deinde, quum ab ea sententia Pompeius valde abhorreret, suadere institui, ut bellum duceret. Hoc interdum probabat, et in ea sententia videbatur fore, et fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna coepisset suis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator 7
fuit. Signa tirone et collecticio exercitu cum legionibus robustissimis contulit; victus turpissime, amissis etiam castris, solus fugit. Hunc 8

* Ep. CVI. *M. Mario*, de quo cf. ep. XXXVII.

§. 1. * *proxime* dicit de postremo habito sermone. *Man.*

§. 3. * *ut non explicarem*, cf. ep. LXXXII, 14.

[*Pudori*. Cf. ep. 115, 10. 11.]

[§. 5. *neque bellicosas*. Vid. §. 7. De copiis Pompeii vid. Caes. b. civ. III, 4.]

[*rapaces*, maxime P. Scipio, Pompeii socer, Syriae proc. de cuius infinita rapacitate vid. Caes. b. c. III, 31 sqq. *Manut.*]

[*crudeles*. vid. ep. 104, 5. 124, 4.]

[*aes alienum*, vid. ep. 115, 9. *virorum clar.* imprimis Lentuli cos. (Caes. b. civ. I, 4.) Scipionis, Fausti, Libonis, *quorum creditores convenire dicuntur* ad Att. IX, 11.]

* *ut bellum duceret*, cf. Caes. b. G. I, 38. *idque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem.* Cic. de off. III, 30.

[§. 6. *quadam pugna*, ad Dyrrhachium facta, ex qua Pomp. imperator est appellatus. Caes. b. c. III, 71.]

[§. 7. *nullus imperator*, dux ἀστρατήγητος ad Att. VII, 13. ἀστρατηγικώτατος VIII, 16.]

ego mihi belli finem feci, nec putavi, quum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad lubam confugiendum, aut capiendus tamquam exsilio locus, aut consciscenda mors voluntaria. Certe nihil fuit praeterea, si te victori nolles aut non auderes committere.
9 Ex omnibus autem iis, quae dixi, incommodis, nihil tolerabilius exsilio, praesertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudo; addo etiam, quum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod videre possis
10 sine dolore. Ego cum meis, (si quidquam nunc cuiusquam est) etiam in meis esse malui. Quae acciderunt, omnia dixi futura. Veni domum, non quo optima vivendi condicio esset, sed tamen, si esset aliqua forma rei publicae, tamquam in patria ut essem, si nulla,
11 tamquam in exsilio. Mortem mihi cur consciscerem, causa nulla visa est; cur optarem, multae causae. Vetus est enim, *ubi non sis,*
12 *qui fueris, non esse cur velis vivere.* Sed tamen vacare culpa, magnum est solatium, praesertim quum habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam et maximarum rerum gloriam; quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo
13 quidem. Haec ad te scripsi verbosius, et tibi molestus fui, quod te quum mei tum rei publicae cognovi amantissimum. Notum tibi omne meum consilium esse volui, ut primum scires, me nunquam voluisse plus quemquam posse, quam universam rem publicam, postea autem quam alicuius culpa tantum valeret unus, ut obsisti non posset, me voluisse pacem; amisso exercitu et eo duce, in quo spes fuerat uno, me voluisse etiam reliquis omnibus; postquam non potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli; nunc autem, si haec civitas est, civem esse me; si non, exsulem esse non incommodiore loco, quam
14 si Rhodum me aut Mitylenas contulissem. Haec tecum coram malueram, sed quia longius fiebat, volui per litteras eadem, ut haberes quid diceres, si quando in vituperatores meos incidisses. Sunt enim, qui, quum meus interitus nihil fuerit rei publicae profuturus, crimi-
15 nis loco putent esse, quod vivam. Quibus ego certo scio non videri

[§. 8. *in acie cad.* ut L. Domitio (in pugna Pharsalica. Caes. b. civ. III, 99.) *in al. insid. inc.* ut Pompeio. *deven. in vict. m.* ut Cassio (vid. ad ep. 97, 5.) *ad Iubam conf.* ut Scipioni. *cap. tanquam exs. loc.* ut Marcello. *consc. mors vol.* ut Catoni. *Corrad.*]

§. 10. * *cum meis,* uxore, liberis, fratre cet., *in meis,* praediis, possessionibus.

[*tamquam in exsilio.* Cf. ep. 112, 3.]

§. 13. * *alicuius culpa,* Pompeii; cf. ep. LXXXII, 4.

* *etiam reliquis omnibus* belli facere finem. — *si haec civitas est,* cf. §. 10.

* *quam si Rhodum me aut Mitylenas contulissem,* cf. ep. CX, 8. *cogitandum tibi tamen esset, Romaene et domi tuae, cuicuimodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles vivere.*

§. 14. * *ut haberes, quid diceres,* ut scires, quid tibi dicendum esset.

satis multos perisse; qui si me audissent, quamvis iniqua pace, honeste tamen viverent; armis enim inferiores, non causa fuissent. Habes epistolam verbosiorem fortasse, quam velles. Quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si, quae volo, expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo. 16

EPISTOLA CVII. (Ad Div. IX. 17.)

Scr. Romae mense Sextili A. U. C. 707.

M. T. CICERO L. PAPIRIO PAETO S.

Non tu homo ridiculus es, qui, quum Balbus noster apud te fuerit, ex me quaeras, quid de istis municipiis et agris futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat, aut si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. Immo vero, si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit: habuisti enim in tua potestate, ex quo vel ex sobrio vel certe ex ebrio scire posses. Sed ego ista, mi Paete, non quaero: primum quia de lucro propе iam quadriennium vivimus, si aut hoc lucrum est, aut haec vita, superstitem rei publicae vivere; deinde, quod scire quoque mihi videor, quid futurum sit. Fiet enim, quodcunque volent, qui valebunt; valebunt autem semper arma. Satis igitur nobis esse debet, quidquid conceditur; hoc si qui pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur; hoc non longe abest a Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor, dum licet; opto, ut semper liceat. Si id minus contigerit, tamen, quoniam ego vir fortis idemque philosophus vivere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum. Qui si cupiat esse rem publicam, qualem fortasse et ille vult et omnes optare debemus, quid faciat tamen, non habet; ita se cum multis colligavit. Sed longius progredior; scribo enim ad te. Hoc tamen scito, non modo me, 1 2 3 4 5

* Ep. CVII. *Papirio Paeto*, cf. ep. CV.

§. 1. * *Balbus noster*, cf. ep. CIV, 2. — *quid — futurum putem*, putemne eos quoque Campaniae agros, in quibus tu versaris et praedia possides, militibus Caesaris divisum iri.

[§. 2. *de lucro — vivere* est vitam ipsam in lucro ponere, quod ii facere solent, qui summo e periculo evaserunt. *Sigon.* ad Liv. 40, 8.] * Hor. Carm. I, 9, 13. *Quem fors dierum cunque dabit, lucro adpone.*

§. 3. * *metiuntur* agrimensores, ut militibus Caesarianis dividatur.

§. 4. * *ego vir fortis idemque philosophus*; quum viri fortes ex animi quadam praestantia, philosophi ex doctrina patriam, honestatem, libertatem vitae praeponant, ego tamen, qui utramque profiteor, vivere pulcherrimum duxi. *Man.*

* *esse rem publicam*, quae nunc non est, cf. §. 2. — *ita se cum multis colligavit*, cf. ep. CXIII, 6.

§. 5. * *ad te*, qui haec omnia melius scis me ipse.

qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit. Nos enim illi servimus; ipse temporibus: ita nec ille, quid tempora postulatura sint, nec nos, quid ille cogitet, scire
6 possumus. Haec tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse solerem, praesertim in litteris, sed quum explorati nihil haberem, nec tibi sollicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adscribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. Tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecunque erunt.

EPISTOLA CVIII. (Ad Div. IV. 3.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 707.

M. T. CICERO SER. SULPICIO S. D.

1 Vehementer te esse sollicitum et in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quamquam minime miror et meum quodammodo agnosco, doleo tamen te sapientia praeditum prope singulari non tuis bonis delectari potius,
2 quam alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie et ex peste rei publicae molestiam traxerit, tamen multa iam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. Multo enim ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram, neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis mo-
3 nente et denuntiante te. Etsi enim afui magnam partem consulatus tui, tamen et absens cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello cavendo et praedicendo sententia, et ipse affui primis temporibus tui consulatus, quum accuratissime monuisti senatum, collectis omnibus bellis civilibus, ut et illa timerent, quae meminissent, et scirent, quum superiores, nullo tali exemplo antea in re publica

* Ep. CVIII. *Ser. Sulpicio*, cf. ep. XC., XCI.

[§. 1. *Communi* opponitur *proprium* et *praecipuum*, quod, qui nunc latine scribunt, *peculiare* dicunt. ad Fam. IV, 15. *Quare non debes aut propriam fortunam et praecipuam postulare aut communem recusare.* Cf. de prov. cons. 1, 2. ad Fam. VI, 5. *haec ornamenta sunt tibi etiam cum aliis* communia; *accedunt tua* praecipua. Cf. ep. 117, 6. 126, 4. 143, 2. Hinc *proprius* iungitur cum *meus, tuus, suus* v. c. ad Fam, II, 17. pro Sext. 7, 15.]

§. 2. * *nemini concedo*, cf. infr. §. 12.

[*Multo enim ante.* ad Att. X, 4. *Praeclara conscientia sustentor, quum cogito me de rep. aut meruisse optime, quum potuerim, aut certe nunquam, nisi divine, cogitasse, eaque ipsa tempestate eversam esse remp. quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.*]

§. 3. * *afui*, proconsul Ciliciam administrans.

[*omnibus bellis civil.* quinque. vid. Catil. III, 10, 24. Tria numerat Phil. VIII, 2.]

cognito, tam crudeles fuissent, quicunque postea rem publicam oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. Nam, quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant; sed aliquid, atque adeo multa addunt et afferunt de suo. Quare meminisse debes, eos, qui auctoritatem 4
et consilium tuum non sint secuti, sua stultitia occidisse, quum tua prudentia salvi esse potuissent. Dices: „Quid me ista res consolatur 5
in tantis tenebris et quasi parietinis rei publicae?“ Est omnino vix consolabilis dolor; tanta est omnium rerum amissio et desperatio recuperandi; sed tamen et Caesar ipse ita de te iudicat et omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, exstinctis ceteris, elucere sanctitatem et prudentiam et dignitatem tuam. Haec tibi ad levandas molestias magna esse debent. Quod autem a tuis abes, id eo levius 6
ferendum est, quod eodem tempore a multis et magnis molestiis abes; quas ad te omnes perscriberem, nisi vererer, ne ea cognoscere absens; quae quia non vides, mihi videris meliore esse condicione, quam nos, qui videmus. Hactenus existimo nostram consolationem 7
recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiae tuae. Reliqua sunt in te 8
ipso, neque mihi ignota nec minima solatia, ut quidem ego sentio, multo maxima: quae ego experiens quotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre videantur. Te autem ab initio aetatis memoria teneo 9
summe omnium doctrinarum studiosum fuisse omniaque, quae a sapientissimis ad bene vivendum tradita essent, summo studio curaque didicisse. Quae quidem vel optimis rebus et usui et delectationi esse possent; his vero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter, neque te, tali vel scientia vel natura 10
praeditum, hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus a primis temporibus aetatis studium tuum dedisti. Tantum dicam, quod te spero approbaturum, me, posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia neque in foro viderim, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse. Tuae scientiae excellenti ac sin- 11

[*atque adeo.* vid. ad or. pro S. Rosc. §. 29.]

[*addunt et aff.* Cortius laudat Vellei. II, 3. *Non enim ibi consistunt exempla, ubi coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt, et, ubi semel recto deviatum est, in praeceps pervenitur, nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.*]

[§. 4. *consilium tuum,* ne Caesari ante concessum lege Trebonia tempus succederetur, et ut absenti consulatum petere liceret. *Manut.* Dio Cass. 40, 59. Suet. Iul. 29. Liv. epit. l. 108.]

§. 6. * *quae quia non vides* oct. Similes sententiae ep. XLIV, 5. CXXVI, 2., plane contrariae ep. CXIII, 2.

[§. 8. *salutem.* Cf. ep. 124, 15.]

§. 9. * *et usui et delectationi,* cf. ep. CIV, 7.

§. 10. * *neque in curia neque in foro,* cf. de off. III, 1, 2. *exstincto enim senatu, deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus?*

gulari non multo plus, quam nostrae, relictum est loci. Quare non equidem te moneo; sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem versari rebus, quae, etiam si minus prodessent, animum tamen a solli-
12 citudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat; a me vero sic diligitur, ut tibi uni concedam, praeterea nemini; mihique ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, quod facile appareat, quum me colat et observet, tibi quoque in eo se facere gratissimum.

EPISTOLA CIX. (Ad Div. IV. 13.)

Scr. Romae mense circiter Octobri A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. P. NIGIDIO FIGULO.

1 Quaerenti mihi iamdiu, quid ad te potissimum scriberem, non modo certa res nulla, sed ne genus quidem litterarum usitatum veniebat in mentem. Unam enim partem et consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat, perfeceratque fortuna, ne quid tale scribere possem aut omnino cogitare.
2 Relinquebatur triste quoddam et miserum et his temporibus consentaneum genus litterarum; id quoque deficiebat me; in quo debebat esse aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui. Quid pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abiectus aliorum opibus casus sustentabam meos, saepiusque mihi veniebat in mentem queri,
3 quod ita viverem, quam gaudere, quod viverem. Quamquam enim nulla me ipsum privatim pepulit insignis iniuria, nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut ipsum, quod

[§. 11. te — versari nim. debere, ut Or. I. 55. 236.]

§. 12. * *Servius quidem tuus*, cf. ep. XCI. 2.

[Post in quo, perspicuitatis causa additum in ea. Cf. de annotat. in Wolfii annal. II. p. 16 sqq.]

[Ep. CIX. *Nigidio Fig.* vid. Grundriss d. Gesch. d. griech. u. röm. Litt. p. 146.] * Cic. de univ. 1. *Fuit — vir ille (Nigidius) quem veteris artibus, quae quidem dignae libero essent, eruditus omnibus: tum acer investigator et diligens earum rerum, quae e natura involutae videntur* etc.

[§. 1. non modo c. r. nulla. Vid. ad or. pro Mur. §. 8.]

[unam enim partem, genus familiare et iocosum. vid. ep. 83. 3. Manut. Partem pro genere saepe dicit Cic. ut Or. I. 6. ad Fam. V, 34 etc.]

[§. 3. ipsum pro in eo ipso. Sed neutra praeeminuum, etiam adiectivorum. saepe quarto casu adiunguntur verbis, quae, quum substantivorum additum est, praepositionem postulant, ut nihil, nisi de eodem cognitum. infra ep. 171. S. quidquid subnotaveris, in quemcunque re subr. Sed genuine est etiam male facere. ut Fam. I. 2. in patriis ritu vocandis multis peccatur.]

maneam in vita, peccare me existimem. Careo enim quum familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis aut distraxit fuga, tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa res publica, versorque in eorum naufragiis et bonorum direptionibus, nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam id ipse video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium exstinximus, et, in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc his quidem omnibus caremus. Obtinemus ipsius Caesaris sum- 4
mam erga nos humanitatem; sed ea plus non potest, quam vis et mutatio omnium rerum atque temporum. Itaque orbus iis rebus 5
omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo assuefecerat, quum ceteris, ut quidem videor, tum mihi ipse displiceo. Natus enim ad agendum semper aliquid dignum viro, nunc non modo agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem; et, qui antea aut obscuris hominibus aut etiam sontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo et maxima quondam gratia et mihi certe amicissimo, ne benigne quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est litterarum genus. Reliquum est, ut consoler 6
et afferam rationes, quibus te a molestiis coner abducere. At ea quidem facultas vel tui vel alterius consolandi in te summa est, si unquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quae ab exquisita quadam ratione et doctrina proficiscitur, non attingam; tibi totam relinquam. Quid sit forti et sapienti homine dignum, quid gravitas, quid alti- 7
tudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus a pueritia floruisti, a te flagitent, tu videbis. Ego, quod intelligere 8
et sentire, quia sum Romae et quia caro attendoque, possum, id tibi affirmo: te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum; in iis autem, in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere primum ipsius animum, qui 9
plurimum potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temere. Quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum. Familiares vero

[*te socio def.* Plut. Cic. c. 20. ὁμοίως δὲ καὶ (παρώξυνεν αὐτὸν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας, *Catilinae socios*) Πόπλιος Νιγίδιος, ᾧ τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις, ob rerum futurarum, ut videtur, scientiam, astrologiae studio partam.]

[*quo nihil est acerbius.* Cf. ep. 126, 2. 130, 9.]

* *illud incendium*, Catilinae furorem.

§. 5. * *aut obscuris hominibus aut et. sont.* cf. ep. XLI, 53 ss. *P. Nigidio*, cf. ad ep. XLIII, 3.

§. 8. **non diutius futurum*; mortem tamen obiit Nigidius, antequam ex exsilio rediret. — *in quibus etiam nos sumus*, ut libera republica careamus.

[§. 9. *quibus est iratior.* vid. ep. 111, 4.]

* *familiares eius*, quibus Cicero multum utebatur, cf. §. 11.

eius, et ii quidem, qui illi iucundissimi sunt, mirabiliter de te et
10 loquuntur et sentiunt. Accedit eodem vulgi voluntas vel potius consensus omnium. Etiam illa, quae minimum nunc quidem potest, sed possit necesse est, res publica, quascunque vires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit.
11 Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram. Nam et complectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt multumque mecum sunt, et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo, et certe omnes vias per-
12 sequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse. In hoc toto genere plura faciam, quam scribere audeo; ceteraque, quae tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima; nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse, quam tuum. Hac de re et de hoc genere toto hoc scribo parcius, quod
13 te, id quod ipse confido, sperare malo te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem, animo ut maximo sis, nec ea solum memineris, quae ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti. Quae si colliges, et sperabis omnia optime, et, quae accident, qualiacunque erunt,
14 sapienter feres. Sed haec tu melius, vel optime omnium. Ego, quae pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo, tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

EPISTOLA CX. (Ad Div. IV. 7.)

Scr. Romae mense Septembri A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. M. MARCELLO.

1 Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te

§. 10. * *quibus tenetur, quibus* cave, ne ablativum putes, est dativ. commodi.

[§. 11. *insinuabo* sc. me, ut Or. I, 20, 90. Verr. III, 68, 157. Phil. V, 3, 8. Aliis locis additur pronomen, ut Or. II, 35, 149. Tusc. V, 11 extr.]

* *meus pudor mihi clausit*, cf. ep. CXIV, 9.

[*pervenire posse.* Deest *me.* vid. ad or. pro S. Rosc. §. 61. coll. Muren. 82.] * cf. ad ep. II, 5. LXV, 5

[§. 13. *quae — accepisti,* Cortius citat Sallust. Iug. 85, 38.]

* *tu melius, vel optime omnium* ipse tenes, itaque me consolante non eges; cf. §. 6.

[Ep. CX. *Marcello* cos. a. u. 702. tunc exsulanti.] * Mitylenas post Pharsalicam pugnam abierat in exsilium voluntarium neque veniam redeundi ut reliqui fere omnes precibus a Caesare impetrare voluit. Postea senatus suis precibus eam assecutus, Marcellus vero in ipso reditu Athenis interfectus est. Cf. ep. CXIV. et CXXXVII.

sapientia esse iudicem, ut meum consilium non anteponam tuo: tamen et amicitiae nostrae vetustas et tua summa erga me benevolentia, quae mihi iam a pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quae et saluti tuae conducere arbitrarer et non aliena esse ducerem a dignitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia 2
multo ante videris, consulatum magnificentissime atque optime gesseris, praeclare memini; sed idem etiam illa vidi, neque te consilium civilis belli ita gerendi nec copias Cn. Pompeii nec genus exercitus probare, semperque summe diffidere: qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum inter- 3
fuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causa, quae erant in nobis superiora, sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur, aut, si vinci dignitas 4
non potest, fracti certe et abiecti. In quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abiecisti certandi etiam cupiditatem, ostendistique, sapientem et bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos video in duo 5
genera esse distractos. Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt, aut, quemadmodum nos, victori sese crediderunt. Medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor a plerisque, vel 6
dicam ab omnibus, sapiens tuum consilium, a multis etiam magni ac fortis animi iudicatum. Sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum; praesertim quum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omnes obtinendas, praeter voluntatem. Sic enim 7
intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, quum appareat, ipse quid fecerim. Sed tametsi iam ita constituisses, ut abesse per- 8
petuo malles, quam ea, quae nolles, videre: tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate. Qui si facile passurus esset, te carentem patria et fortunis

[§. 1. *iudicem* refertur ad *intelligo*: nam alias *quod* cum indic. iungitur post *non quo*.]

[§. 2. *nec copias*. Cf. ep. 106, 5. *probare — diffidere*, quia in oratione recta diceretur, *probabas — diffidebas*.]

§. 3. * *id egi, ne interessem*, cf. ep. LXXXIX, 2.

[§. 4. *non persequi*, in iis non perseverare. Cf. ep. 113, 8.]

§. 5. * *hique*, ut Cato, Scipio, Labienus. — *medium quoddam*, inter bellum renovandum et veniam victoris petendam; Mitylenas enim se recepit, ubi procul a bello abesset.

§. 7. * *nihil attinet dicere* (cf. ep. LXXIX, 3.), apparet enim, me beneficium id putasse.

[§. 8. *tametsi — tamen*. Vid. ad or. pro Mur. §. 16.]

* *cum periculo*, cf. ep. CXIII, 11.

tuis quiete et libere vivere, cogitandum tibi tamen esset, Romaene et domi tuae, cuicuimodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles
9 vivere. Sed quum ita late pateat eius potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit, nonne malis sine periculo tuae domi esse, quam cum periculo alienae? Equidem, etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quam in externis atque in alienis
10 locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt; quorum est magna, pro tuis maximis clarissimisque virtutibus, multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuae, quam dissipari nolumus. Nam etsi nullam potest accipere iniuriam, quae futura perpetua sit, propterea, quod neque is, qui tenet rem publicam, patietur, neque ipsa res publica; tamen impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere
11 confiderem. Hic te unius sollicitudines, unius etiam multae et assiduae lacrimae, C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur: nos cura et dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, quum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratia tantum possumus, quantum victi; sed tamen consilio, studio Marcello non desumus. A tuis reliquis non adhibemur; ad omnia parati sumus.

EPISTOLA CXI. (Ad Div. VI. 13.)

Scr. Romae mense Septembri A. U. C. 707.

CICERO Q. LIGARIO.

1 Etsi tali tuo tempore me aut consolandi aut iuvandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat, tamen adhuc id non feceram, quia neque lenire videbar oratione neque levare posse dolorem tuum. Postea vero quam magnam spem habere coepi, fore, ut te brevi tempore incolumem haberemus, facere non potui, quin
2 tibi et sententiam et voluntatem declararem meam. Primum igitur scribam, quod intelligo et perspicio, non fore in te Caesarem duriorem; nam et res eum quotidie et dies et opinio hominum et, ut

§. 10. * *praedonum*, Caesarianorum, qui aere alieno oppressi, fortunis exulum direptis divitias accumulare capiebant.

§. 11. * *C. Marcelli*, vid. ep. CXIV, 7. Consul is fuerat cum L. Aemilio Paullo a. 703. — *fratris*, patruelis.

[*A tuis reliquis*, Marcellis, qui viderentur de Marci reditu non valde laborasse. Cf. ep. 112, 6.]

* Ep. CXI. *Q. Ligario*, qui quum Considii propraetoris in Africa legatus fuisset, post Considii discessum provinciam P. Atio Varo, Pompeiano, tradidit. In bello Africano captus et a Caesare dimissus in exsilium abiit.

§. 2. * *dies*, temporis decursus, diuturnitas. Sic ep. CXVII, 8. ad Div. I, 6. *ipsa die, quae debilitat cogitationes et inimicorum et proditorum tuorum.* ad Div. VII, 28, 3. *dies, quae stultis quoque mederi solet.*

mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit; idque quum de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis eius, quibus ego ex eo tempore, quo primum ex Africa nuntius venit, supplicare una cum fratribus tuis non destiti. Quorum quidem et virtute et 3
pietate et amor in te singularis et assidua et perpetua cura salutis tuae tantum proficit, ut nihil sit, quod non ipsum Caesarem tributurum existimem. Sed si tardius fit, quam volumus, magnis occu- 4
pationibus eius, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt, et simul, Africanae causae iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos, a quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius et 5
placatius ferre. Quare mihi crede et memoriae manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutius non futurum. Quoniam, quid 6
sentirem, exposui, quid velim tua causa, re potius declarabo, quam oratione. Et, si tantum possem, quantum in ea re publica, de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses: eadem enim causa opes meas fregit, quae tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen, quidquid imago 7
veteris meae dignitatis, quidquid reliquiae gratiae valebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: 8
primum ob eas causas, quas scripsi; deinde, quod ea de re publica semper voluisti atque sensisti, ut non modo nunc secunda sperare debeas, sed etiam, si omnia adversa essent, tamen conscientia et factorum et consiliorum tuorum, quaecunque acciderent, fortissimo et maximo animo ferre deberes.

EPISTOLA CXII. (Ad Div. IV. 8.)

Scr. Romae mense Sept. A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. M. MARCELLO.

Neque monere te audeo, praestanti prudentia virum, nec confir- 1
mare, maximi animi hominem unumque fortissimum, consolari vero nullo modo. Nam si ea, quae acciderunt, ita fers, ut audio,

[*ex Afr. nuntius* de Caesaris victoria * et te capto. *cum fratribus tuis*, e quibus duo Caesarem secuti erant, tertius Q. pro quo est oratio, in castris Pompeianis fuerat, vid. pro Lig. c. 11. 12.]

§. 3. * *Quorum — proficit*; fortasse, at Orell. suspicatur, legendum: *quorum quidem et virtute et pietate et amore in te singulari assidua et perpetua cura salutis tuae tantum profecit.*

§. 4. * *Africanae causae*, cuius Ligarius particeps fuerat.

[*a quibus* effectum esse putat, ut conflictaretur. Sic Graeci *πίπτειν, φεύγειν ὑπό τινος.*]

[§. 6. *si tantum possem*: Cf. ep. 132, 3.]

* *eadem causa*, Pompeii et rei publicae.

gratulari magis virtuti debeo, quam consolari dolorem tuum; sin te tanta mala rei publicae frangunt, non ita abundo ingenio, ut te
2 consoler, quum ipse me non possim. Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum praebeam praestemque et ad omnia, quae tui velint, ita sim praesto, ut me non solum omnia debere tua causa,
3 quae possim, sed ea quoque etiam, quae non possim, putem. Illud tamen vel tu me monuisse vel censuisse puta vel propter benevolentiam tacere non potuisse, ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas, si sit aliqua res publica, in ea te esse oportere, iudicio hominum reque principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse etiam ad exsulandum locum.
4 Si enim libertatem sequimur, qui locus hoc dominatu vacat? sin
5 qualemcunque locum, quae est domestica sede iucundior? Sed mihi crede, etiam is, qui omnia tenet, favet ingeniis: nobilitatem vero et dignitates hominum, quantum ei res et ipsius causa concedit,
6 amplectitur. Sed plura, quam statueram. Redeo ergo ad unum illud, me tuum esse, fore cum tuis, si modo erunt tui; si minus, me certe in omnibus rebus satis nostrae coniunctioni amorique facturum. Vale.

EPISTOLA CXIII. (Ad Div. IV. 9.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. M. MARCELLO.

1 Etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio litteras ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem esse oportere, et quid tibi faciendum arbitrarer, tamen, quum Theophilus, libertus tuus, proficisceretur, cuius ego fidem erga te benevolentiamque perspexeram, sine meis litteris eum ad te venire nolui.
2 Iisdem igitur te rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus litteris hortatus sum, ut in ea re publica, quaecunque est, quam

[Ep. CXII. §. 2. *quoque* simpliciter addit aliquid, *etiam* fortius quid et gravius addit, ubi nos *selbst, sogar*. De v. *etiam* Wyttenbachium aliquando ita disputantem audivi, ut diceret eam vocem sibi non ex *et iam* contractam videri, sed nihil aliud esse quam graecum ἔτι, id quod mihi quidem vehementer probavit.]

* *sed ea quoque etiam*, i. e. *sed etiam aequo modo ea*, ut recte explicat Hand. Turs. II. p. 558.

§. 3. * *cedentem tempori*, cf. ep. CXIII, 4.

§. 5. * *favet ingeniis*, cf. ep. CXV, 15.

§. 6. * *si modo erunt tui*, cf. ad ep. CX, 11.

§. 1. * *Q. Mucio*, Scaevolae, qui a. 699. tribunus pleb. fuerat.

§. 2. * *iisdem te rebus hortor*, iisdem argumentis usus, eadem ratione. Alii legunt *iisdem de rebus*, alii *iisdem te de rebus*; verum nescio, an Cicero unquam dixerit *hortari de aliqua re*.

primum velis esse. Multa videbis fortasse, quae nolis, non plura 3
tamen, quam audis quotidie. Non est porro tuum, uno sensu solum
oculorum moveri, quum idem illud auribus percipias, quod etiam
maius videri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit ali- 4
quid, quod non sentias, aut faciendum, quod non probes. Primum
tempori cedere semper sapientis est habitum; deinde non habet, ut
nunc quidem est, id vitii res; dicere fortasse, quae sentias, non
licet, tacere plane licet. Omnia enim delata ad unum sunt. Is uti-
tur consilio, ne suorum quidem, sed suo. Quod non multo secus
fieret, si is rem publicam teneret, quem secuti sumus. An, qui 5
in bello, quum omnium nostrum coniunctum esset periculum, suo
et certorum hominum minime prudentium consilio uteretur, eum magis
communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis in rebus
fuisset? et, qui nec, te consule, tuum sapientissimum consilium
secutus esset, nec, fratre tuo consulatum ex auctoritate tua gerente,
vobis auctoribus uti voluerit, nunc, omnia tenentem, nostras senten-
tias desideraturum censes fuisse? Omnia sunt misera in bellis civili- 6
bus; quae maiores nostri ne semel quidem, nostra aetas saepe iam
sensit: sed miserius nihil, quam ipsa victoria; quae, etiamsi ad
meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit;
ut, etiamsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur: multa
enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda
sunt. An tu non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset 7
futura victoria? Igitur tunc quoque patria careres, ne, quae nolles,
videres? „Non, inquies: ego enim ipse tenerem opes et dignitatem
meam.“ At erat tuae virtutis, in minimis tuas res ponere, de re
publica vehementius laborare. Deinde, qui finis istius consilii est? 8
nam adhuc et factum tuum probatur, et, ut in tali re, etiam fortuna
laudatur: factum, quod et initium belli necessario secutus sis et
extrema sapienter persequi nolueris; fortuna, quod honesto otio
tenueris et statum et famam dignitatis tuae. Nunc vero nec locus 9

[§. 3. *maius*, quippe fama et rumore.] * Prorsus contrariam sententiam proponit Cic. ep. CIX, 5. CXIV, 14. CXXVI, 2. CXXX, 9. Est enim hoc in oratoris artificio, ut easdem res temporis causa modo oppugnet, modo defendat. Propterea in illis ad Nigidium Figulum et Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur. *Manut.*

§. 4. * *At* sententiam occupat adversarii, statim refellendam.

§. 5. * *certorum hominum*, cf. ad ep. IX, 15.

[*communem — futurum f.* nobiscum consilia sua communicaturum fuisse et deliberaturum.]

* *tuum sapientissimum consilium*, Caesaris ante tempus e Galliis revocandi; quum vero bellum civile instaret, M. Marcellus censuit in senatu, non oportere antea de Caesaris provinciis ad senatum referri, quam exercitus in Italia conscripti essent. Caes. b. civ. I, 2.

[§. 7. *crudelis*. vid. ep. 125, 4. supra 104, 5.]

[§. 8. *extr. — persequi*. Cf. ep. 110, 4.]

tibi ullus dulcior esse debet patria, nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius, nec eam multis claris viris
10 orbatam privare etiam aspectu tuo. Denique, si fuit magni animi non isse supplicem victori, vide ne superbi sit, aspernari eiusdem liberalitatem; et, si sapientis est carere patria, duri, non desiderare, et, si re publica non possis frui, stultum est, nolle privata.
11 Caput illud est, ut, si ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiorum est licentia:
12 sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi salus tua tantae curae est, ut Marcello fratri tuo aut par aut certe proximus sim. Tuum est consulere temporibus et incolumitati et vitae et fortunis tuis.

EPISTOLA CXIV. (Ad Div. IV. 4.)

Scr. Romae exeunte Sept. A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. SER. SULPICIO, PROC. ACHAIAE.

1 Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur saepius ad me litteras uno exemplo dedisses; sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri
2 scribis, ne ad nos perferantur: illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) iisdem verbis epistolas saepius mittere, nec nosco nec probo. Et ego ipse, quem tu per iocum (sic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non esse verborum admodum inopem agnosco: εἰρωνεύεσθαι enim non necesse est; sed tamen idem (nec hoc εἰρωνευόμενος) facile cedo
3 tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae. Consilium tuum, quo te

[§. 10. *non isse — aspernari.* Nam *non ivit* olim, sed adhuc *aspernabatur.* Verr. V, 65. extr. *etiamne id magnum fuit Panormum litteras mittere? asservasse hominem, custodiis Mamertinorum tuorum vinctum, clausum habuisse, dum Panormo Pretius veniret?* Nam litterae idemtidem mittebantur, sed quum Pretius venit, Verres hominem iam asservarat. Diversa haec sunt a consuetudine Livii al. imprimis poetarum, infin. Perf. ἀορίστως ponendi, quacum rationem Cic. confundit Heusing. ad Cic. de offic. Praef. p. LXII.]

* Ep. CXIV. *Servio Sulpicio,* cf. ad ep. XC, 2. Pompeio victo, Italiam reliquerat; Caesar vero Achaiam eum pro consule obtinere iussit.

[§. 1. *saepius — uno exemplo,* iisdem verbis scriptas. Cf. ep. 105, 1.]

* *qui epistolas accipiant,* i. e. quibus, non ad quos epistolae dentur.

[§. 2. *nosco,* tanquam veram agnosco, accipio, ut ad Att. XI, 7. *tuas causas nosco.* Cf. Leg. I, 4. ubi Goerenz vertit *von etwas Notiz nehmen.*]

* *scriptorum tuorum subtil. et eleg.*; cf. Cic. Brut. 42, 153. Servius *adiunxit etiam* (dialecticae) *et litterarum scientiam et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest.*

usum scribis hoc Achaicum negotium non recusavisse, quum semper probavissem, tum multo magis probavi, lectis tuis proximis litteris. Omnes enim causae, quas commemoras, iustissimae sunt, tuaque et auctoritate et prudentia dignissimae. Quod aliter cecidisse rem exi- 4
stimas, atque opinatus sis, id tibi nullo modo assentior. Sed quia tanta perturbatio et confusio est rerum, ita perculsa et prostrata foedissimo bello iacent omnia, ut is cuique locus, ubi ipse sit, et sibi quisque miserrimus esse videatur, propterea et tui consilii poenitet te, et nos, qui domi sumus, tibi beati videmur; at contra nobis non tu quidem vacuus molestiis, sed prae nobis beatus. Atque hoc 5
ipso melior est tua, quam nostra, condicio, quod tu, quid doleat, scribere audes, nos ne id quidem tuto possumus: nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae civilibus bellis semper est insolens. Uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, 6
salute paullo ante, quam tu, cognovimus; etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes: post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum sit de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse 7
Caesar, accusata acerbitate Marcelli, (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia, repente praeter spem dixit, „se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum.“ Fecerat autem hoc senatus, ut, quum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et quum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem 8
aliquam viderer videre quasi reviviscentis rei publicae. Itaque quum 9
omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, praeter Volcatium, (is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse,) ego rogatus, mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed

§. 3. * *hoc Achaicum negotium*, provinciae administrationem.

§. 4. * *sibi quisque miserrimus videatur*, cf. ep. CXXVI, 1. CXXX, 8.

§. 5. * *victoriae, quae civilibus b. s. e. i.*, cf. ep. CXIII, 6.

§. 6. * *collegae tui*, in consulatu a. 702.

§. 7. * *aequitate tua et prudentia*, Servius enim Marcello collegae Caesari provincias abroganti restiterat.

[*ne hominis quidem causa*, ne idcirco quidem, quod Marc. graviter se offendisset. Cf. ep. 115, 19. Suet. Iul. 28. *M. Claud. Marcellus cos. retulit ad senatum, ut ei* (Caesari) *succederetur ante tempus — et ne absentis ratio comitiis haberetur.*]

* *L. Pisone*, qui Caesaris socer erat. — *C. Marcellus*, frater patruelis M. Marcelli.

[§. 9. *eo loco*, quo Marcellus, si eodem modo se erga Caesarem gessisset.] * Haec Math. explicatio si vera est, Volcatius negavit, se, si Marcelli loco esset, gratias acturum fuisse Caesari. Rectius, ut mihi quidem videtur, Schütz. explicat locum: *si eo loco esset*, quo Caesar, *negavit se facturum fuisse*, quod Caesar fecerat, ut Marcellum restitueret. Nam sine dubio Caesar sententias senatorum rogavit de Marcello restituendo.

desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum
10 consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias; meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim, quod erat unum solatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi eius offensionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc rem publicam non putare, si perpetuo tacerem: modice hoc faciam, aut etiam intra modum, ut et illius voluntati et meis studiis
11 serviam. Nam, etsi a prima aetate me omnis ars et doctrina liberalis et maxime philosophia delectavit, tamen hoc studium quotidie ingravescit, credo et aetatis maturitate ad prudentiam et his temporum
12 vitiis, ut nulla res alia levare animum molestiis possit. A quo studio te abduci negotiis intelligo ex tuis litteris; sed tamen aliquid
13 iam noctes te adiuvabunt. Servius tuus, vel potius noster, summa me observantia colit; cuius ego quum omni probitate summaque virtute tum studiis doctrinaque delector. Is mecum saepe de tua man-
14 sione aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur. Res sunt eiusmodi, ut, si Romae sis, nihil, praeter tuos, delectare possit. De reliquis, nihil melius ipso est; ceteri et cetera eiusmodi, ut, si alterum utrum necesse sit, audire ea malis, quam videre. Hoc nostrum consilium nobis minime iucundum est, qui te videre cupimus; sed consulimus tibi.

EPISTOLA CXV. (Ad Div. VI. 6.)

Scr. Romae mense circiter Octobri A. U. C. 707.

M. T. CICERO A. CAECINAE S. D.

1 Vereor, ne desideres officium meum; quod tibi pro nostra et

* *senatus officium*, pro Marcello supplicantis.

§. 10. * *pluribus verbis*, oratione, quae exstat, pro Marcello.

[*intra modum*, minus quam modice, ut explicat Gellius N. A. XII, 13. Sic *intra legem* ad Famil. IX, 26 extr. minus quam lex concedit.]

[§. 11. *ingravescit*, gravius fit, maiorem in animum vim accipit.]

§. 12. * *noctes*, pro anni tempore iam longiores. Recte monuit Süpfl., non ineunte nocte, sed tempore noctis, quod diem praecedit, Romanos litterarum studiis se dedisse, coll. Hor. Ep. I, 2, 35. *si posces ante diem librum cum lumine.*

§. 13. * *Servius tuus vel potius noster*, cf. ad ep. XXIV, 23.

* *de tua mansione aut decessione*, manendumne tibi sit, an decedendum de provincia.

§. 14. * *ipso*, Caesare; cf. §. 6.

* Ep. CXV. *A. Caecinae*, qui, Etrusco summo genere natus, non armis solum contra Caesarem pugnavit, sed libro etiam, quem Suetonius *criminosissimum* dicit, eum lacessivit. Propter hanc iniuriam diutius in exsilio mansit, quamquam post Pharsalicam pugnam ab armis discesserat et librum *querelarum* com-

meritorum multorum et studiorum parium coniunctione deesse non debet: sed tamen vereor, ne litterarum a me officium requiras; quas tibi et iam pridem et saepe misissem, nisi quotidie melius exspectans gratulationem quam confirmationem animi tui complecti litteris maluissem. Nunc, ut spero, brevi gratulabimur; itaque in aliud tempus id argumentum epistolae differo. His autem litteris animum tuum, 2 quem minime imbecillum esse et audio et spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto: nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum et iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea. Nam quum 3 me ex re publica expulissent ii, qui illam cadere posse, stante me, non putarant, memini, me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, venerant, audire, te de glorioso et celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quaedam Etruscae disciplinae, 4 quam a patre, nobilissimo atque optimo viro, acceperas, non fefellit, ne nos quidem nostra divinatio fallet: quam quum sapientissimorum virorum monumentis atque praeceptis plurimoque, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae rei publicae magnaque nostrorum temporum varietate consecuti sumus. Cui quidem divina- 5 tioni hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tam obscuris rebus tamque perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem, quae ante futura dixissem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer. Sed 6 tamen plurimi sunt testes, me et initio, ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, et postea, ne seiungeret: coniunctione frangi senatus opes, disiunctione civile bellum excitari videbam. Atque utebar familiarissime Caesare, Pompeium faciebam plurimi; sed erat meum consilium quum fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quae 7 praeterea providerim, praetereo. Nolo enim hunc de me optime meritum existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eundum in Hispaniam censui: 8

posuerat, quo Caesaris gratiam rursus sibi conciliare studebat. Exstat Ciceronis pro Caecina oratio.

§. 1. * *studiorum parium*, divinationis.

§. 3. * *expulissent ii*; non Clodium solum, sed Caesarem etiam et Pompeium intelligit. — *in qua tu eras*, negotiator, cf. ad Div. VI, 8, 2.

[§. 4. *Etruscae discipl.* de qua librum scripserat Caecina, ut est apud Plinium.]

[*nostra divinatio*, de qua Corn. Nep. Att. 16 extr. *Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.* ubi Interpr. plura huius divinationis exempla collegerunt.]

* *monumentis*, libris; cf. ad ep. XXXV, 2.

[§. 6. *ne coniungeret se.* vid. Phil. II, 10.]

[§. 8. *eundum in Hisp.* At ep. ad Att. V, 11. Pompeius mihi quoque videbatur in Hispaniam iturus. Id

quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut liceret, quam ut, quoniam ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa orta belli est.
9 Quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum! quum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio, (nam is movebatur,) quam ab iis, qui, duce Pompeio freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus
10 suis illius belli victoriam fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me; depulsum ex Italia, manente me, quoad potui. Sed valuit apud me plus pudor meus, quam timor; veritus sum deesse
11 Pompeii saluti, quum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio vel fama bonorum vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens ac sciens „ad pestem ante oculos positam“ sum profectus. Quo in bello nihil adversi accidit non praedicente
12 me. Quare quoniam, ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te auctoritatem augurii et divinationis meae, debebit habere fidem nostra
13 praedictio. Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis sollistimis aut soniviis tibi auguror, sed habeo alia signa, quae observem; quae etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel
14 erroris. Notantur autem mihi ad divinandum signa duplici quadam via: quarum alteram duco e Caesare ipso, alteram e temporum civilium natura atque ratione. In Caesare haec sunt: mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclaro illo libro Querelarum tuarum.
15 Accedit, quod mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur. Praeterea cedit multorum iustis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus, in quo vehementer eum consentiens
16 Etruria movebit. Cur haec igitur adhuc parum profecerunt? Quia

ego minime probabam. Cf. supra ep. 56 extr.]

[*ipso consule pugnante*. Vid. Suet. Iul. 26. supra ep. 82, 4.]

§. 9. * *pacem iustissimo bello anteferrem*, cf. ep. CIII, 4. LXXXII, 5.

[*et rebus domest.* vid. ad ep. 106, 5.]

[§. 10. *pudor*. Cf. ep. 106, 3.]

* *aliquando*, in me restituendo.

§. 11. * *ut in fabulis Amphiaraus*. Fingunt poëtae, vatem Amphiaraum, quum videret se interiturum si ad bellum Thebanum iret, latitasse uxore tantum conscia: eam, accepto monili aureo, virum indicasse; itaque coactum ire cum ceteris, hiatu terrae absorptum. *Manut.*

§. 13. * *ex alitis involatu*; proprium hoc ut videtur et solenne disciplinae auguralis vocabulum. — *oscines*, quae ore canente faciunt auspicium, *alites*, quae alis et volatu. — *tripudiis sollistimis*, cf. Cic. de divin. II, 34.

* *etsi non sunt certiora illis*; non enim Cicero, ipse augur quum sit, auguriorum auctoritatem impugnare vult.

[§. 14. *Libro Querel. tuarum*, quem victo Pompeio scripserat, Caesaris civibus parcentis laudes complexum, ut verbis utar Martyni-Lag. arg. ep. 5. l. VI.]

[§. 15. *ambitiosis vol.* Cf. ep. 124, 5. pro Ligar. 11, 31.]

non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustius videtur irasci posse, concesserit. Quae est igitur, inquies, spes ab irato? Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leviter aspersus. Postremo homo valde est acutus et multum provi- 17
dens; intelligit, te, hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobilissimum, et in communi re publica cuivis summorum tuae aetatis vel ingenio vel gratia vel fama populi Romani parem, non posse prohiberi re publica diutius. Nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quam iam suum. Dixi de Caesare; 18
nunc dicam de temporum rerumque natura. Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius, quam paratus, susceperat, qui nos malos cives dicere aut homines improbos audeat. In 19
quo admirari soleo gravitatem et iustitiam et sapientiam Caesaris; nunquam, nisi honorificentissime, Pompeium appellat. At in eius persona multa fecit asperius. Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus! Cassium sibi legavit; Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae; Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quo igitur 20
haec spectant? Rerum hoc natura et civilium temporum non patietur: nec manens nec mutata ratio feret, primum, ut non in causa pari eadem sit et condicio et fortuna omnium; deinde, ut in eam civitatem boni cives nulla ignominia notati non revertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati reverterunt. Habes augurium meum, 21
quo, si quid addubitarem, non potius uterer, quam illa consolatione, qua facile fortem virum sustentarem: te, si explorata victoria arma sumpsisses pro re publica (ita enim tum putabas), non nimis esse laudandum; sin propter incertos exitus eventusque bellorum, posse accidere ut vinceremur, putasses, non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantae 22

[§. 16. *sustinere causas — multorum*, multis negare, quasi impetum rogantium sustinere. Cf. ad Fam. XI, 13.] * et ep. CXI, 4.

[*eodem fonte*, ingenio tuo. ad Fam. VI, 5. eidem Caecinae scribit: *ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se violatum putasset.* Suet. Iul. 75 extr. *A. Caecinae criminosissimo libro — laceratam existimationem suam civili animo tulit.* Se *armatum adversario maledixisse, et stili poenas dare*, ipse Caecina scribit VI, 7.]

§. 17. * *in parte Italiae minime contemnenda*, in Etruria.

§. 19. * *in eius persona multa f. asp.*; similes locos attulerunt: Cic. amic. §. 41. *propinqui quid in P. Scipione effecerint.* Sall. Catil. 11, 4. *foeda crudeliaque in civibus facinora fecere.* ibid. 51. *quid in illis iure fieri posset.*

* *Cassium*, cf. ep. XCVIII.; *Brutum* ep. CII.; *Sulpicium* ep. CXIV.; *Marcellum*, ibid. §. 7.

§. 20. * *ratio*, rerum et civilium temporum.

[*nefariorum scel. condemn.* quos lege Pompeia de ambitu damnatos Caesar restituit. ad Att. X, 4. Suet. Iul. 41. Caes. b. civ. III, 1. *Manut.* Cf. Dio Cass. 43, 27. 47.]

delectationi in rebus adversis litterae esse deberent. Commemorarem non solum veterum, sed horum etiam recentium vel ducum vel comitum tuorum gravissimos casus; etiam externos multos claros viros nominarem: levat enim dolorem communis quasi legis et humanae
23 condicionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hic et quanta in turba quantaque in confusione rerum omnium viveremus: necesse est enim minore desiderio perdita re publica carere, quam bona.
24 Sed hoc genere nihil opus est. Incolumem te cito, ut spero, vel potius, ut perspicio, videbimus. Interea tibi absenti, et huic, qui adest, imagini animi et corporis tui, constantissimo atque optimo filio tuo, studium, officium, operam, laborem meum iampridem et pollicitus sum, et detuli; nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur; familiares quidem eius, sicuti neminem. Apud quem quidquid valebo vel auctoritate vel gratia, valebo tibi. Tu cura, ut quum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentes.

EPISTOLA CXVI. (Ad Div. VI. 14.)

Scr. Romae pridie Kalendas intercalares priores A. U. C. 707.

CICERO LIGARIO.

1 Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere; nam quum te semper maxime dilexi, tum fratrum tuorum, quos aeque atque te summa benevolentia sum complexus, singularis pietas amorque fraternus nullum me patitur
2 officii erga te studiique munus aut tempus praetermittere. Sed quae faciam fecerimque pro te, ex illorum te litteris, quam ex meis, malo cognoscere. Quid autem sperem aut confidam et exploratum
3 habeam de salute tua, id tibi a me declarari volo. Nam si quisquam est timidus in magnis periculosisque rebus semperque magis adversos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum; et, si
4 hoc vitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen quum

§. 24. * *familiares quidem eius*, cf. ep. CV, 2. 3.

* *valebo tibi*, ut tibi prosim, ad tuam utilitatem; cf. Cic. amic. 27. *Mihi quidem Scipio vivit vivetque semper.*

* Ep. CXVI. *Ligario*, cf. ep. CXI.

§. 1. * *fratrum tuorum*, cf. ad ep. CXI, 2.

[§. 4. *Kal. intercalares prior.* Caesar, quia anni ratio propter intercalandi licentiam, qua Pontifices usi erant, perturbata erat, et ipse fastos emendare instituerat, primum instituit annum 365 dierum: deinde, ut ante in ordinem rediret annus, fecit annum, quem vocant confusionis. In eo erant tres menses intercalarii, primus is, qui ex instituto Numae in illum annum incidebat, deinde duo Caesaris integri, interiecti inter Novembrem et Decembrem. Prioris Kal. dictae sunt

a. d. v. Kal. intercalares priores, rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Caesarem, atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem; quum fratres et propinqui tui iacerent ad pedes, et ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat, non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis et liberalis fuit, sed etiam ex oculis et vultu et multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hac opinione discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo 5
magno fortique sis, et, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora laete feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis, neque Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo.

EPISTOLA CXVII. (Ad Div. V. 16.)

Scr. fortasse A. U. C. 706.

M. T. CICERO S. D. TITIO.

Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accom- 1
modatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, quum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo maerore tamdiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata 2
quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra, neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, condicione vivamus, neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus, eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse novi nobis cogitemus. Neque hae neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis viris 3

intercalares priores, alterius *posteriores*. *Ern.* in Clav.]

* *indignitatem et molestiam*; ad Att. XIV, 1. *proxime, quum Sestii rogatu apud eum fuissem exspectaremque sedens, quoad vocarer, dixisse eum* (Caesarem): „*Ego dubitem, quin summo in odio sim, quum M. Cicero sedeat nec suo commodo me convenire possit? Atqui si quisquam est facilis, hic est; tamen non dubito, quin me male oderit.*“

* Epist. CXVII. *Titius* qui fuerit, ignoramus; dubitatur de anno, quo epistola scripta sit.

[§. 2. *homines nos ut esse memin.* Plut. cons. ad Apoll. p. 103 F. *Κράτιστον δὲ πρὸς ἀλυπίαν φάρμακον ὁ λόγος καὶ ἡ διὰ τούτου παρασκευὴ πρὸς πάσας τοῦ βίου μεταβολάς· χρὴ γὰρ οὐ μόνον ἑαυτὸν θνητὸν εἰδέναι ὄντα τὴν φύσιν, ἀλλὰ καὶ ὅτι θνητῷ σύγκληρός ἐστι βίῳ καὶ πράγμασι, ῥᾳδίως μεθισταμένοις πρὸς τοὐναντίον.* Cf. infra ep. 133, 8—10.]

usurpatae memoriaeque litteris proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis et haec perturbatio temporum perditorum; quum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem
4 bona aut denique aliqua re publica perdidissent. Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione maeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto; sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quae saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors, ducenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere rei publicae, quae qui
5 reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus
6 ex his miseriis atque ex iniquissima condicione vitae videretur. Quare, si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse, permultum erit ex maerore tuo deminutum. Relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum proprie referetur; in qua non est iam gravitatis et sapientiae tuae, quam tu a puero praestitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos
7 dilexeris, miseria maloque seiunctus. Etenim eum semper te et privatis in rebus et publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit gravitas et constantiae serviendum. Nam, quod allatura est ipsa diuturnitas,

[§. 3. *prolatio temp. perd.* ep. 139, 5. *propagatio miserrimi temporis.*]

* *perturbatio* recepimus cum Orell. Qui *prolatio* legunt, ii hac voce usi sunt, ut tempus quo epistola scripta esset inde colligerent: dicunt enim, de *prolatione temporum perditorum* post Caesaris demum mortem sermonem esse potuisse.

[§. 4. *nihil mali esse in morte.* Vid. Cic. Tusc. disp. I, c. 11. §. 36 sqq. Xen. Cyr. VIII, 7, 27. Sallust. Catil. 51, 20.]

* *ea misceri, parari, impendere* cet. Comparat *Mart. Lag.* locum Dion. Cass. Vol. I. p. 322. D. καὶ ἦν οὐ τὸ παρὸν μόνον τοῖς Ῥωμαίοις χαλεπώτατον, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐς τὸν Καίσαρα πολὺ πλείω καὶ δεινότερα ὑπωπτεύετο. Atque haec ille de tempore pugnae Pharsalicae proximo. Recte igitur, ut videtur, haec epistola ad idem tempus refertur.

[*quae qui reliquerit.* Cf. *ep.* 133, 5 sqq.]

[§. 7. *diuturnitas.* Plut. l. c. p. 112, C. ὃ, σὺν μέλλεις τῷ χρόνῳ χαρίζεσθαι, τοῦτο λόγῳ χάρισαι καὶ τῇ παιδείᾳ. Senec. cons. ad Marc. 8 extr. *Quanto magis hoc morum tuorum elegantiae convenit, finem luctus potius facere, quam exspectare, nec illum opperiri diem, quo te invita dolor desinat? ipse illi renuntia.* Cf. infra ep. 133, 13. ad Att. XII, 10.]

quae maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. Etenim si nulla unquam fuit, liberis amissis, 8 tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit, certe nos, quod est dies allatura, id consilio ante ferre debemus, neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus. His ego litteris si quid profecissem, existimabam 9 optandum quiddam me esse assecutum; sin minus forte valuissent, officio tamen esse functurum benevolentissimi atque amicissimi, quem me tibi et fuisse semper existimes velim et futurum esse confidas.

EPISTOLA CXVIII. (Ad Div. XIII. 17.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

M. T. CICERO SER. SULPICIO S. P. D.

M' Curius, qui Patris negotiatur, multis et magnis de causis a 1 me diligitur. Nam et amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit, instituta; et Patris quum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit; quo si opus fuisset, tam essem usus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum 2 cum eo est quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quod est Attici nostri familiarissimus, eumque unum praeter ceteros observat ac diligit. Quem si tu iam forte cognosti, puto me hoc, quod facio, 3 facere serius. Ea est enim humanitate et observantia, ut eum tibi iam ipsum per se commendatum putem. Quod tamen si ita est, magno opere a te quaeso, ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas litteras contulisti, quam maximus potest mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam minus se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum, aut quae causa est, cur maioris commendationis indigeat, sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio quemquam, neque iustioribus de causis commendare possim; faciamque id, quod debent facere ii, 4 qui religiose et sine ambitione commendant: spondebo enim tibi, vel potius spondeo in meque recipio, eos esse M' Curii mores eamque quum probitatem tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existi-

* *praecipere*, ante ferre, praeoccupare. Sic Cic. off. I, 23. 81. *Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii est, praecipere cogitatione futura et aliquando ante constituere, quid accidere possit in utramque partem.*

§. 8. * *quod est dies allatura*, cf. ep. CXI, 2.

§. 9. * *esse functurum*; suspicatur Orell. scribendum esse: *esse functum viri*, id quod optime convenit huic loco.

§. 1. * *M' Curius*, cf. ep. LXXIV, 21. — *antea*, ut reduci ex Cilicia provincia.

§. 4. * *sine ambitione*, cf. ad ep. CXV, 15.

maturus. Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero, has litteras tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

EPISTOLA CXIX. (Ad Div. XIII. 18.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

CICERO SER. SULPICIO S.

1 Non concedam, ut Attico nostro, quem elatum laetitia vidi, iucundiores tuae suavissime ad eum et humanissime scriptae litterae fuerint, quam mihi. Nam etsi utrique nostrum prope aeque gratae erant, tamen ego admirabar magis, te, qui, si rogatus aut certe admonitus, liberaliter Attico respondisses, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum scripsisse, eique 2 nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detulisse. De quo non modo rogare te, ut eo studiosius mea quoque causa facias, non debeo, (nihil enim cumulatius fieri potest, quam polliceris,) sed ne gratias quidem agere, quod tu et ipsius causa et tua sponte feceris. 3 Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum iudicium de homine eo, quem ego unice diligo, non potest mihi non summe esse iucundum. Quod quum ita sit, esse 4 gratum necesse est. Sed tamen, quoniam mihi pro coniunctione nostra vel peccare apud te in scribendo licet, utrumque eorum, quae negavi mihi facienda esse, faciam. Nam et ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest; et, quod modo verebar, tibi gratias agere, nunc plane ago, teque ita existimare volo, quibuscunque officiis in Epiroticis reliquisque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

EPISTOLA CXX. (Ad Div. XIII. 19.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

M. T. CICERO SER. SULPICIO S. P. D.

1 Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem sancte colendam puto. Sed ea causa etiam cum

* Ep. CXIX. §. 1. *qui, si rogatur a. c. a., l. r.* Constructio haec est: *qui*, i. e. quum tu, *liberaliter respondisses, si rogatus aut certe admonitus* hunc in modum respondisses.

* *quin ita futurum fuerit*, quin, rogatus, liberaliter responsurus fueris.

§. 2. * *ne gratias quidem agere*, quod nihil mea causa fecisti.

§. 4. * *in Epiroticis negotiis*, cf. ep. VII, 3.

[Ep. CXX. §. 1. *ea causa*, cur

aliis compluribus, familiaritas tanta nullo cum hospite; et ea quum officiis eius multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra coniunctius. Is quum Romae annum 2
prope ita fuisset, ut mecum viveret, etsi eramus in magna spe, te meis litteris commendationeque diligentissime facturum id, quod fecisti, ut eius rem et fortunas absentis tuerere, tamen, quod in unius potestate erant omnia, et quod Lyso fuerat in nostra causa nostrisque praesidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen est et 3
ipsius splendore et nostro reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quae vellemus, a Caesare impetrarentur; quod intelliges ex iis litteris, quas Caesar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid 4
ex nostra commendatione, quasi adepti iam omnia; sed eo vehementius a te contendimus, ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne 5
quid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses; explorata vero eius incolumitate, omnia omni a te studio, summa cura peto. Quae ne singula enumerem, totam tibi domum commendo; in his 6
adolescentem filium eius, quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, quum in calamitate exsilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensium legibus adoptavit; ut eius ipsius hereditatis ius causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum gratissimum- 7
que cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito, quin in eo diligendo ceterisque postea commendando, idem, quod ego, sis iudicii et voluntatis habiturus. Quod quum fieri vehe- 8
menter studeo, tum etiam illud vereor, ne, si minus cumulate videbere fecisse aliquid eius causa, me ille negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, quum ex sermonibus 9
quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere.

eum magni facere debeam, i. e. necessitudo. Cortius laudat pro Quinct. 15, 48. *is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causae et necessitudines veteres intercedebant.* de prov. cons. 17, 40. *non alienum esse arbitror, explicare breviter, quae mihi sit ratio et causa cum Caesare.* Cf. infra 143, 2. Heusing. ad Cic. Off. I, 14, 11. p. 119. c.]

§. 2. * *in unius potestate*, Caesaris. — *in nostra causa*, Pompeianorum.

§. 5. * *ne quid accideret eiusmodi*, ne Caesar bona eius publicari ipsumve in exsilium mitti iuberet.

* *omni studio, summa cura* quomodo inter se differant, intelligitur ex iis, quae sequuntur Ciceronis verbis: *quod quum fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor. Sch.*

§. 6. * *C. Memmius Gemellus*, fueritne is, ad quem ambitus damnatum et Athenis exsulantem scripta est ep. XLVIII., iure dubitatur; non enim eum C. Memmium, quem accusatum defendere noluerat (vid. ad ep. XLVIII.) clientem suum dicere poterat.

* *Patrensis civis*, Romanam enim civitatem exsilio amiserat.

EPISTOLA CXXI. (Ad Div. XIII. 24.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

CICERO SER. SULPICIO S.

1 Quum antea capiebam ex officio meo voluptatem, quod memineram, quam tibi diligenter Lysonem, hospitem et familiarem meum, commendassem; tum vero posteaquam ex litteris eius cognovi, tibi eum falso suspectum fuisse, vehementissime laetatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse, quod ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romae de te loqui solitum esse. 2 De quo, etsi pro tua facilitate et humanitate purgatum se tibi scribit esse, tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, quoniam tantum litterae meae potuerunt, ut, iis lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres; deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis, quam pro omnibus, scribere, hominem esse neminem, qui unquam mentionem 3 tui sine tua summa laude fecerit. Lyso vero quum mecum prope quotidie esset unaque viveret, non solum quia libenter me audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua et 4 facta et dicta laudabat. Quapropter etsi a te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam, unisque se litteris meis omnia consecutum putet, tamen a te peto in maiorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus litteris feceram, nisi eum iam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer.

EPISTOLA CXXII. (Ad Div. XIII. 26.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

CICERO SER. SULPICIO S.

1 L. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi quaestor fuit. Sed hanc causam, quam ego, ut a maioribus accepi, semper gravem duxi, fecit virtute et humanitate sua iustiorem. Itaque 2 eo sic utor, ut nec familiarius ullo nec lubentius. Is quamquam confidere videbatur, te sua causa, quae honeste posses, lubenter esse

§. 1. * *quod ad te delatum diceret*, i. e. quod ad te delatum *esset*, aut: quod ad te delatum *dicebat*. Cf. ep. CXXXVII, 9. *quod religione se impediri dicerent.*

* Epist. CXXII. §. 1. *L. Mescinius*; cf. ep. XCIII. CIII.

* *quod mihi quaestor fuit*, cf. ep. CII, 1. *more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.*

facturum, magnum esse tamen speravit apud te meas quoque litteras pondus habituras. Id quum ipse ita iudicabat, tum pro familiari consuetudine saepe ex me audierat, quam suavis esset inter nos et quanta coniunctio. Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis 3 debere me petere pro homine tam mihi necessario et tam familiari, ut eius negotia, quae sunt in Achaia, ex eo, quod heres est M. Mindio, fratri suo, qui Elide negotiatus est, explices et expedias quum iure et potestate, quam habes, tum etiam auctoritate et consilio tuo. Sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavi- 4 mus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur. Id ut honoris mei causa suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud praeterea, si non alienum tua dignitate putabis 5 esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quoniam cum senatore res est, Romam reieceris. Quod quo minore dubitatione facere possis, litteras 6 ad te a M. Lepido consule, non quae te aliquid iuberent, (neque enim id tuae dignitatis esse arbitramur,) sed quodam modo quasi commendaticias sumpsimus. Scriberem, quam id beneficium bene 7 apud Mescinium positurus esses, nisi et te scire confiderem, et mihi peterem. Sic enim velim existimes, non minus me de illius re laborare, quam ipsum de sua. Sed quum illum studeo quam facillime ad suum pervenire, tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione se consecutum arbitretur.

EPISTOLA CXXIII. (Ad Div. XIII. 28. pars extr.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

CICERO SER. SULPICIO S.

Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ipsi sua maiorumque 1 suorum auctoritate satis commendati sint fidei et iustitiae tuae; et ego, qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima et iura et merita populorum essent. Itaque quum a me peteret Philip- 2 pus Lacedaemonius, ut tibi civitatem commendarem, etsi memineram,

§. 5. * *Romam reieceris*, ad praetorem.

§. 6. * *a M.* Aemilio *Lepido*, qui, quum initio belli civilis praetor Romae remansisset, Caesarem dictatorem dixerat. Tum consul erat cum Caesare III., post Caesaris mortem cum Antonio et Octaviano IIIvir reip. constit.

§. 7. * *nisi — mihi peterem*, mea enim causa te vel ingrato beneficium delaturum confido.

* Ep. CXXIII. §. 1. *iura*, Lacedaemoniorum erat libera civitas; *merita*, erga populum Romanum.

3 me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedaemonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiae civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quod iis tu praesis, eundemque me ita iudicare, te, quod unus optime nosses non nostra solum, sed etiam Graeciae monumenta 4 omnia, tua sponte amicum Lacedaemoniis et esse et fore. Quare tantum a te peto, ut, quum ea facies Lacedaemoniorum causa, quae tua fides, amplitudo, iustitia postulat, ut iis, si tibi videbitur, significes, te non moleste ferre, quod intelligas, ea, quae facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curae mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA CXXIV. (Ad Div. VI. 12.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

M. T. CICERO AMPIO S. D.

1 Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor, nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim, deinde frangi repente atque ita cadere, ut nulla res te ad aequitatem animi possit postea extollere. 2 Egi tuam causam apertius, quam mea tempora ferebant. Vincebatur enim fortuna ipsa debilitatae gratiae nostrae tui caritate et meo per- 3 petuo erga te amore, culto a te diligentissime. Omnia promissa confirmata, certa et rata sunt, quae ad reditum et ad salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui. Etenim omnes Caesaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et benevolentia sic, ut, quum ab illo discesserint, me habeant proximum. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius, plane ita faciunt, ut me 4 unice diligant. Quod si mihi per me efficiendum fuisset, non me poeniteret pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil est a me inservitum temporis causa; veteres mihi necessitudines cum his 5 omnibus intercedunt, quibuscum ego agere de te non destiti. Principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum, qui valeret apud illum non minus auctoritate, quam gratia. Cimber autem Tillius

§. 2. * *me ei civitati omnia debere*; videntur Lacedaemonii in Ciceronis clientelam se dedisse, cf. ep. LXI, 30.

Ep. CXXIV. *Ampio.* T. Ampius Balbus a. u. 690. Cicerone et M. Antonio coss. tribunus pl. cum collega T. Labieno legem tulit (Vellei. II, 40.), ut Pompeius ludis Circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque laurea. In bello civili Pompeii partes secutus delectum diligentissime habuit. * cf. etiam ad ep. XCII, 8.

§. 3. * *omnes Caesaris familiares*, cf. ep. CV, 2.

§. 5. * *Cimber Tillius*, Caesaris partium bello civili defensor acerrimus; postea coniuravit in Caesa-

mihi plane satisfecit. Valent tamen apud Caesarem non tam ambitiosae rogationes, quam necessariae; quam quia Cimber habebat, plus valuit, quam pro ullo alio valere potuisset. Diploma statim non est 6
datum, quod mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius, veniam tibi dari, quam illi appellant tubam belli civilis, multaque ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. Quare 7
visum est occultius agendum, neque ullo modo divulgandum, de te iam esse perfectum. Sed id erit perbrevi, nec dubito, quin, legente te has litteras, confecta iam res futura sit. Pansa quidem mihi, 8
gravis homo et certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma. Mihi tamen placuit, haec ad te 9
perscribi; minus enim te firmum sermo Eppuleiae tuae lacrymaeque Ampiae declarabant, quam significant tuae litterae. Atque illae arbitrabantur, quum a te abessent ipsae, multo in graviore te cura futurum. Quare magno opere e re putavi, angoris et doloris tui levandi 10
causa pro certis ad te ea, quae essent certa, perscribi. Scis, me 11
antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem virum atque sapientem, quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi eam, quam ab ipsa re publica, quum hic ardor restinctus esset, sperari oportere censerem. Recordare tuas litteras, quibus et magnum 12
animum mihi semper ostendisti, et ad omnes casus ferendos constantem ac paratum: quod ego non mirabar, quum recordarer, te et a primis temporibus aetatis in re publica esse versatum, et tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis fortunarumque communium, et in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum ut victor beatus, sed etiam ut, si ita accidisset, victus sapiens esses. Deinde, 13
quum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamob-

rem; quia fratrem Cimbri exsulem revocare noluerat, primasque partes in eo necando suscepit. Interfecto Caesare Bithyniam provinciam administravit.

ambitiosae rog. quae fiunt, ut nos gratiosos esse apud eos ostendamus, quos rogamus, si ab iis rogata impetramus, et simul gratiam ineamus; *necessariae*, quas *officio incensas* vocat ep. 115. 15.

* *quam*, necessariam rogationem pro Ampio, necessario suo.

§. 6. * *Diploma*, litterae Caesaris obsignatae, reditum Ampio et incolumitatem dantes. *Mam.*

[§. 8. *se ablaturum*, accepturum, impetraturum et ad tuos delaturum. Cf. infr. 154, 4.]

§. 9. * *Eppuleiae*, uxoris; *Ampiae*, filiae.

§. 11. * *hic ardor*, belli civilis.

§. 12. * *tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse*; tribunus plebis fuit Cicerone et Antonio coss., quum Catilinae furor civitatem vexaret; praetor L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio coss., quo anno P. Clodius trib. plebis quum alia multa turbavit, tum Ciceronem in exsilium abire coëgit.

* *incidisse*, forte fortuna; *ingressum esse*, consulto. cf. ep. LVII, 3.

§. 13. * *memoriae prodendis*, Ampius scribebat vitas illustrium virorum.

14 rem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas. Sed haec oratio magis esset apta ad illa tempora, quae iam effugisti; nunc vero tantum te para ad haec nobiscum ferenda, quibus ego si quam 15 medicinam invenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed est unum perfugium doctrina ac litterae, quibus semper usi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam 16 salutem. Sed, ut ad initium revertar, cave dubites, quin omnia de salute ac reditu tuo perfecta sint.

EPISTOLA CXXV. (Ad Div. IV. 14.)

Scr. Romae exeunte autumno A. U. C. 707.

M. T. CICERO S. D. CN. PLANCIO.

1 Binas a te accepi litteras, Corcyra datas, quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses, me meam pristinam dignitatem obtinere; alteris dicebas, te velle, quae egissem, bene ac feliciter evenire. 2 Ego autem, si dignitas est, bene de re publica sentire et bonis viris probare, quod sentias, obtineo dignitatem meam; sin autem in eo dignitas est, si, quod sentias, aut re efficere possis aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis, agiturque praeclare, si nosmetipsos regere possumus: ut ea, quae partim iam adsunt, partim impendent, moderate feramus; quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera 3 parte caedem ostentat, ex altera servitutem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, quum recordor, haec me tum vidisse, quum secundas etiam res nostras, non modo adversas, pertimescebam, vide- 4 bamque, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus si ii vicissent, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, tamen intelligebam, et iratorum hominum et cupidorum et insolentium quam crudelis esset futura victoria: sin autem victi essent, quantus interitus esset futurus civium, partim amplissimorum, partim etiam optimorum, qui me, haec praedicentem atque optime consulentem saluti suae, malebant nimium timidum, quam satis prudentem existimari.

§. 14. * *haec*, communes miserias, interitum rei publicae.

[§. 15. *salutem*. Cf. ep. 108, 8.]

[Ep. CXXV. *Cn. Plancius* est is pro quo exstat oratio. Is, Macedoniae quaestor, in Ciceronis exsulis salute custodienda diligentissimus fuit. vid. ad Att. III, 14, 22. pro Planc. c. 10.]

§. 1. * *Corcyra*, ubi Cn. Plancius exsulabat.

[*quae egissem*, quod Publilium virginem sexagenarius iam duxissem dimissa Terentia. vid. ad §. 5.]

§. 2. * *in eiusmodi bello*, quale tum in Hispania inter Caesarem et Pompeii filios gerebatur, cf. ep. CXXVIII, 2. 3.

[§. 4. *quam crudelis*. Cf. ad ep. 113, 7.]

Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita velle, 5
certo scio; sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam rem publicam, ostendissem. Quibus enim pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus et meae fortunae esse debebant, quum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi. Sed de nostris rebus satis vel etiam 6
nimium multa. De tuis velim, ut eo sis animo, quo debes esse, id est, ut ne quid tibi praecipue timendum putes. Si enim status erit aliquis civitatis, quicunque erit, te omnium periculorum video expertem fore; nam alteros tibi iam placatos esse intelligo, alteros nunquam iratos fuisse. De mea autem in te voluntate sic velim iudices, 7
me, quibuscunque rebus opus esse intelligam, quamquam videam, qui sim hoc tempore et quid possim, opera tamen et consilio, studio quidem certe, rei, famae, saluti tuae praesto futurum. Tu velim, et quid agas et quid acturum te putes, facias me quam diligentissime certiorem.

EPISTOLA CXXVI. (Ad Div. VI. 1.)

Scr. Romae initio A. U. C. 708.

M. T. CICERO S. D. A. TORQUATO.

Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suae quemque fortu- 1
nae maxime poeniteat, nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit, tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore bono viro Romae esse miserrimum sit. Nam etsi, quocunque in loco 2
quisquis est, idem est ei sensus et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum et suarum, tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae

§. 5. *res domesticas*. Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarch. Cicer. c. 41. quia rem familiarem, ipso absente, male tractasset aerisque plurimum alieni contraxisset; quod ut dissolveret, virginem, Publiliam, admodum divitem in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis uxorem duxit (vid. Plut. ib.) In salute autem Quintum fratrem fratrisque filium accusat, qui vehementer illum post Pharsalicam pugnam apud Caesarem oppugnarunt, quum se dicerent auctore Marco adversus illum arma cepisse. ad Att. XI, 8. 9. 10. 11. *Manut.*]

§. 6. * *praecipue*, prae ceteris Pompeianis. — *alteros*, Caesarianos, *alteros* Pompeianos.

Ep. CXXVI. *A. Manlius Torquatus*, praetor Pompeio III consule a. u. 701. post praeturam Africam administrasse videtur, v. pro Planc. 11. In bello civili Pompeium in Graeciam secutus est, et post pugnam Pharsalicam Athenis exsulavit.

[§. 1. *nemoque sit* etc. Vid. ep. 130, 8.] * cf. etiam ep. CXIV, 4.

§. 2. * *quisquis* est in huiusmodi locis pronomen indefinitum, cf. Max. Schmidt. de pron. p. 57.

ceteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miseriis cogitationem
3 sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est,
tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romae non
4 sis, animum tuum libera. Etsi enim cum magna molestia tuos tua-
que desideras, tamen illa quidem, quae requiris, suum statum tenent,
nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio perи-
culo. Nec debes tu, quum de tuis cogitas, aut praecipuam aliquam
5 fortunam postulare aut communem recusare. De te autem ipso, Tor-
quate, est tuum, sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium
cogitationum tuarum desperationem aut timorem. Nec enim is, qui
in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna
6 signa dedit animi erga te mitigati. Nec tamen is ipse, a quo salus
petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suae. Quum-
que omnium bellorum exitus incerti sint, ab altera victoria tibi peri-
culum nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omnium
7 interitu, ab altera te ipsum nunquam timuisse certo scio. Reliquum
est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maxime
excruciet, commune periculum rei publicae; cuius tanti mali, quam-
vis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne consolatio nulla possit
vera reperiri, praeter illam, quae tanta est, quantum in cuiusque
8 animo roboris est atque nervorum. Si enim bene sentire recteque
facere satis est ad bene beateque vivendum, vereor, ne eum, qui
se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse
9 nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror victoriae praemiis ductos
patriam olim et liberos et fortunas reliquisse, sed quoddam nobis
officium iustum et pium et debitum rei publicae nostraeque dignitati
videbamur sequi; nec, quum id faciebamus, tam eramus amentes,
10 ut explorata nobis esset victoria. Quare si id evenit, quod ingredien-
tibus nobis in causam propositum fuit accidere posse, non debemus
ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse nunquam
11 putarimus. Simus igitur ea mente, quam ratio et veritas praescribit,
ut nihil in vita nobis praestandum, praeter culpam, putemus; eaque
12 quum careamus, omnia humana placate et moderate feramus. Atque
haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus tamen ipsa virtus
se sustentare posse videatur. Sed, si est spes aliqua rebus commu-
13 nibus, ea tu, quicunque status est futurus, carere non debes. Atque
haec mihi scribenti veniebat in mentem, me esse eum, cuius tu

§. 4. * *ullo in proprio periculo*, cf. ep. CXXV, 6.

§. 6. *Nec tamen — salutis suae*, quum belli Hispaniensis exitus adhuc incertus sit. [Cf. ep. 130, 2.]

ab altera victoria, Caesaris.

[§. 9. *victoriae pr. ductos*, ut Pompeianos, de quibus ep. 115, 9.]

* *reliquisse*, Pompeium extra Italiae fines sequentes.

* *ut explorata nobis esset victoria*, cf. ep. CXV, 21.

§. 11. * *nihil — praestandum praeter culpam*, cf. ep. CV, 8.

desperationem accusare solitus esses, quemque auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram, 14
sed consilium improbabam. Sero enim nos iis armis adversari videbam, quae multo ante confirmata per nosmetipsos erant, dolebamque, pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari. Neque ego ea, quae facta sunt, fore quum dicebam, 15
divinabam futura, sed, quod et fieri posse et exitiosum fore, si evenisset, videbam, id ne accideret, timebam, praesertim quum, si mihi alterum utrum de eventu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod evenit, exploratius possem promittere. Iis enim rebus praestabamus, quae non prodeunt in aciem: usu autem armorum et militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe, quaeso, quo me tum esse oportere censebas. Haec eo scripsi, quod 16
mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti fidelissimo animo (ut mihi quidem visus est) narravit, te interdum sollicitum solere esse vehementius. Quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua re publica sis futurus, qui esse debes, aut perdita, non afflictiore condicione, quam ceteri. Hoc vero tempus, quo exanimati omnes et 17
suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in urbe ea es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitae, et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti, qui te profecto et benevolentia et sapientia consolatur, cuius si essemus et auctoritatem et consilium secuti, togati potius potentiam, quam armati victoriam subissemus. Sed haec longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit; illa, 18
quae maiora sunt, brevius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem; quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit. Qui sim autem hoc tempore, intelligo. Sed quia nemo est tam afflictus, quin si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, possit navare aliquid et efficere, omne meum consilium, operam, studium certe, velim existimes tibi tuisque liberis esse debitum.

§. 13. * *desperationem*, quum de republica desperabam, si res ad arma deduceretur. *Man.*

§. 14. * *consilium* belli gerendi. * *per nosmet ipsos*, cf. ep. LXXXII, 4. — *pilis et gladiis*, cf. epist. CX, 3.

§. 15. * *promittere*, praedicere, non solum de rebus, quas optamus; cf. ad Att. IX, 7, 5.

§. 16. * *Philargyrus*, Servii libertus.

§. 17. * *in urbe ea*, Athenis. — *ratio ac moderatio vitae*, philosophia Socratis. — *Serv. Sulpicium*, proconsulem Achaiae. — *consilium*, cf. ad ep. CXIV, 7.

§. 18. * *quae maiora sunt*, promissionem auxilii. — *consilium, operam, studium certe*, cf. ep. CXXV, fin.

EPISTOLA CXXVII. (Ad Div. VI. 18.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

CICERO LEPTAE.

1 Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit, *Eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari.* Quare 2 bono animo sint et tui et mei familiares; neque enim erat ferendum, quum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones 3 esse non licere. De Hispaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum Pompeium habere constat; nam Caesar ipse ad nos misit exemplum Paciaeci litterarum, in quo erat, illas undecim esse legiones. Scripserat etiam Messala Q. Salasso, P. Curtium fratrem eius iussu Pompeii, inspectante exercitu, interfectum, quod consensisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio quod Pompeius rei frumentariae causa venisset, eum comprehendere ad Caesaremque deducere.

4 De tuo negotio, quod sponsor es pro Pompeio, si Galba consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare, si quid expediri possit: quod videbatur mihi ille confidere.

Ep. CXXVII. *Leptae*, quo fabrum praefecto usus est Cicero in provincia Cilicia, ep. 53.

§. 1. * *Simul* omisso *atque*, ut ep. LXXXV, 13. *simul aliquid audiero, scribam ad te.* — *a Balbo*, L. Cornelio, Caesaris familiari, de quo iam saepe.

in lege, quam Caesar redux ex Hispania ferre in animo habebat, et iam scripserat. *Ern.*

decurionibus. Senatores vel coloniarum vel municipiorum *decuriones* vocabantur, et, ut Romae ad senatum consules, ita in municipiis ad decuriones *quatuorviri*, in coloniis *duumviri* referebant. Ac nomine quidem ipso *decuriones* decem tantum videntur; sed plures fuisse constat, quod in Agrar. II. centum nominantur. *Manut.*

§. 2. *qui harusp. fac.* ut tunc Ruspina. [haruspices erant condicionis vilissimae et contemptissimae, tum quod homines fere peregrini erant, qui magistratuum iussis simpliciter obtemperarent, tum etiam, quod artem quaestus causa exercebant. Vid. D. Ruhnken. antiqu. Rom. VI. ed. Eichstaedt. (1822.) p. 7. Dio Cass. 43, 27. Caesar ἐς τὴν βουλὴν οὐκ ἀξίους τινὰς αὐτῆς ἐγκατέλεξεν. Cf. ib. 47. c. n. Reimari.]

§. 3. * *Pompeium*, Cneium, Magni filium.

Paciaeci, L. Iunii Pac. natione Hispani, sed civitate Romana donati, de quo auct. de b. Hisp. c. 3.

Messala, M. Valerii Messalae, qui cos. fuit a. u. 703, filius, Caesaris etiam in bello Africano comes (de b. Afr. 86. 88.) postea sub Augusto inclaruit.

§. 4. * *Galba*, Serv. Sulpicius proavus Galbae imperatoris, ut videtur. Fuit unus e Caesaris percussoribus.

* *si quid expediri possit*; timendum erat, ne bonis Pompeii publicatis sponsores tamen pro eo solvere cogerentur.

Oratorem meum tanto opere a te probari vehementer gaudeo. 5
Mihi quidem sic persuadeo, me, quidquid habuerim iudicii de dicendo, in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum; sin aliter, non recuso, quin, quantum de illo libro, tantundem de mei iudicii fama detrahatur. Leptam nostrum cupio delectari iam talibus scriptis; etsi abest maturitas aetatis, iam tamen personare aures eius huiusmodi vocibus non est inutile.

Me Romae tenuit omnino Tulliaę meae partus. Sed quum ea, 6
quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem; et, mehercule, non tam sum peregrinator iam, quam solebam. Aedificia mea me delectabant et otium. Domus est, quae nulli villarum mearum cedat, otium omni desertissima regione maius. Itaque ne litterae quidem meae impediuntur, in quibus sine ulla interpellatione versor. Quare, ut arbitror, prius hic te nos, quam istic tu nos videbis. Lepta suavissimus ediscat 7
Hesiodum, et habeat in ore,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. —

EPISTOLA CXXVIII. (Ad Div. VI. 3.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

M. T. CICERO S. D. A. TORQUATO.

Superioribus litteris benevolentia magis adductus, quam quo res 1
ita postularet, fui longior. Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua, neque erat ea mea causa atque fortuna, ut ego, cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc item tempore brevior esse 2
debeo. Sive enim nihil tum opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus est; sive tum opus fuit, illud satis est, praesertim quum accesserit nihil novi. Nam etsi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo, summa tamen eadem est, et idem exitus: quem ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus,

§. 5. * *Leptam nostrum*, filium Leptae. — *maturitas aetatis*, cf. ep. CXIV, 11.

§. 6. *partus*, ex quo postea periit. *primam pensionem*, dotis a Dolabella Tulliae reddendae. * Dos tribus pensionibus triennio post divortium reddebatur.

* *Aedificia* villarum olim me *delectabant et otium*, quo ibi fruebar. Nunc vero idem praestat urbs, ubi domus est, quae nulli villarum mearum cedat et otium maiis eo, quo omni desertissima regione fruerer. *Sch.*

§. 7. *Τῆς δ' ἀρετῆς.* Hesiod. *Ἔργ.* 289. [Quint. X, 3, 4. *Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem.* Comparat Martyni-Laguna in prooem.]

[Ep. CXXVIII. §. 1. *Super. litt.* ep. 126.]

§. 2. * *earum rerum*, quae in Hispania gerebantur bello inter Caesarem et Pompeii filios.

3 nec vero quidquam video, quod non idem te videre certo sciam. Nam etsi, quem exitum acies habitura sit, divinare nemo potest, tamen et belli exitum video, et, si id minus, hoc quidem certe, quum sit necesse alterum utrum vincere, qualis futura sit vel haec vel illa
4 victoria. Idque, quum optime perspexi, tale video, nihil ut mali videatur futurum, si id vel ante acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur. Ita enim vivere, ut tum sit vivendum, miserrimum est; mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua haec vel plura et ornatiora parietes ipsi
5 loqui posse videantur. Ego tibi hoc confirmo, etsi levis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum, qui discesserint aut eorum qui remanserint;
6 alteri dimicant, alteri victorem timent. Sed haec consolatio levis est; illa gravior, qua te uti spero, ego certe utor; nec enim, dum ero, angar ulla re, quum omni vacem culpa, et, si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus γλαῦχ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te haec. Mihi tu, tui, tua omnia maximae curae sunt, et, dum vivam, erunt. Vale.

EPISTOLA CXXIX. (Ad Div. IV. 10.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

M. T. CICERO M. MARCELLO S.

1 Etsi nihil erat novi, quod ad te scriberem, magisque litteras tuas iam exspectare incipiebam, vel te potius ipsum, tamen, quum
2 Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei litterarum dare. Cura igitur, ut quam primum venias; venies enim, mihi crede, exspectatus, neque solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio.

§. 3. * *quem exitum acies habitura sit*, sitne Caesar an Pompeius proelio victurus, *belli exitum tamen video*, i. e. video tamen, belli hunc exitum, finem fore, hac pugna decretum iri de tota re et causa.

[*belli exitum* Hispaniensis, non diuturnum bellum ep. 130, 2.]

§. 4. *vel id — proponitur*, mors. * *in ea es urbe*, Athenis, cf. ep. CXXVI, 17.

[§. 5. *levis consolatio*. Cf. 135, 2.] *qui discesserint*, urbe et Italia. Horum duo genera sunt; *alteri* Pompeii filiis ducibus in Hispania *dimicant*, *alteri* Caesarem *victorem timent*. * Recepimus antiquum supplementum *aut eorum qui remanserint*. Tum sententia haec exsistit: *alteri*, qui remanserunt apud Pompeium et bellum continuarunt contra Caesarem, *dimicant* nunc quoque in Hispania, *alteri*, qui discesserunt a Pompeii partibus et Romam redierunt aut in exsilium abierunt, *timent victorem* et Caesarem et Cn. Pompeium filium.

§. 6. * γλαῦχ' εἰς Ἀθήνας, notum proverbium de labore supervacaneo; satis enim noctuarum Athenis.

[§. 1. *Theophilus*, Marcelli libertus.]

Quodsi nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre; sed, quum leviora non multo essent, quae audirentur, quam quae viderentur, suspicarer autem, multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire, atque id in omnes partes valeret, putavi, ea de re te esse admonendum. Sed, quoniam, quid mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen velim, quod ad tempus te exspectemus, certiorem facias. 3 4

EPISTOLA CXXX. (Ad Div. VI. 4.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

M. T. CICERO A. TORQUATO S. D.

Novi, quod ad te scriberem, nihil erat, et tamen, si quid esset, sciebam te a tuis certiorem fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum coniectura possis propius accedere, quum est res eiusmodi, cuius exitus provideri possit. Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum fore, etsi id ipsum nonnullis videmur secus. Equidem quum haec scribebam, aliquid iam actum putabam: non quo — sed quid? difficilis erat coniectura. Nam quum omnis belli Mars communis et quum semper incerti exitus proeliorum sunt, tum hoc tempore ita magnae utrinque copiae, ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, ut, utercunque vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum intersit, tamen inter victorias non multum interfuturum. Alteros propemodum iam sumus experti; de altero, nemo est, quin cogitet, quam sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debeam, fateor me communium malo- 1 2 3 4

§. 3. * *nullum haberes sensum nisi oculorum*, cf. ep. CXIII, 3. — *interesse rei familiaris*, cf. ep. CX, 10.

§. 2. * *videmur secus*, intelligere. — *actum*, in Hispania.

* *non quo* alteri utri victoriam optem; uterque enim victor erit molestus. *Sed quid* tandem actum sit, uter vicerit, difficilis est coniectura. *Orell.*

§. 3. *Alteros*, Caesarianos. *de altero*, Gn. Pompeio filio. * Sunt, qui *alteros* ad Pompeii filios referant, comparato loco Plutarchi, vit. Cic. 39. *ὁ Κικέρων — ὅλως φεύγων τὸ συστρατεύεσθαι παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀναιρεθῆναι, Πομπηΐου τοῦ νέου καὶ τῶν φίλων προδότην ἀποκαλούντων καὶ τὰ ξίφη σπασαμένων.* Afferunt iidem §. 7. h. e., ubi *eius* ad Caesarem, *illis* ad Pompeianos aperte refertur. Non tamen recte h. l. explicaverunt; alteros dicit h. l. Caesarianos, quia Caesar ipse mitis erat, Caesariani non item; Cn. Pompeius filius vero quam *metuendus* fuerit *iratus victor armatus*, intelligitur ex ep. ad Div. XV, 19. 4. *Scis, Cnaeus quam sit fatuus; scis, quomodo crudelitatem virtutem putet.*

rum consolationem nullam invenire praeter illam, quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaque ego quotidie magis utor, conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum in-
5 commodarum, nec esse ullum magnum malum praeter culpam. A qua quoniam tantum absumus, ut etiam optime senserimus, eventusque magis nostri consilii quam consilium reprehendatur, et quoniam praestitimus,
6 quod debuimus, moderate, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis, quae ad consolandum maioris ingenii et ad ferendum singularis virtutis indigent.
7 Illud cuivis facile est docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas. Eius enim, qui tardior in te levando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua salute sententia; de illis autem non arbitror
8 te exspectare quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quod absis a tuis tamdiu. Res molesta, praesertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festivius. Sed, ut ad te scripsi antea, tempus est huiusmodi, ut suam quisque condicionem miserrimam putet, et, ubi quis-
9 que sit, ibi esse minime velit. Equidem, nos quod Romae sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in malis omnibus acerbius est videre quam audire, sed etiam quod ad omnes casus subitorum
10 periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus; etsi me ipsum, consolatorem tuum, non tantum litterae, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigavit. Quanto fuerim dolore, meministi. In quo prima illa consolatio est, vidisse me plus quam ceteros, quum cupiebam, quamvis iniqua condicione, pacem. Quod etsi casu, non divinatione mea factum est, tamen in hac inani prudentiae laude de-
11 lector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam vocer ad exitum vitae, non ab ea re publica avellar, qua carendum esse doleam, praesertim quum id sine ullo sensu futurum sit.
12 Adiuvat etiam aetas et acta iam vita, quae quum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura
13 ipsa paene perduxerit. Postremo is vir vel etiam ii viri hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur, eandem fortunam, si res cogat,
14 recusare. Equidem mihi omnia propono, nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed quum plus in metuendo mali sit quam in illo ipso, quod timetur, desino, praesertim quum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus
15 sit. Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit; facit

[§. 4. *si possis.* Cf. ep. 126, 7.]

§. 7. * *te exspectare, quid sentiam,* scis enim, eos tibi nunquam iratos fuisse.

[§. 8. *scripsi antea,* ep. 126, 1.]

[§. 10. *Quanto fuerim dolore,* ut ad Att. V, 14. *magno timore sum,* pro quo ad Fam. XII, 14. *tanto in timore fui,* quod usitatius. Vid. Gron. et Drakenb. ad Liv. II, 22, 6.]

in hac in. Sic Fin. I, 11, 99. Leg. II, 7, 17.

§. 13. * *is vir,* Pompeius, *vel etiam ii viri,* ut M. Cato, P. et L. Lentuli, C. Marcellus, alii.

§. 14. * *quum id impendeat,* mors.

autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. Ser- 16
vium discessisse Athenis moleste tuli; non enim dubito, quin magnae tibi levationi solitus sit esse quotidianus congressus et sermo quum familiarissimi hominis, tum optimi et prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes et soles, tua virtute sustentes. Ego, quae te velle quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo: quae quum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

EPISTOLA CXXXI. (Ad Div. VI. 10. pars poster.)

Scr. Romae A. U. C. 708.

M. CICERO TREBIANO S.

Antea misissem ad te litteras, si genus scribendi invenirem; tali 1
enim tempore aut consolari amicorum est aut polliceri. Consolatione 2
non utebar, quod ex multis audiebam, quam fortiter sapienterque ferres iniuriam temporum, quamque te vehementer consolaretur conscientia factorum et consiliorum tuorum. Quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te semper scio esse versatum, idque ut facias, etiam atque etiam te hortor. Simul 3
et illud tibi, homini peritissimo rerum et exemplorum et omnis vetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse, quam vellem, at in rebus atque usu plus etiam, quam vellem, versatus, spondeo, tibi istam acerbitatem et iniuriam non diuturne fore. Nam 4
et ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad aequitatem et ad rerum naturam videtur, et ipsa causa ea est, ut iam simul cum re publica, quae in perpetuum iacere non potest, necessario reviviscat atque recreetur; quotidieque aliquid fit lenius et liberalius, quam time-

§. 16. * *Servium discessisse Athenis*, non quo de provincia decessisset, sed quod profectus erat ad conventus in aliis Achaiae oppidis agendos; cf. ep. CXXXVII, 3.

* Ep. CXXXI. *Trebiano*, qui Pompeii partes secutus belli Africani particeps fuisse videtur, cf. ep. CXXXII, 1., eamque ob causam exsulabat. Postea Dolabella reditum eius a Caesare impetravit, cf. ad Div. VI, 11.

§. 1. *misissem — si — invenirem.* In oratione recta esset: *nullas antea ad te misi litteras, quia genus scribendi non* inveniebam, ut optime hanc constructionem explicavit Schütz ad Cic. Brut. c. 76, ad h. l. ipse suae observationis immemor. Vid. de Or. I, 57, 245. II, 22, 93. Brut. 10, 40. Or. 9, 29. 51 in. Verr. II, 1. extr. V, 2, 6. 51, 133. Catil. I, 12 in. II, 2, 3. Muren. 14, 32. Arch. 7, 16. Coel. 6, 14. Planc. 22, 53. etc.

* *si genus scribendi invenirem*, cf. ep. CIX, 1. CXI, 1.

[§. 2. *idque ut facias*, ut te consolere conscientia factorum et cons. tuorum.]

* *diuturne* aeque bene cum verbo esse construi posse videtur, ac v. *diu, dudum, brevi* eorumque composita (cf. ep. CXXIV, 7.). *Orell.*

§. 4. * *simul cum re publica*, cf. ep. CIX, 10.

5 hamus. Quae quoniam in temporum inclinationibus saepe parvis posita
sunt, omnia momenta observabimus, neque ullum praetermittemus tui
6 iuvandi et levandi locum. Itaque illud alterum, quod dixi, litterarum
genus, quotidie mihi, ut spero, fiet proclivius, ut etiam polliceri possim;
7 id re quam verbis faciam libentius. Tu velim existimes; et plures te
amicos habere, quam qui in isto casu sint ac fuerint, quantum qui-
8 dem ego intelligere potuerim, et me concedere eorum nemini. Fortem
fac animum habeas et magnum, quod est in uno te: quae sunt in
fortuna, temporibus regentur et consiliis nostris providebuntur.

EPISTOLA CXXXII. (Ad Div. VI. 10. pars prior.)

Scr. Romae A. U. C. 708.

M. CICERO TREBIANO S.

1 Ego, quanti te faciam semperque fecerim quantique me a te
fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. Nam et consilium tuum, vel
casus potius, diutius in armis civilibus commorandi, semper mihi
magno dolori fuit, et hic eventus, quod tardius, quam est aequum
et quam ego vellem, reciperas fortunam et dignitatem tuam, mihi
2 non minori curae est, quam tibi semper fuerunt casus mei. Itaque
et Postumuleno et Sestio et saepissime Attico nostro proximeque Theu-
dae, liberto tuo, totum me patefeci et haec his singulis saepe dixi,
quacunque re possem, me tibi et liberis tuis satisfacere cupere; idque
tu ad tuos velim scribas, haec quidem certe, quae in potestate mea
sunt, ut operam, consilium, rem, fidem meam sibi ad omnes res
3 paratam putent. Si auctoritate et gratia tantum possem, quantum in
ea re publica, de qua ita meritus sum, posse deberem, tu quoque
is esses, qui fuisti, quum omni gradu amplissimo dignissimus, tum
4 certe ordinis tui facile princeps. Sed quoniam eodem tempore eadem-
que de causa nostrum uterque cecidit, tibi et illa polliceor, quae
supra scripsi, quae sunt adhuc mea, et ea, quae praeterea videor
mihi ex aliqua parte retinere tamquam ex reliquiis pristinae dignitatis.
5 Neque enim ipse Caesar, ut multis rebus intelligere potui, est alienus
a nobis, et omnes fere familiarissimi eius, casu devincti magnis meis

§. 7. * *quam* ceteros, *qui in isto casu*, in exsilio, *sint*.

* Epist. CXXXII. in libris praecedenti coniuncta legitur atque ita quidem, ut eam praecedat. Neque tamen argumenti ratione habita persuadere mihi possum, appendicis loco priorem illam huic annexam fuisse.

§. 1. * *diutius*, post pugnam Pharsalicam, bello Africano.

[§. 3. *Si — tantum possem.* Cf. ep. 111, 6.]

* *ordinis tui*, equestris. Nam si senatorii fuisset, *ordinis nostri* dixisset, quum Cicero ipse senator esset, ideo et *dignissimus* dixit tamquam de equite, iis honoribus digno, quos qui adepti sunt, non iam equestris, sed senatorii ordinis dicuntur esse. *Man.*

veteribus officiis, me diligenter observant et colunt. Itaque si qui 6
mihi erit aditus de tuis fortunis, id est, de tua incolumitate, in qua
sunt omnia, agendi (quod quidem quotidie magis ex eorum sermoni-
bus adducor ut sperem), agam per me ipse et moliar. Singula per- 7
sequi non est necesse; universum studium meum et benevolentiam ad
te defero. Sed magni mea interest, hoc tuos omnes scire, quod tuis
litteris fieri potest, ut intelligant, omnia Ciceronis patere Trebiano.
Hoc eo pertinet, ut nihil existiment esse tam difficile, quod non, pro
te mihi susceptum, iucundum sit futurum.

EPISTOLA CXXXIII. (Ad Div. IV. 5.)

Scr. Athenis mense Aprili A. U. C. 708.

SER. SULPICIUS M. T. CICERONI S. D.

Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, 1
sane quam pro eo ac debui graviter molesteque tuli communemque
eam calamitatem existimavi; qui, si istic affuissem, neque tibi de-
fuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc 2
consolationis miserum atque acerbum est, propterea quia, per quos
confieri debet propinquos ac familiares, ii ipsi pari molestia afficiun-
tur neque sine lacrimis multis id conari possunt, uti magis ipsi
videantur aliorum consolatione indigere quam aliis posse suum officium
praestare; tamen quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi
brevi ad te perscribere: non quo ea te fugere existimem, sed quod
forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est, quod tanto 3
opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodum
adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus
non minus quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, digni-
tatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito quid ad dolorem 4
adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere
iam debet atque omnia minoris existimare? An illius vicem, credo, 5
doles? Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris, et

* Ep. CXXXIII. *Ser. Sulpicius*, cf. ep. CXIV.

§. 1. * *de obitu Tulliae*, quae ex partu periit, cf. ep. CXXVII, 16.

[*neque — coramque*. Vid. ad Catil. 2, §. 28.] * cf. ep. VII, 12.

[§. 2. *brevi*, breviter, ut Or. I, 42, 190. ep. 41, 34. 56, 1. pro Sext. 45, 97. pro Caec. 32, 94.]

* *dolor intestinus*, i. e. domesticus, oppos. publicae calamitati.

[§. 3. *honestatem*, bonam famam, ut pro Roscio Am. 39, 114.]

§. 4. * *incommodum* tantum dicit Tulliae obitum, ut ipso vocabulo minorem eam calamitatem esse indicet.

[§. 5. Interpositum *credo* significat se dubitare, num eius vicem doleat, nostrum *etwa*, ut Agr. I, 6, 19. Arch. 10, 25. Nat. d. I, 24, 67.]

* *et tu veneris, et nos saepe incidimus*. Est leve anacoluthon et quod nimis saepe obliti sunt critici, in Sulpicio versamur, non in Cicerone. *Orell.* Recte procederet oratio, si esset: *et tu veneris necesse est,*

nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? 6 Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuventute generum deligere, 7 cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares! An ut ea liberos ex sese pareret, quos quum florentes videret, laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent? in re publica, in amicorum negotiis libertate sua uti? Quid horum fuit, quod non prius quam datum est ademptum sit? At vero 8 malum est liberos amittere. Malum: nisi hoc peius sit, haec sufferre et perpeti. Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante me Megara; dextra Piraeeus, sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata ac diruta ante oculos 9 iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iacent? Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse, hominem te esse natum? 10 Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt; de imperio populi Romani tanta deminutio facta est; omnes provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen 11 ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius remini-

et nos cet. — *Venimus* in cogitationem ratione et prudentia, *incidimus* casu. *Oudend.*

§. 6. * *quae res? quae spes?* cf. ep. CLXXVI, 5.

[*credo* ironice vid. ad Rosc. §. 52. Catil. 1, §. 5.]

* *liberos tuos*, i. e. filiam. Cf., quos locos Süpfl. attulit, Catil. I, 2, 4. Cluent. 11, 31.

§. 7. * *per se*, non eorum, qui rempublicam tenebunt, auxilio. — *uti*, sc. possent, quod e prioribus repetendum.

§. 8. * *ex Asia rediens*, quo post pugnam Pharsalicam primo abierat Servius.

[§. 9. *Visne tu te — cohibere*, i. e. Age vero, cohibe te, ut Graeci dicunt Οὐχὶ σεαυτοῦ κρατήσεις.]

§. 10. * *Crede mihi.* Monuerunt interpr., Ciceronem saepius dicere *mihi crede*, poëtarum vero et familiaris sermonis proprium magis fuisse *crede mihi.*

* *tanta deminutio*, non provinciis amissis neque sociorum defectione, sed quod summa rerum, quae populi Romani fuerat, iam in unius erat Caesaris potestate.

* *in unius mul. animula*, cf. ep. CLXVIII, 7. *damnum factum est in Servio.*

scere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixisse; una cum re publica fuisse: te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse; adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis prope perfunctam esse; quum res publica occideret, vita excessisse. Quid est, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, 12
qui aliis consueris praecipere et dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt; sed potius, quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiice atque apud animum propone. Nullus 13
dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te exspectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua occurrere. Quodsi qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae; da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore maerent; da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut 14
etiam huic rei nobis serviendum sit, noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam quam rei publicae tempora et aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar 15
prudentiae tuae diffidere: quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem apisci; fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aeque ferre posse, neque id maius, quam debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, quum te tranquilliorem 16
animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

§. 11. * *tua persona*, i. e. loco, quem obtines, honoribus, quos gessisti, partibus, quas agis in publico quasi spectaculo. Nam de homine ipso nunquam dicitur apud Ciceronem eiusque aequales.

[§. 11. *opus fuerit*, utile fuerit, ut ep. 41, 74.]

una cum rep. fuisse. Similiter de Or. III, 3, 10. *ut ille, qui haec non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur.*

[*adolesc. prim.* primum C. Calpurnio Pisoni Frugi, deinde Crassipedi, tandem Dolabellae.]

§. 12. * *te — Ciceronem esse*, cf. ad ep. XLIII, 3.

[§. 13. Cf. ep. 117, 7.]

§. 14. * *Denique* hic et §. 12. positum docet, Servium non diligenter commentatum fuisse epistolam, sed prioribus adiecisse, ut quidque in mentem venerit, et §. 13. finire voluisse epistolam. *Weiske.*

§. 16. * *tranquilliorem animo*, ut ep. XXXV, 21. *alacres animo*, quem locum laud. *Orell.*

EPISTOLA CXXXIV. (Ad Div. V. 13.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

M. T. CICERO S. D. L. LUCCEIO Q. F.

1 Quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est, — declarat enim summam benevolentiam coniunctam pari prudentia — tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumque cognovi: quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male 2 vivendi suspensas habere rationes. Quae cogitatio, quum mihi non omnino excidisset, (etenim penitus insederat,) vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa; cui te opitulari et video et id fecisse etiam proximis litteris multum- 3 que profecisse sentio. Itaque hoc saepius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse 4 potuisse tuis litteris gratius. Ad consolandum autem quum illa valent, quae eleganter copioseque collegisti, tum nihil plus, quam quod firmitudinem gravitatemque animi tui perspexi, quam non imitari turpissimum existimo. Itaque hoc etiam fortiorem me puto, quam te ipsum, praeceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre spem nonnullam habere, haec aliquando futura meliora. Casus enim gladiatorii similitudinesque eae, tum rationes in ea disputatione a te collectae, vetabant me rei 5 publicae penitus diffidere. Itaque alterum minus mirum, fortiorem te esse, quum aliquid speres, alterum mirum, spe ulla teneri. Quid est enim non ita affectum, ut id non deletum extinctumque esse fateare? Circumspice omnia membra rei publicae, quae notissima sunt tibi: nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumque sit. Quae persequerer, si aut melius ea viderem, quam tu vides, aut

* Epist. CXXXIV. *Lucceio*, de quo cf. ep. II, 1. ep. XXXV.

§. 1. * *non aliunde*, quam ex se ipso.

[§. 1. *extrinsecus*, e fortuna et bonis externis. Plat. Menex. p. 247 sq. Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ, ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται, ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνου, τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν. quem locum Cicero vertit Tusc. disp. V, 12, 36. Cf. Parad. 2, 17. Verbis autem *non aliunde pendere* etc. explicantur illa *quam laudem*, quae ad praecedentia referuntur. Vid. diss. de anacoluth. in Wolfii anal. II, p. 17.]

§. 3. * *non significandum solum, sed etiam declarandum*, cf. Cic. Mil. 2, 4. *quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent.*

[§. 4. *casus gladiat.* quum saepe, qui iam victus ab adversario gladiator videtur, is ita convaleat, ut victorem prosternat. *Manut. sim. eae*, eiusmodi. Cf. Goerenz. ad Leg. p. 258. a.]

* *vetabant*, cf. ad ep. LXXXVI, 10. LXXXII, 7. LXXXIV, 1.

commemorare possem sine dolore: quamquam tuis monitis praeceptisque omnis est abiiciendus dolor. Ergo et domestica feremus, ut 6
censes, et publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecipis. Te enim aliqua spes consolatur, ut scribis: nos erimus etiam in omnium desperatione fortes, ut tu tamen idem et hortaris et praecipis. Das enim mihi iucundas recordationes conscientiae nostrae rerumque earum, quas, te in primis auctore, gessimus. Praestitimus 7
enim patriae non minus certe, quam debuimus, plus profecto, quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulatum. Ignosces 8
mihi de me ipso aliquid praedicanti; quarum enim tu rerum cogitatione nos levari aegritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus mole- 9
stiis et angoribus abducam, transferamque animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adiuvantur; tecumque et ero tantum, quantum patietur utriusque aetas et valetudo, et, si esse una minus poterimus quam volemus, animorum tamen coniunctione iisdemque studiis ita fruemur, ut nunquam non una esse videamur.

EPISTOLA CXXXV. (Ad Div. VI. 2.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

M. T. CICERO A. TORQUATO S. D.

Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, 1
quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen iam paullum videor levari, aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscatur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curae quam meas esse. Quod maiore in varietate versata est 2
adhuc tua causa, quam homines aut volebant aut opinabantur, mihi crede, non est pro malis temporum, quod moleste feras. Necesse est enim aut armis urgeri rem publicam sempiternis, aut his positis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt, nec eos, a quibus reciperis, vereri debes, nec eos, quos adivisti; si armis

[§. 8. *quarum — rerum cogitatione.* Vid. ad or. pro Mur. §. 87.]

§. 9. * *ad ea*] litterarum studia cf. pr. Arch. 7. *haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent.*

* Ep. CXXXV. *A. Torquato*, cf. ad ep. CXXVI. — §. 1. *oblivione tui*, cf. ep. XLIV, 1.

[§. 2. *maiore in varietate*, concessa Torquato manendi in Italia, non in urbem veniendi, potestate.]

* *Si arma valebunt*, si perpetuum bellum erit; nam de victoria infra loquitur.

[*reciperis*. Recte Cortius ea vi positum accepit, qua victores dicuntur urbem hostium devictam et veniam petentem recipere inter suos.]

* *quos adivisti*, ad quorum partes accessisti, Pompeianos; recte opponitur praecedenti *reciperis*.

aut condicione positis aut defatigatione abiectis aut victoria detractis civitas respiraverit, et dignitate tua frui tibi et fortunis licebit; sin omnino interierint omnia fueritque is exitus, quem vir prudentissimus, M. Antonius, iam tum timebat, quum tantum instare malorum suspicabatur, misera est illa quidem consolatio, tali praesertim civi et viro, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum
3 in eo, quod accidat universis. Quae vis insit in his paucis verbis, (plura enim committenda epistolae non erant,) si attendes, quod facis, profecto etiam sine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod speres, nihil, quod aut hoc aut aliquo rei publicae statu timeas; omnia si interierint, quum superstitem te esse rei publicae ne si liceat quidem velis, ferendam esse fortunam, praesertim quae absit a culpa. Sed haec hactenus. Tu velim scribas ad me, quid agas et ubi futurus sis, ut aut quo scribam aut quo veniam, scire possim.

EPISTOLA CXXXVI. (Ad Div. IV. 6.)

Scr. Asturae mense Maio A. U. C. 708.

M. T. CICERO S. D. SER. SULPICIO.

1 Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim praesens me adiuvare potueris et consolando et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, litteris lectis, aliquantum acquievi. Nam et ea scripsisti, quae levare luctum possent, et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhi-
2 buisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit, et quanti ipse me faceret et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore; cuius officia iucundiora
3 licet saepe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas

M. Antonius orator, de quo Or. I, 7. *quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus* (M. Antonio, L. Crasso, Q. Scaevola) *Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali* (in bello civili Marii ac Sullae), *quod non impendere illi tanto ante vidissent.*

* *iam tum*, ante Marii et Sullae bellum, quo in bello ipse est interfectus. *Man.*

§. 3. * *aut aliquo rei publ. statu*, cf. ep. CXVII, 3. *bona aut denique aliqua re publica.* CXXVI, 16. *nec dubitare, quin aut aliqua re publica sis futurus, qui esse debes, aut perdita non afflictiore condicione, quam ceteri.*

ubi futurus sis. Nam reditum in Italiam ei Caesar concesserat, ita tamen, ut in urbem ne veniret. ad Att. XIII, 9. 20. 21. 44.

* Ep. CXXXVI. §. 1. *Ego vero* est respondentis ad Sulpicii epistolam (CXXXIII.) tamquam continuo sermone. Cf. Zumpt. 716.

§. 2. * *iucundiora — gratiora*, cf. ad Att. III, 24. fin. *ista veritas, etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est.* ad ep. X, 13.

consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas. Sed opprimor inter- 4
dum et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum et magnis rebus gestis, amisit, et L. Paullus, qui duo septem diebus, et vester Gallus et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex re publica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis 5
iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non rei publicae procuratione impediebantur cogitationes meae; nihil in foro agere libebat; adspicere curiam non poteram; existimabam, id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse. Sed, quum cogitarem, haec mihi tecum et cum quibus- 6
dam esse communia, et quum frangerem iam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter: habebam, quo confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse vide- 7
bantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a re publica maestum domus excipiebat, quae levaret, sic nunc domo moerens ad rem publicam confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaque et 8
domo absum et foro, quod nec eum dolorem, quem a re publica capio, domus iam consolari potest, nec domesticum res publica. Quo 9
magis te exspecto, teque videre quam primum cupio. Maior mihi levatio afferri nulla potest quam coniunctio consuetudinis sermonumque nostrorum: quamquam sperabam, tuum adventum, — sic enim audiebam, — appropinquare. Ego autem quum multis de causis te 10
exopto quam primum videre, tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum et prudentis et liberalis et, ut perspexisse videor, nec a me alieni et tibi amicissimi. Quod quum 11

§. 4. Q. Fabius *Maximus* Cunctator *filium consularem*, Q. Fabium Max. qui cum Tib. Graccho consul fuit a. u. 541. cf. Cato 4. L. Aemilius *Paullus*, is, qui de Perse triumphavit. cf. Tusc. III, 28. C. Sulpicius *Gallus*, astrologiae scientia clarus, cos. a. u. 587. vid. Liv. 44, 3. Plin. II, 12. Heusing. ad Cic. Off. p. 49. 9. *M. Cato*, Censorius. * cf. Lael. 2, 9. Cato m. 23.

* *vester Gallus*, quia ex gente Sulpicia.

§. 5. * *ornamentis iis, quae ipse commemoras*, ep. CXXXIII, 11 *te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse.*

§. 6. * *habebam, quo confugerem*, cf. ep. XCIV, 25. — *etiam illa*, vulnera.

§. 10. * *ante*, quam Caesar redierit ex Hispania.

tibi amiciss. et quia Sulpicius cos. M. Marcello collegae, Caesari Gallias ante diem eripere conanti, restiterat, pacisque semper auctor fuerat, et quia eius filius in Caesaris praesidiis fuerat. ad Att. IX, 18. X, 3. *Manut.*

ita sit, magnae tamen est deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu et beneficio quiescendi.

EPISTOLA CXXXVII. (Ad Div. IV. 12.)

Scr. Athenis pr. Kal. Iun. A. U. C. 708.

SER. SULPICIUS M. CICERONI S. D.

1 Etsi scio, non iucundissimum me nuntium vobis allaturum, tamen, quoniam casus et natura in nobis dominatur, visum est faciendum, 2 quoquo modo res se haberet, vos certiores facere. Ante diem X. Kalendas Iunias, quum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem, ibi Marcellum, collegam nostrum, conveni, eumque diem ibi con- 3 sumpsi, ut cum eo essem. Postero die, quum ab eo digressus essem, eo consilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem reliquamque iurisdictionem absolverem, ille, ut aiebat, supra Maleam in Ita- 4 liam versus navigaturus erat. Post diem tertium eius diei, quum ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter hora decima noctis, P. Postumius, familiaris eius, ad me venit, et mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam nostrum, post coenae tempus a P. Magio Cilone, familiare eius, pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem; sperare tamen eum vivere posse; Magium se ipsum interfecisse; postea se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret et 5 rogaret, uti medicos. Coëgi, et e vestigio eo sum profectus prima luce. Quum non longe a Piraeeo abessem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptum, paullo ante lucem Mar- 6 cellum diem suum obisse. Ita vir clarissimus ab homine deterrimo acerbissima morte est affectus; et cui inimici propter dignitatem pe- 7 percerant, inventus est amicus, qui ei mortem offerret. Ego tamen

§. 1. * *vos certiores facere;* dicendum erat ex Ciceronis more *ut vos certiores facerem,* sed vide ad ep. CXXXIII, 5.

§. 2. * *Marcellum,* cf. ep. CX. — *collegam nostrum* in consulatu.

§. 4. * *a P. Magio Cilone — percussum esse.* Erant, qui dicerent, Caesaris iussu eum interfectum esse, cf. autem Cic. ad Att. XIII, 10, 3. *Per litteras purgat* (Brutus) *Caesarem de interitu Marcelli; in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. Nunc vero, quum de Magio constet, nonne furor eius causam omnem sustinet?*

* *uti medicos,* scil. *cogerem,* quod ex seq. *coëgi* est repetendum. Similem locum laudavit Süpfl. ad Att. XVI, 11, 4. *de tertio pollicetur se deinceps* (scil. *scripturum esse*): *sed nihil scripsit.*

§. 5. *Acidini,* Manlii Ac. qui Sulpicii procos. legatus fuisse videtur Ernestio. * Veri est similius, comparato loco ad Att. XII, 32, 2., Manlium Acidinum Athenis litterarum studiis vacasse.

§. 6. * *inimici,* Caesar. — *mortem offerret,* ut pr. Roscio Amer. 13. *qui mortem obtulerit parenti,* ibid. 14. *mortem oblatam esse patri a filio.*

ad tabernaculum eius perrexi. Inveni duos libertos et pauculos servos; reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum, in eadem illa lectica, 8
qua ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum referre; ibique pro ea copia, quae Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi. Ab Atheniensibus, locum sepulturae intra urbem ut 9
darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, uti in quo vellemus gymnasio eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiae locum delegi- 10
mus, ibique eum combussimus, posteaque curavimus, ut eidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quae nostra officia fuerunt, pro collegio et pro propinquitate et vivo et mortuo omnia ei praestitimus. Vale. D. pr. Kal. Iun. Athenis.

EPISTOLA CXXXVIII. (Ad Div. V. 14.)

Scr. Romae mense Iunio A. U. C. 708.

L. LUCCEIUS Q. F. S. D. M. TULLIO M. F.

Si vales, bene est: ego valeo, sicut soleo, paullulo tamen etiam 1
deterius, quam soleo. Te requisivi saepius ut viderem: Romae quia postea non fuisti, quam decesserat, miratus sum; quod item nunc miror. Non habeo certum, quae te res hinc maxime retrahat. Si 2
solitudine delectare, quum scribas et aliquid agas eorum, quorum consuesti, gaudeo, neque reprehendo tuum consilium; nam nihil isto potest esse iucundius, non modo miseris his temporibus et luctuosis, sed etiam tranquillis et optatis, praesertim animo vel defatigato tuo, qui nunc requietem quaerat ex magnis occupationibus, vel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, ipsum laudibus illustret. Sin autem, sicut hinc discesseras, lacrimis ac tristitiae 3
te tradidisti, doleo, quia doles et angere; non possum tamen te non, si concedis, quod sentimus, ut liberius dicamus, accusare. Quid 4
enim? tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere?

§. 7. **reliquos — profugisse*; servis enim capitale erat, qui dominum non defendissent. *Man.*

§. 9. *intra urbem.* v. Petit, de leg. Att. p. 595. ed. Wessel.

[*quod — dicerent*, pro quod religione impedirentur, ut dicebant. Vid. *Zumptii Gramm. lat.* §. 78, 7. not. 2. *Ramshorn. Gr.* p. 624. 6.]

*Ep. CXXXVIII. *L. Lucceius*, cf. ep. CXXXIV.

§. 1. **decesserat*, Tullia.

[§. 2. *quorum consuesti*, non est graeca figura pro *quae agere consuesti*, sed supplendum *quorum* aliquid scribere *cons.* vid. *Ramshorn. Gramm.* p. 357. f.]

non intelliges, duplicari sollicitudines, quas levare te tua prudentia
5 postulat? Quodsi non possimus aliquid proficere suadendo, gratia contendimus et rogando, si quid nostra causa vis, ut istis te molestiis laxes et ad convictum nostrum redeas et ad consuetudinem vel
6 nostram communem vel tuam solius ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio; cupio deterrere, ne permaneas in incepto. Nunc duae res istae contrariae me conturbant, ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas.

EPISTOLA CXXXIX. (Ad Div. V. 15.)

Scr. in Antiati mense Iunio A. U. C. 708.

M. CICERO L. LUCCEIO, Q. F., S.

1 Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in iis litteris, quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus et optatus: dicerem „iucundus," nisi id verbum in omne tem-
2 pus perdidissem. Neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, et in qua me lenissimis et amantissimis verbis utens re graviter accusas, sed quod, illius tanti vulneris quae remedia esse debebant,
3 ea nulla sunt. Quid enim? ad amicosne confugiam? Quam multi sunt? Habuimus enim fere communes; quorum alii occiderunt, alii, nescio quo pacto, obduruerunt. Tecum vivere posse me equidem maxime vellem: vetustas, amor, consuetudo, studia paria; quod vin-
4 clum quasi deest nostrae coniunctionis? Possumusne igitur esse una? Nec mehercule intelligo, quid impediat; sed certe adhuc non fuimus, quum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano: nam quid dicam in urbe? in qua, quum forum commune sit, vicinitas non requiritur.
5 Sed casu nescio quo in ea tempora nostra aetas incidit, ut, quum maxime florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato et domesticis et forensibus orna-

§. 5. * *si quid nostra causa vis*, cf. ep. CXXXIII, 13. *da hoc illi mortuae; da ceteris amicis et familiaribus, qui tuo dolore maerent.*

[§. 6. *in altera*, ne permaneas in inc. *in altera*, si non delectare nostro studio. *non offendas*, non molestiae aliquid capias.]

Ep. CXXXIX. §. 1. * *iucundus*, vid. ep. CXXXVI, 2.

§. 2. *ob eam unam causam*, mortem filiae.

[§. 3. *vetustas*, vetus notitia. X, 10. XI, 16. (27. i. e. infra 152, 3. et 167, 5.) XIII, 32. *Manut.*]

* *quasi* saepe apud Ciceronem verbis additur, quibus non proprie utitur. Alii legunt *quaese.*

§. 5. *ornamentis.* Ornamenta erant et *domestica*, Tullia filia, et *forensia*, quae commemorat ep. 135, 5. *solatia* item et *domestica*, filia, quae de amissa dignitate et perdita rep. domi eum consolaretur, ep. 135, 6. 7. et *forensia*, quum ad remp. ece-

mentis atque solatiis? Litterae, credo, quibus utor assidue: quid enim aliud facere possum? Sed nescio, quomodo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur, et quasi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare 6 possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae? Itaque sic litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab iis medicinam perpetuam, sed ut exiguam oblivionem doloris petam. Quod 7 si egissemus ego atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus, ut omne tempus una fuissemus, neque me valetudo tua offenderet, neque te maeror meus. Quod quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utrique nostrum aptius? Propediem te igitur videbo.

EPISTOLA CXL. (Ad Div. VI. 21.)

Scr. videtur in Tusculano mense Quintili A. U. C. 708.

CICERO THORANIO S.

Etsi, quum haec ad te scribebam, aut appropinquare exitus huius 1 calamitosissimi belli, aut iam aliquid actum et confectum videbatur, tamen quotidie commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem et me tibi, solosque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusa, ipsa victoria futura esset acerbissima, quae aut interitum allatura esset, si victus esses, aut, si vicisses, servitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri et sapien- 2 tes, Domitii et Lentuli, timidum esse dicebant: (eram plane; timebam enim, ne evenirent ea, quae acciderunt) idem nunc nihil timeo et ad omnem eventum paratus sum. Quum aliquid videbatur caveri posse, 3 tum id negligi dolebam; nunc vero, eversis omnibus rebus, quum consilio profici nihil possit, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre

fugeret, ut in eius bonis acquiesceret, vid. ep. 135, 4.

* *quibus utor assidue*; scripsit Cicero h. o. consolationem, libros de finibus bonorum et malorum, Academicas quaestiones.

§. 6. * *Hic*, i. e. quae quum ita sint, cum indignatione quadam. Sic ad Div. VII, 13. *Hic tu me etiam insimulas nec satisfactionem meam accipis.* cf. ep. XLI, 24.

§. 7. * *valetudo tua*, cf. epist. CXXXIX, 1.

[Ep. CXL. §. 1. *commemorabam*, memoria repetebam. Cat. m. 11. *Pythagoreorum more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Cort.*]

* *ipsa victoria*, cf. ep. CVI, 5.

§. 2. * *Domitii et Lentuli*, L. Domitius Ahenobarbus et L. Lentulus Crus. Pluralis pro singulari numero, quod non ii soli, sed multi quoque eorum similes intelliguntur; cf. Mart. VIII, 56. *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

moderate, praesertim quum omnium rerum mors sit extremum, et mihi sim conscius, me, quoad licuerit, dignitati rei publicae consu-
4 luisse et hac amissa salutem retinere noluisse. Haec scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui coniunctissima fuisti mecum et sententia et voluntate, eadem cogitares. Magna enim consolatio est, quum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen recte vereque
5 sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo rei publicae statu nos frui, inter nosque conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus tum, quum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quae facta
6 sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas, praeter universae rei publicae interitum, tibi confirmo; de me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuae liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum.

EPISTOLA CXLI. (Ad Div. IX. 8.)

Scr. in Arpinati prid. Non. Sextil. A. U. C. 708.

CICERO VARRONI.

1 Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus, tamen ego exspectatione promissi tui mo-
2 veor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quattuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto os adolescentioris Academiae. Ex ea igitur media excitatos misi, qui metuo, ne
3 te forte flagitent; ego autem mandavi, ut rogarent. Exspectabam omnino iamdiu, meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere. Sed, quum tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius, teneri non potui quin coniunctionem studiorum amo-
4 risque nostri quo possem litterarum genere declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, quum esset una Pomponius. Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi vide-

§. 3. * *quum omnium rerum mors sit extremum,* cf. Virg. Ecl. III, 80. *Triste lupus stabulis.*

§. 5. * *inter nosque conferre,* id quod tum non licebat, Thoranius enim exsul erat in Sicilia necdum veniam impetraverat Romam redeundi.

[Ep. CXLI. §. 2. *quatuor admon.* quatuor libros Academicarum disp.]

* *os,* impudentiam; in Pison. 26. *os tuum ferreum.* ad Div. V, 10. *si mehercule Appii os haberem — tamen hoc sustinere non possem.*

* *adolescentioris Academiae,* cuius princeps Arcesilas contra omnia semper dicebat atque audebat affirmare, nihil posse percipi. Ex *Man.*

§. 4. *Antiochinas,* Antiochi Ascalonitae, auctoris Academiae quintae, quae ad Stoicorum rationem propius accedebat. *Philo,* Clitomachi discipulus, quartae Academiae auctor. Vid. Fabric. B. G. T. III. p. 161. 181. ed. Harl.

bar, mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, quum legeris, mirere, 5
nos id locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus. Sed
nosti morem dialogorum. Posthaec autem, mi Varro, quam plurima, 6
si videtur, et de nobis inter nos: sero fortasse; sed superiorum tem-
porum Fortuna rei publicae causam sustineat: haec ipsi praestare
debemus. Atque utinam quietis temporibus atque aliquo, si non 7
bono, at saltem certo statu civitatis haec inter nos studia exercere
possemus! Quamquam tum quidem vel aliae quaepiam rationes hone-
stas nobis et curas et actiones darent; nunc autem quid est, sine
his cur vivere velimus? Mihi vero cum his ipsis vix, his autem de-
tractis ne vix quidem. Sed haec coram et saepius. Migrationem et 8
emptionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re consilium probo.
Cura ut valeas.

EPISTOLA CXLII. (Ad Div. VI. 20.)

Scr. Asturae exeunte Sext. A. U. C. 708.

CICERO THORANIO S.

Dederam triduo ante pueris Cn. Plancii litteras ad te; eo nunc 1
ero brevior teque, ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil 2
puto tibi esse utilius, quam ibidem opperiri, quoad scire possis, quid
tibi agendum sit. Nam praeter navigationis longae et hiemalis et mi-
nime portuosae periculum, quod vitaveris, ne illud quidem non quan-
tivis, subito, quum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci.
Nihil est praeterea, cur adventibus te offerre gestias. Multa praeterea 3

[§. 6. *super. temp. fort. reip.* i. e. fortuna reip. quae superioribus temporibus fuit. Vid. ad Catil. 1. §. 12. Sic pro Sext. 6, 15. *superioris anni reip. naufragium*, quod durum videbatur Ern. Cf. ep. 167, 7. ad Fam. XIII, 5. *Eius et Syllani temporis iniustissima calamitate dolui, et — adiutor incolumitatis fui.* Cf. ep. 167, 7.]

* *haec*, quae nunc erit inter nos studiorum amorisque coniunctio. Itaque etiam *superiorum temporum*, ut haec recte opponantur, retulerim potius ad *causam*. — *praestare*, cf. ep. XLIV, 4.

§. 7. * *sine his*, litterarum studiis et doctrina.

[§. 8. *migrationem*, in domum nuper emptam. *Manut.* Est hysteron proteron. Vid. *Ramshorn. Gramm.* p. 701. 3.]

Ep. CXLII. *Thoranius* Pompeianus Caesari ex Hispaniis redeunti obviam ire in animo habuerat, et eo consilio iam in Corcyram, ubi Plancius exsulabat, se contulerat. * cf. ep. CXL.

§. 2. * *ibidem*, Corcyrae. — *non quantivis*, sed maximi momenti.

[*minime portuosae.* Caes. b. civ. III, 12. *summa erat vasto atque aperto mari, magnis aestibus, raris ac prope nullis portibus, difficultas navigandi. Cort.*]

§. 3. * *adventibus* Caesaris et Caesarianorum. Saepe enim numerus plural. nominum abstractorum aut certae rei varia genera et rationes, aut, velut h. l., eandem rem in variis hominibus, locis, temporibus variam significat. Similes locos *Süpfle* ad h. l. attulit: Cic. in Pis. 22. *quid dicam adventus meos?* (scil. in sin-

4 metuo, quae cum Cilone nostro communicavi. Quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunque opus erit, facillime et expeditissime conferas. Quodsi recipiet ille se, ad tempus aderis. Sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum vel impediet vel morabitur, tu ibi eris, ubi omnia scire
5 possis. Hoc mihi prorsus valde placet. De reliquo, ut te saepe per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit, praeter communem casum civitatis; qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus, et id aetatis iam sumus, ut omnia, quae non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debea-
6 mus. Hic tui omnes valent summaque pietate te desiderant et diligunt et colunt. Tu cura, ut valeas et te istinc ne temere commoveas.

EPISTOLA CXLIII. (Ad Div. XIII. 4.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 708.

M. T. CICERO Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, LEG. PROPRAET. S. D.

1 Cum municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est; magno enim meo beneficio affecti cumulatissime mihi gratiam rettulerunt;
2 nam nec honoribus meis neque laboribus unquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen, quod te vehementissime diligo, quodque me a te plurimi fieri sentio, et monerem te et hortarer, ut eorum fortunis consuleres, praesertim quum prope praecipuam causam haberent ad ius obtinendum: primum quod Sullani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate subterfugerunt; deinde, quod summo studio populi Romani a me in consulatu meo

gulis Italiae oppidis) et pr. Arch. 3.: *in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae sic eius adventus celebrabantur.*

§. 6. * *summaque pietate*; filius eius C. Thoranius postea tanta fuit impietate, ut patrem, proscriptum a triumviris, percussoribus proderet. *Valer. Max.* IX, 11, 5.

[Ep. CXLIII. *legato*, praeposito a Caesare agris dividendis. *Manut.*]

§. 1. * *Volaterrae*, oppidum Etruriae. — *magno meo beneficio*, cf. §. 3. — *nec honoribus meis neque laboribus*, cf. epist. CI, §. 5. epist. CXLIV, 8.

§. 2. * *ad ius obtinendum*, ne agri eorum dividantur. *Manut.*

[*Sullani temp. ac.* Strabo V. p. 223. A. B. *Τῶν δὲ Οὐαλατερράνων ἡ μὲν χώρα κλύζεται τῇ θαλάττῃ, τὸ δὲ κτίσμα ἐν φάραγγι βαθείᾳ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς περίκρημνος πάντῃ, τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος, ἐφ' ᾗ ἵδρυται τὸ τεῖχος τῆς πόλεως. — ἐνταῦθα συνέστησάν τινες τῶν Τυρρηνῶν, καὶ τῶν προγεγραμμένων ὑπὸ Σύλλα, πληρώσαντες δὲ τέτταρα τάγματα στρατιᾶς, διετῆ χρόνον ἐπολιορκήθησαν, εἶθ' ὑπέσπονδοι παρεχώρησαν τοῦ τόπου.* Cf. Liv. epit. L. 89. Monuit Cortius.]

* *subterfugerunt*, nam agrum eorum Sulla publicarat neque diviserat, cf. ep. XII, 5.

defensi sunt. Quum enim tribuni plebis legem iniquissimam de eorum 3
agris promulgavissent, facile senatui populoque Romano persuasi, ut
eos cives, quibus fortuna pepercisset, salvos esse vellent. Hanc actio- 4
nem meam C. Caesar primo suo consulatu lege agraria comprobavit,
agrumque Volaterranum et oppidum omni periculo in perpetuum libe-
ravit, ut mihi dubium non sit, quin is, qui novas necessitudines ad-
iungat, vetera sua beneficia conservari velit. Quamobrem est tuae 5
prudentiae, aut sequi eius auctoritatem, cuius sectam atque imperium
summa cum tua dignitate secutus es, aut certe illi integram omnem
causam reservare. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, 6
tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in
perpetuum obligari velis. Sed haec, quae supra scripta sunt, eo 7
spectant, ut te horter et suadeam. Reliqua sunt, quae pertinent ad
rogandum, ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes,
sed etiam quod mihi opus sit, me a te petere et rogare. Gratis- 8
simum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros
incolumesque esse volueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, for-
tunas, quae et a diis immortalibus et a praestantissimis in nostra re
publica civibus summo senatus populique Romani studio conservatae
sunt, tuae fidei, iustitiae bonitatique commendo. Si pro meis pristi- 9
nis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere
possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos, nullum offi-
cium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prae-
termitterem. Sed, quoniam apud te nihilo minus hoc tempore valere 10
me confido, quam valuerim semper apud omnes, pro nostra summa
necessitudine parique inter nos et mutua benevolentia abs te peto, ut
ita de Volaterranis mereare, ut existiment, eum quasi divino consilio
isti negotio praepositum esse, apud quem unum nos, eorum perpetui
defensores, plurimum valere possemus.

§. 3. *tribuni pl.* imprimis Rullus, contra quem exstant tres Ciceronis orationes de lege agraria.

§. 4. * *lege agraria*, qua Campanum agrum et Stellatem viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent, divisit. *Ern.*

§. 5. * *integram*, cf. ep. V, 17. XLI, 22. CXLIV, 5.

[§. 8. *Voluero, potuero, licuerit* (ep. 31, 4. Cf. ad Fam. X, 31 extr. Phil. II, 21, 51) et sim. pronuntur, ubi futuris quoque primis, *volam, potero, licebit* locus est, quum haec verba natura sua actionem continuatam significent. Sed quia id respicitur, quod voluntas, et potestas praecedere etiam ipsam actionem debent, futurum exactum ponunt, ut in orat. obliqua plusquamperf. coni. ut Or. II, 2, 7. 49, 200. III, 35, 140. Caes. b. civ. I, 68 extr.]

* *a praestantissimis — civibus*, Caesare, Cicerone.

§. 10. * *apud omnes*, fortasse *apud bonos omnes. Orell.* — *isti negotio*, agris dividendis.

EPISTOLA CXLIV. (Ad Div. XIII. 7.)

Scr. Romae eodem mense A. U. C. 708.

M. T. CICERO CLUVIO S. P. D.

1 Quum in Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine, quae tua summa in me observantia, ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia, quan-
2 toque opere eius municipii causa laborarem, tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, quum et maxima res municipii honestissimi mihique coniunctissimi et summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari existimavi, me oportere ad te accuratius scribere, etsi non sum nescius, et quae temporum ratio et quae tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Caesare, non iudicium, praeclare
3 intelligo. Quare a te tantum peto, quantum et te facere posse et libenter mea causa facturum esse arbitror. Et primum velim existimes, quod res est, municipii fortunas omnes in isto vectigali consistere, his autem temporibus hoc municipium, maximis oneribus pres-
4 sum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune videtur esse cum multis, tamen mihi crede singulares huic municipio calamitates accidisse, quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum
5 necessariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, nisi magnam spem haberem, C. Caesari nos causam municipii probaturos, non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem. Sed quia confido mihique persuasi, illum et dignitatis municipii et aequitatis et etiam voluntatis erga se habiturum esse rationem, ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram con-
6 servares. Quod etsi nihilo minus a te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse, tamen maiorem spem impetrandi nactus sum, postea-
7 quam mihi dictum est, hoc idem a te Regienses impetravisse; qui etsi te aliqua necessitudine attingunt, tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis, praesertim quum ego pro his unis petam, habeam autem, qui
8 simili causa laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua levi ambitione commotum a te contendere, etsi te existimare arbitror, tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum; nullum unquam fuisse tempus neque honorum nec laborum meorum, in quo non huius municipii studium in
9 me exstiterit singulare. Quapropter a te etiam atque etiam, pro nostra

Ep. CXLIV. *Cluvio*, Puteolano, quem Caesar agro in Gallia Cisalpina militibus dividendo praefecerat.

§. 3. * *quod res est*, idem fere quod ep. LXIII, 5. *quod caput est*, cf. ep. CXIII, 11.

§. 4. *homines, quos nolo*, Caesarianos.

§. 6. *Regienses*, municipes Regii Lepidi in Gallia Cisalpina.

§. 8. * *neque honorum nec laborum*, cf. ad ep. CXLIII, 1.

summa coniunctione proque tua in me perpetua et maxima benevolentia, maiorem in modum peto atque contendo, ut, quum fortunas agi eius municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine, officiis, benevolentia coniunctissimum, id mihi des. Quod erit huiusmodi, ut, si a Caesare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus, sin minus, pro eo tamen id habeamus, quoniam a te data sit opera, ut impetraremus. Hoc quum mihi gratissimum feceris, tum viros optimos, homines honestissimos eosdemque gratissimos et tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris. 10

EPISTOLA CXLV. (Ad Div. XII. 18.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 708.

CICERO, CORNIFICIO COLLEGAE S. D.

Quod extremum fuit in ea epistola, quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. Animum advorti enim, hoc vos magnos oratores facere nonnunquam. Epistolas requiris meas; ego autem nunquam, quum mihi denuntiatum esset a tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante quam scisses, quo iste nescio qui Caecilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum, id ego et speraram prudentia tua fretus, et, ut confiderem, fecerunt tuae gratissimae mihi litterae; idque ut facias quam saepissime, ut, et quid tu agas, et quid agatur, scire possim, et etiam quid acturus sis, valde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo, te a me digredi, tamen eo tempore me consolabar, quod et in summum otium te ire arbitrabar, et ab impendentibus magnis negotiis discedere. Utrumque contra accidit: istic enim bellum est exortum, hic pax consecuta; sed tamen eiusmodi pax, in qua, si adesses, multa 1 2 3

§. 9. **id mihi des*, cf. ep. CXXXIII, 13. *da hoc illae mortuae, da ceteris amicis ac familiaribus, da patriae.* — *impetrarimus*, ne ager vectigalis Atellanorum dividatur.

Ep. CXLV. *Cornificio collegae* in auguratu. *Drumann. II. 619. ostendit, Q. Cornificium tunc in Asia fuisse, missum a Caesare sine imperio; postea, ut ex ep. ad Div. XII, 19. intelligitur, Syriam provinciam ei tributam esse, ex qua Caecilio Basso nondum victo a. 709. decessit, C. Calvisio in Africa successurus.

[§. 1. *vos magnos or.* Scripserat Cornif. de arte dicendi eique Quintilian. rhetorica ad Herenn. tribuit.] *cf. ad Div. XII, 17. *me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius* etc.

**ire aliquem* ad te in Asiam.

§. 2. *Caecilius Bassus*, qui tunc seditionem fecerat in Syria. *Quum enim post pugnam Pharsaliam veniam a Caesare impetrasset, in Asia, tanquam Mithridati Pergameno opem laturus, exercitum coëgerat, quo usus S. Iulium Caesarem, Syriae propraetorem et Caesaris propinquum, ex provincia depulit et interfecit.

[§. 3. *in summum otium*, in Africam pacatam victoria Caesaris.] *In Asiam potius, v. supra.

[§. 3. *istic*, in Syria, quam novam provinciam Cornificio tribuerat Caesar ad Fam. XII, 19.]

te non delectarent; ea tamen, quae ne ipsum Caesarem quidem delectant. Bellorum enim civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae velit victor, sed etiam, ut iis mos gerendus sit, quibus
4 adiutoribus sit parta victoria. Equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii et Publii poemata. Nihil mihi tam deesse scito, quam quicum haec familiariter docteque rideam. Is tu eris, si quam primum veneris. Quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror.

EPISTOLA CXLVI. (Ad Att. XIII. 52.)

Scr. in Puteolano post tertia Saturnalia XII. Kal. Ian. A. U. C. 708.

CICERO ATTICO S.

1 O' hospitem mihi tam gravem! Ἀμεταμέλητον: fuit enim periucunde. Sed quum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi coenaturus ipse
2 Caesar esset, vacaret, quippe hominum CIↃ CIↃ. Sane sum commotus, quid futurum esset postridie; ac mihi Barba Cassius subvenit: custodes dedit. Castra in agro; villa defensa est. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII., nec quemquam admisit; —
3 rationes opinor cum Balbo. — Inde ambulavit in litore. Post horam VIII. in balneum; tum audivit de Mamurra; vultum non mutavit. Unctus est; accubuit; ἐμετικὴν agebat. Itaque et edit et bibit ἀδεῶς

§. 4. *ludis*, quos Caesar edidit victor ex Hispania reversus. *T. Plancum* Bursam, Ciceronis inimicum, lege de vi ob curiam, caeso Clodio, incensam a Cicerone accusatum et damnatum, a Caesare restitutum. *Laberii et Publii* Syri *poemata*, mimos. Sueton. Caes. 39. Macrob. Saturn. II, 7.

§. 1. *hospitem*, Caesarem ex Hispania reversum.

**fuit enim periucunde*, cf. pro Deiot. 7. *quum in convivio comiter et iucunde fuisses.*

secundis Saturn. XIII. Kal. Ianuar.

Philippum L. Marcium Phil. qui Atiam, Iulia Caesaris sorore natam, in matrimonio habebat, vitricum Octavii; eius erat Puteolanum Ciceronis villae vicinum.

§. 2. **postridie*, quo die apud Ciceronem Caesar erat coenaturus.

Barba Cassius inter naufragia Caesaris amicorum memoratur Phil. XIII, 2. (Quaestor Antonii apud Appianum b. civ. V, 31. p. 751, fuit Barbatius.)

**villa defensa est*, milites a custodibus prohibiti sunt, quominus villam intrarent.

ad horam VII. Quum veteres dierum spatia a nostra hora sexta matutina ad sextam vespertinam numerarent, ita ut singuli dies duodenis horis constarent, quae crescente et decrescente die longiores erant aut breviores, nostra vero hora duodecima semper responderet illorum horae sextae, hora VII. est circiter nostra prima post meridiem.

§. 3. *in balneum*, quod ei praebuit Cicero.

Mamurra praefectus fabrum Caesaris fuerat in Gallia, homo impurus et luxuriosissimus (Plin. H. N. 36, 6.), quem cum amico Caesare contumeliosis carminibus laceravit Catullus ep. 29 et 57. cf. ad Att. VII, 7.

ἐμετικὴν agebat, id est vomere volebat post coenam, ideoque largius edebat. Vide pro Deiot. c. 7.

et iucunde; opipare sane et apparate; nec id solum sed

bene cocto,

Condito, sermone bono, et, si quaeri', libenter.

Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτόν valde copiose. Libertis minus lautis servisque nihil defuit. Nam lautiores eleganter accepti. Quid multa? Homines visi sumus. Hospes tamen non is, cui diceres: „amabo te, eodem ad me quum revertere." Semel satis est. Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone: φιλόλογα multa. Quid quaeris? Delectatus 4
est, et libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hospitium, sive ἐπισταθμίαν odiosam; mihi, dixi, non molestam. Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae villam quum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi. Hoc ex Nicia.

EPISTOLA CXLVII. (Ad Att. XIV. 12.)

Scr. Puteolis X. Kal. Maii A. U. C. 709.

CICERO ATTICO S.

O mi Attice, vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint praeter 1
laetitiam et odii poenam ac doloris. Quae mihi istinc afferuntur? Quae hic video? Ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Caesar, neque me invito; etsi Latinitas erat non ferenda; verumtamen.... Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, 2
a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani; cuius rei, vivo illo, mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? Dignus

bene cocto. Versus sunt Lucilii. v. de Fin. II, 8.

§. 4. **homines visi sumus*, cum laudis quadam significatione. *Habes*, i. e. audisti, accepisti. Cf. ep. XLI, 57.

nec usquam alibi honoris causa.

**ex Nicia*, Curtio N., grammatico, qui tunc apud Dolabellam erat.

§. 1. *Idus Mart.*, quibus occisus fuerat Caesar. *odii poenam*, quam ab illo sumpsimus, ut odio eius nostro et dolori ob ereptam libertatem satisfaceremus. Or. I, 51. *iracundia est cupiditas puniendi doloris.* Mil. 13. *fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui.* cf. ep. 151, 3.

**clientelam*, in quam eos accepit, ex quo Verrem accusaverat. — *multa illis Caesar* largitus est.

Latinitas, ius Latii Siculis a Caesare concessum.

§. 2. *fixit legem.* Phil. II, 36. *inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis universis; civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur.* Ib. V, 4. *decreta falsa vendebat, regna, civitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi. Haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat.*

Deiotari, cui Armeniam minorem, a Caesare ademtam, mox Caesare mortuo, Antonius quasi e Caesaris commentariis restituerat. Phil. II, 37.

ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Sexcenta simila.
3 Verum illuc referor: tam claram tamque testatam rem tamque iustam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte? et eo quidem magis, qu
4 iste plura? Nobiscum hic perhonorifice et peramice Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem; quem nego posse esse bonum civem: ita multi circumstant, qui quidem
5 nostris mortem minitantur, negant haec ferri posse. Quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt! Qui quidem semper erunt clari, conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, iacebimus. Itaque exire aveo, *ubi nec Pe-*
6 *lopidarum*, inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret. Sed hoc meae nimiae facilitatis. Nam id erat quondam quasi necesse;
7 nunc, quoquo modo se res habet, non est item. Quamquam dudum nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, non ut delectem his litteris, sed ut eliciam tuas. Tu, si quid erit de ceteris; de Bruto utique, quidquid. Haec conscripsi x. Kal. accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

EPISTOLA CXLVIII. (Ad Att. XIV. 13.)

Scr. Puteolis VI. Kal. Maii A. U. C. 709.

CICERO ATTICO S.

1 Septimo denique die litterae mihi redditae sunt, quae erant a te XIII. Kal. datae; quibus quaeris atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis prospectuque, an ambulatione ἀλιτενεῖ

per Fulviam, uxorem primo P. Clodii, deinde C. Curionis, postremo M. Antonii.

§. 3. *Buthrotiam*, vid. epist. 154. Buthrotus urbs erat Epiri.

* *quo iste plura* omnibus largitur tamquam ex actis Caesaris; de Buthrotia vero liberalissimum Caesaris decretum exstat.

§. 4. *Philippus*. v. ad epist. 146, 1. Quum enim lex curiata de Octavii adoptione nondum lata esset, cognomen Caesaris iure sibi adsciscere non poterat.

**nostris*, Bruto, Cassio, reliquis Caesaris percussoribus. — *haec*, Caesaris dictatoris caedem.

§. 5. *ubi nec Pelopid.* Versus Attii e tragoedia, quae inscripta erat Atreus. Integer legitur ad Att. XV, 11. *ubi Nec Pelopidarum facta neque famam audiam.*

* *inquit*, poëta.

§. 6. *hos designatos*, Hirtium et Pansam.

**declamare*, cf. ep. CV, 12. *Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habeo.*

apud aquas, Puteolanas.

§. 7. **ut delectem*, omisso *te*. Similes locos attulit *Süpfl.* ep. XL, 3. *litterae vero eius — incredibiliter delectarunt.* ep. CXIV, 14. *res sunt eiusmodi, ut, si Romae sis, nihil praeter tuos delectare possit.*

Vestorium, argentarium Puteolanum.

§. 1. *tumulis prospectuque*, ut in Arpinati.

delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amoenitas, 2
ut dubitem, utra anteponenda sit.

- - ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν·
ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
δείδιμεν· ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι —

Quamvis enim tu magna et mihi iucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video, tamen, si est bellum civile futurum, quod certe erit, si Sextus in armis permanebit, quem permansurum esse certo scio; quid nobis faciendum sit, ignoro. Neque 3
enim iam licebit, quod Caesaris bello licuit, neque huc, neque illuc: quemcunque enim haec pars perditorum laetatum Caesaris morte putabit, (laetitiam autem apertissime tulimus omnes) hunc in hostium numero habebit; quae res ad caedem maximam spectat. Restat, ut 4
in castra Sexti, aut, si forte, Bruti nos conferamus. Res odiosa et aliena nostris aetatibus, et incerto exitu belli; et nescio quo pacto tibi ego possim, mihi tu dicere,

Τέκνον ἐμὸν, οὗτοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Sed haec fors viderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio 5
potest. Nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus et accidisse hominibus meminerimus, nosque quum multum litterae, tum non minimum Idus quoque Martiae consolentur. Suscipe nunc meam deliberationem, qua 6
sollicitor: ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? Caedis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod rei publicae defuerim tam gravi tempore. Sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine, sed accidere posse suspicor, ut 7
prodesse possim rei publicae. Iam illa consilia privata sunt, quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire; nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari ab Caesare. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis.

§. 2. *ἀλλ' οὐ δαιτός.* Sunt verba Ulyssis Il. *ι*, 228.

adventu, in Galliam citeriorem, quam provinciam D. Bruto Caesar assignaverat, post eius caedem senatus confirmaverat.

Sextus Pompeius, qui post proelium ad Mundam in ulteriorem Hispaniam se receperat.

[§. 4. *si forte*, si quis casus ita tulerit. Cf. orat. III, 12, 47. Mil. 38, 104. Cf. Wyttenb. ad Plut. p. 751.]

Τέκνον ἐμόν. Sunt verba Iovis ad Venerem Il. *ε*. 428. *οὗτοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται π. ἔ.* in quibus Cicero *λόγοιο* pro *γάμοιο* posuit.

§. 6. **legatus* libera legatione, qua senatoribus, qui non publicae sed privatae rei causa in provincias proficiscebantur, ius concedebatur magistratuum et lictores; cf. Cic. de leg. III, 8, 18. ad Att. XV, 11, 4. Cicero hanc legationem liberam a Caesare petierat, ut filium viseret.

§. 7. *Ciceronis* filii, qui tum Athenis litteris operam dabat.

8 Redeo nunc ad epistolam tuam. Scribis enim esse rumores, me, ad lacum quod habeo, venditurum, minusculam vero villam [utique] Quinto traditurum vel impenso pretio, quo introducatur, ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquillia. Ego vero de venditione nihil cogito, nisi
9 quid, quod magis me delectet, invenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. Satis enim torquetur debitione dotis, in qua mirificas Egnatio gratias agit. A ducenda autem uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quidquam iucundius.

10 Sed haec quoque hactenus. Redeo enim ad miseram, seu nullam potius rem publicam. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodii; quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius litteris cognosces; (misi enim tibi exemplum;) quam dissolute, quam turpiter, quamque ita perniciose, ut nonnunquam Caesar desiderandus esse videatur, facile existimabis. Quae enim Caesar nunquam neque fecisset neque passus
11 esset, ea nunc ex falsis eius commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me praebui. Etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me invito. Itaque mearum quoque litterarum misi tibi exemplum.

A.

ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

1 *Occupationibus est factum meis et subita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. Quam ob causam vereor, ne absentia mea levior sit apud te. Quodsi bonitas tua responderit*
2 *iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A Caesare petii, ut Sex. Clodium restitueret; impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses. Quo magis laboro,*
3 *ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quod si duriorem te eius miserae et afflictae fortunae praebes, non contendam ego*

§. 8. *ad lacum quod h.* praedium in agro Cumano ad lacum Lucrinum.

quo introducatur — dot. Aqu. ut eo ducatur Aquilia, quam Quintus pater ducere in animo habebat, eique illa villa dotis cautio sit.

* *quod magis me delectet,* quam ea villa.

§. 9. *debitione dotis,* quam debet Pomponiae repudiatae. *Egnatio,* trapezitae s. argentario.

§. 10. *Sex. Clodii,* qui exsulabat, condemnatus, quod eo duce populus in curiam P. Clodii corpus contulisset, cremassetque subselliis et mensis et codicibus librariorum; quo igne et ipsa curia et curiae iuncta Porcia basilica flagraverat.

* *ex falsis eius commentariis perferuntur,* nam in commentariis Caesaris delebat et reponebat Antonius arbitratu suo, quum in eo Q. Faberii manu, scribae Caesaris, uteretur. *Man.* cf. ep. CXLVII, 2.

§. 1. * *tua profectione,* in villas, quo non multo post Caesaris caedem abierat.

§. 2. * *per me,* non iam per Caesarem; paullo infra vero §. 3. simulat Caesarem in commentario suo scriptum reliquisse, ut Sex. Clodius restitueretur.

adversus te. Quamquam videor debere tueri commentarium Caesaris. Sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogi- 4
tare vis, facilem profecto te praebebis, et voles P. Clodium, in optima spe puerum repositum, existimare, non te insectatum esse, quum potueris, amicos paternos. Patere, obsecro, te pro re publica 5
videri gessisse simultatem cum patre eius. Non contempseris hanc familiam. Honestius enim et libentius deponimus inimicitias rei publicae nomine susceptas, quam contumaciae. Me deinde sine ad hanc 6
opinionem iam nunc dirigere puerum, et tenero animo eius persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quamquam tuam fortunam, 7
Cicero, ab omni periculo abesse, certum habeo, tamen arbitror, malle te quietam senectutem et honorificam potius agere, quam sollicitam. Postremo meo iure te hoc beneficium rogo. Nihil enim non tua causa 8
feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum; ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.

B.

CICERO ANTONIO COS. S.

Quod mecum per litteras agis, unam ob causam mallem coram 1
egisses. Non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu et oculis et fronte, (ut aiunt,) meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam quum te semper amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio 2
provocatus, tum his temporibus res publica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Litterae vero tuae, quum amantissime, 3
tum honorificentissime scriptae, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te, ita petente, ut inimicum meum necessarium tuum, me invito servare nolles, quum id nullo negotio facere posses. Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto; atque ita, 4
ut me a te, quum iis verbis scripseris, liberalissime atque honorificentissime tractatum existimem; idque quum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati et naturae meae. Nihil enim unquam non modo acerbum in me fuit,

§. 4. *P. Clodium*, privignum Antonii, qui matrem eius Fulviam uxorem duxerat.

§. 5. **cum patre eius*, P. Clodio Pulchro. — *hanc familiam*, Claudiam.

§. 8. **quam sollicitam*, qualis futura esset, si P. Clodius paternas in te inimicitias exerceret.

B. *Hanc epistolam ad se a Cicerone scriptam postea Antonius palam recitavit, quam ob rem eum Cicero acerbe perstringit Philipp. II. 4. *Sch.*

§. 2. **res publica te mihi commend.*, cf. Cic. Phil. I, 1. *omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Praeclara tum oratio M. Antonii: egregia etiam voluntas: pax denique per eum et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est.*

sed ne paullo quidem tristius aut severius, quam necessitas rei publi-
5 *cae postulavit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meum in-*
signe odium fuerit unquam; semperque ita statui, non esse insectandos
inimicorum amicos, praesertim humiliores, nec his praesidiis nosmet
6 *ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbi-*
tror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, iis opinionibus
imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familiis nostris arbitretur.
7 *Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam causam, ille suam de-*
fenderet. Nostras concertationes res publica diiudicavit. Si viveret,
8 *mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare, quoniam hoc*
a me sic petis, ut, quae tua potestas est, ea neges te me invito
usurum, puero quoque hoc a me dabis, si tibi videbitur: non quo
aut aetas nostra ab illius aetate quidquam debeat periculi suspicari,
aut dignitas mea ullam contentionem extimescat, sed ut nosmet ipsi
inter nos coniunctiores simus, quam adhuc fuimus. Interpellantibus
9 *enim his inimicitiis animus tuus magis patuit, quam domus. Sed*
haec hactenus. Illud extremum: ego, quae te velle, quaeque ad
te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio
faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas.

EPISTOLA CXLIX. (Ad Div. IX. 14. Ad Att. XIV. 17.)

Scr. in Pompeiano IV. Non. Maii A. U. C. 709.

CICERO DOLABELLAE COS. SUO S.

1 Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio
2 socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni — convenio autem quotidie plurimos; sunt enim permulti optimi viri, qui

§. 6. * *tuas partes,* quippe vitrici.

§. 7. * *diiudicavit*, quum me, ab illo expulsum, summa cum dignitate restituerit.

[§. 8. *hoc a me dabis*, tanquam a me sumtum, e re pecuniaria ductum, in qua ab aliquo solvere dicimur.]

* *magis patuit, quam domus,* propter Fulviam potissimum, Antonii uxorem, quae Ciceronem infestissimo odio persequebatur.

Ep. CXLIX. *Dolabellae cos.* quem Caesar in Parthos profecturus sibi suffecerat. Cic. Phil. I, 2. *cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerunt, et quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis tectis ac templis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos, taliaque eversio illius exsecratae columnae* (in memoriam Caesaris erectae, v. Suet. Caes. c. 85.), *ut mirum mihi videtur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse.* cf. infra ep. 151. Dio Cass. 44, 51.

valetudinis causa in haec loca veniant, praeterea ex municipiis frequentes necessarii mei, — quin omnes, quum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis praeceptis et consiliis obtemperans praestantissimum te civem et singularem consulem praebeas. Quibus ego 3
quamquam verissime possum respondere, te, quae facias, tuo iudicio et tua sponte facere nec cuiusquam egere consilio, tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur, neque valde nego — sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriae —; et tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi 4
Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem; mihi vero gloriosum, te iuvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. L. quidem Caesar, quum 5
ad eum aegrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante quam me plane salutavit, „o mi Cicero", inquit, „gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salvi esse possemus. Dolabellae vero tuo et gratulor et gratias ago; quem quidem post te consulem solum possum vere consulem dicere." Deinde multa de 6
facto ac de re gesta; tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil rei publicae salutarius; atque haec una vox omnium est. A te autem peto, uti me hanc quasi falsam hereditatem alienae gloriae 7
sinas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quamquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus sum) 8
libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae, laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam quum te 9
semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil

§. 2. **in haec loca,* Pompeianum enim prope aberat Baiis, omnisque ea Campaniae regio propter coeli salubritatem et locorum amoenitatem a Romanis frequentabatur.

**quin omnes — agant*, est leve anacoluthon; quum praecederet *neminem conveni*, proprie dicendum erat *quin agat*.

§. 3. **te iuvenem consulem*; Dolabella enim, si Appiano (II, 509.) fides habetur, annum aetatis XXV. agens consul factus est, ne praetura quidem antea functus.

§. 5. *L. Caesar*, Iuliae, matris M. Antonii, frater, avunculus igitur Antonii.

**quum tantum vales*, i. e. eo, quod tantum valès; cf. Cic. pr. Mil. 36. *te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum.* Terent. Ad. I, 2, 58. *est dis gratia, quum ita ut volo est.*

**vere consulem*, non nomine tantum, sed re. Cf. Cic. de Orat. II, 39. *Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?*

§. 7. **hereditatem — cernere* primo quidem est dispicere ac deliberare de ea adeunda, consultumne sit eam adire an repudiare. Frequentissime autem est, illud decretum suum adeundae hereditatis verbis solemnibus declarare. *Gesn.*

[§. 9. *Forma* movet et ad venerationem quandam animum adducit decora specie et apta partium omnium compositione: *pulchritudo* alli-

10 amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam; tamen Idibus Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse
11 augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar,
12 antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati et gloriae servias? *Proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet, tecum ipse certes. Ne licet quidem tibi iam, tantis rebus
13 gestis, non tui similem esse. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, et quum bonis omnibus,
14 tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae; sed contigit magnitudine quum animi, tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim contionem tuam. Nihil illa sapientius; ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium
15 concessu daret. Liberasti igitur et urbem periculo et civitatem metu, neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. Quo facto intelligere debes, in te positam esse rem publicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos illos viros, a
16 quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu, quoniam rem publicam nosque conservas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.

cit et fruendi cupiditatem gignit. Ex hac distinctione potest aliquid esse formosum, nec tamen pulchrum, et aliquid pulchrum, nec tamen formosum. Itaque formosus senex proprie dicetur, pulcher non item; et contra pulchra oratio, vestis, domus, non formosa. *Manut.*]

[§. 10. *locum augendi*, i. e. ut augeretur. Vid. *Zumpt. gr. lat.* §. 82, 2. not. 2.]

[§. 11. *amare, dilexisse.* ad Fam. XIII, 47. *ut scires eum non a me diligi solum, verum etiam amari.* ad Brut. ap. Nonium *Amare et diligere* (fr. Cic. p. 1065 Ern.) *me aut amabis aut, quo contentus sum, diliges. E Manut.*]

§. 12. **tecum ipse certes*, cf. ep. XIII, 7. *non ut cum aliis, sed ut tecum iam ipse certes.*

§. 14. **accessus a te ad causam facti*, accessisti ad rem narrandam ita pedetentim et gradatim, indeque ita recessisti, non ut impetu quodam et temeritate raptus ad animadvertendum videreris, sed ut ipsa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animadversionem. *Manut.*

EPISTOLA CL. (Ad Att. XIV. 21.)

Scr. Puteolis V. Id. Maii A. U. C. 709.

CICERO ATTICO S.

Quum paulo ante dedissem ad te Cassii tabellario litteras, v. Idus 1
venit noster tabellarius, et quidem, portenti simile, sine tuis litteris. Sed cito conieci, Lanuvii te fuisse. Eros autem festinavit, ut ad me litterae Dolabellae perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat), sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sane luculente. Ad me autem, quum Cassii tabellarium dimisissem, statim 2
Balbus. O dii boni, quam facile perspiceres timere otium! Et nosti virum, quam tectus; sed tamen Antonii consilia narrabat: illum circumire veteranos, ut acta Caesaris sancirent, idque se facturos esse iurarent, ut rata omnes haberent, eaque duumviri omnibus mensibus inspicerent. Questus est etiam de sua invidia; eaque omnis eius oratio 3
fuit, ut amare videretur Antonium. Quid quaeris? Nihil sinceri. Mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra: acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. Quis enim hoc non vidit, regni heredem relictum? Quid autem absurdius: *Hoc metuere, alterum in metu non ponere*? Quin etiam hoc ipso tempore multa *ὑποσόλοικα*. 4
Pontii Neapolitanum a matre tyrannoctoni possideri? Legendus mihi saepius est Cato maior, ad te missus. Amariorem enim me senectus facit; stomachor omnia. Sed mihi quidem *βεβίωται*; viderint iuvenes. Tu mea curabis, ut curas. Haec scripsi, seu dictavi, apposita secunda 5
mensa, apud Vestorium. Postridie apud Hirtium cogitabam, et quidem *πεντέλοιπον*. Sic hominem traducere ad optimates paro. *λῆρος πολύς*. Nemo est istorum, qui otium non timeat. Quare talaria videamus:

§. 1. *de re mea*, de pecunia, quam Dol. Ciceroni debebat. ad Att. XIV, 18.

§. 2. **duumviri*; nempe sicut Tarquinius Superbus duumviros creaverat libris Sibyllinis inspiciendis, sic Antonium Balbus narrabat duumviros creare velle, qui Caesaris acta commentariis comprehensa omnibus mensibus inspicerent. *Sch.*

§. 3. *illa res*, caedes Caesaris. **regni heredem*, M. Antonium.

Hoc metuere — est senarius, quem affert etiam Topic. 13. ubi est *Hunc metuere*. De re cf. ep. 151, 2.

§. 4. *Pontii* Aquilae, qui exosus fuerat Caesari, quod triumphanti et subsellia tribunitia praetervehenti non assurrexisset. *Neapolitanum* fundum *a matre tyr.* a Servilia, Bruti matre, *cui Caesar dono dederat, demtum Pontio.

§. 5. **apud Vestorium*, cf. ad ep. CXLVII, 7.

πεντέλοιπον, reliquum bonum e quinque Caesarianis, penes quos tum summa reipublicae erat, nimirum Lepido, mag. equ., Antonio et Dolabella coss., Hirtio et Pansa coss. design., e quibus unus Hirtius adhuc bonus erat et infensus Antonio. ad Att. XV, 2, 6. *Popma*. Eo facilius, quia solus in illis locis restiterat, traduci poterat ad optimates.

[*talaria*, quibus hinc evolare possimus. *Corr.* Respicitur ad pinnarum talaria Mercurii. *Videamus*, paremus, ut Or. III, 1, 2. ad Att. V, 1. Acad. IV, 30, 97. quae loca affert Victor. Adde

6 quidvis enim potius quam castra. Atticae salutem plurimam velim dicas. Exspecto Octavii contionem et, si quid aliud; maxime autem, ecquid Dolabella tinniat, an in meo nomine tabulas novas fecerit.

EPISTOLA CLI. (Ad Div. XII. 1.)

Scr. exeunte Maio A. U. C. 709.

CICERO CASSIO S.

1 Finem nullam facio, mihi crede, Cassi, de te et de Bruto nostro, id est, de tota re publica cogitandi, cuius omnis spes in vobis est et in D. Bruto. Quam quidem iam habeo ipse meliorem, re publica a Dolabella meo praeclarissime gesta. Manabat enim illud malum urbanum et ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano. Sed ita compressa res est, ut mihi videamur omne iam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri. 2 Reliqua magna sunt ac multa; sed posita omnia in vobis. Quamquam primum quidque explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati videmur: interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. Neque vero id solum, sed etiam, quae ipse ille, si 3 viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec eius quidem rei finem video. Tabulae figuntur; immunitates dantur; pecuniae maximae describuntur, exsules reducuntur; senatus consulta falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri et servitutis dolor depulsus esse videatur, res publica iaceat in his pertur- 4 bationibus, in quas eam ille coniecit. Haec omnia vobis sunt expedienda, nec hoc cogitandum, satis iam habere rem publicam a vobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare; sed contenta non est, et pro magnitudine et animi et beneficii

Tusc. III, 19. extr. Sic Graeci ὁρᾷν. Theocr. 15, 2, ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ. Nos *sich nach etwas umsehen*.]

§. 6. **Octavii contionem*, de qua ep. ad Att. XIV, 20, pridie eius diei data: *exspecto, si, ut putas, L. Antonius* (frater consulis, qui tum tribunus plebis erat) *produxit Octavium, qualis contio fuerit*. Ea contione Octavius hereditatem Caesaris adierat seque eius legata populo Romano soluturum promiserat.

tinniat, pecuniam mihi debitam annumeret.

**an in meo nomine t. n. f.*, an, veluti nomine meo in accepti tabulis deleto, dotem Tulliae solvere nolit.

* Ep. CLI. *Cassio*, qui tum Antii erat.

§. 1. **in D. Bruto*, cf. ep. CXLVIII, 2. — *a Dolabella*, cf. ep. CIL, init. — *sordidissimo periculo*, seditionibus plebis urbanae.

[3. *Tabulae* decretum aliquod Caesaris aut beneficium continentes. — *describuntur*, distribuuntur. Phil. 5, 4, 10. — *referuntur* ad aerarium. Phil. V, 4, 11. *decreta falsa vendebat* Antonius; *regna, civitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi. Haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. Manut.*]

vestri a vobis magna desiderat. Adhuc ulta suas iniurias est per vos interitu tyranni; nihil amplius. Ornamenta vero sua quae reciperavit? An quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? At enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes, quae valent in re publica plurimum; sed immoderate quidam et ingrate nostra facilitate abutuntur. Verum haec propediem et multa alia coram. Interim velim sic tibi persuadeas, mihi quum rei publicae, quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa maximae curae esse tuam dignitatem. Da operam, ut valeas. Vale. 5 6

EPISTOLA CLII. (Ad Div. XI. 27.)

Scr. in Tusculano vel alia villa exeunte Maio A. U. C. 709.

M. CICERO MATIO S.

Nondum satis constitui, molestiaene plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo quum plenus officii, tum utriusque nostrum amantissimus. Nam quum in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore quum esset, mane venit. Quem quum obiurgarem, quod parum valetudini parceret, tum ille, nihil sibi longius fuisse, quam ut me videret. Numquidnam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam; de qua prius quam respondeo, pauca proponam. Quantum memoria repetere praeterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. Sed vetustas habet aliquid commune cum multis; amor non habet. Dilexi te, quo die cognovi, meque a te diligi iudicavi. Tuus deinde discessus, isque diuturnus, ambitio nostra et vitae dissimilitudo non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, quum Caesar esset in Gallia: quod enim vehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Caesari, perfecisti, ut ille me 1 2 3 4

§. 5. [*mortuo paret.* de off. 11, 7, 23.] *ita decrevimus* senatu in aedem Telluris convocato, in quo Cicero ipse suasit, ut *memoria discordiarum oblivione sempiterna deleretur.* Phil. I, 1, ut *acta Caesaris pacis et otii causa servarentur.* ib. 7. [Cf. ep. 157, 3.]

Ep. CLII. *Matio*, equiti Rom. qui Caesarem in Galliam comitatus erat. Idem ludos ab Octavio in honorem Caesaris institutos procuravit. Suet. Oct. 10. cf. ad Att. XV, 2.

§. 1. **Trebatius*, cf. ep. XXXVIII, 1.

§. 2. **nihil sibi longius fuisse*, cf. pr. Rabir. 12. *nec mihi longius quidquam est, quam videre hominum vultus.* in Verr. IV, 18. *Sch.* — *querelam tuam*, quod iniquius de te iudicassem.

§. 3. **discessus* fortasse in Graeciam aut Rhodum, non in Galliam, quum reliqua, quae commemorantur, bellum Caesaris Gallicum longe antecesserint et commorationis Matii in Gallia postea demum mentio fiat. *Stroth.* — *ambitio nostra et vitae diss.*, quod magistratus petii et gessi, tu ad rem publicam accedere noluisti.

5 diligeret, coleret, haberet in suis. Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sint: graviora
6 enim consecuta sunt. Et initio belli civilis quum Brundisium versus ires ad Caesarem, venisti ad me in Formianum. Primum hoc ipsum quanti, praesertim temporibus illis! Deinde oblitum me putas consilii, sermonis, humanitatis tuae? quibus rebus interesse memini Trebatium.
7 Nec vero sum oblitus litterarum tuarum, quas ad me misisti, quum
8 Caesari obviam venisses in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, quum me ad Pompeium proficisci sive pudor meus coëgit, sive officium, sive fortuna. Quod officium tuum, quod studium vel in absentem me vel in praesentes meos defuit? quem porro omnes
9 mei et mihi et sibi te amiciorem iudicaverunt? Veni Brundisium. Oblitumne me putas, quâ celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento advolaris? quae tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei,
10 fracti communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romae esse coepimus; quid defuit nostrae familiaritati? In maximis rebus quonam
11 modo gererem me adversus Caesarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officiis, cui tu tribuisti, excepto Caesare, praeter me, ut domum ventitares horasque multas saepe suavissimo sermone consumeres? tum, quum etiam, si meministi, ut haec *φιλοσοφούμενα*
12 scriberem, tu me impulisti. Post Caesaris reditum, quid tibi maiori curae fuit, quam ut essem ego illi quam familiarissimus? quod effe-
13 ceras. Quorsum igitur haec oratio longior, quam putaram? Quia sum admiratus, te, qui haec nosse deberes, quidquam a me commissum,
14 quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. Nam praeter haec, quae commemoravi, quae testata sunt et illustria, habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possum. Omnia me tua delectant, sed maxime maxima quum fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia,
15 tum lepos, humanitas, litterae. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primum non credidi; deinde, si credidissem, nunquam id sine aliqua iusta causa existimarem te
16 fecisse. Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias, malevolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quam a te facta sint, proferantur. Ea tu si non audis, quid dicam, nescio; equidem, si quando audio, tam defendo, quam me scio a te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex: alia sunt, quae liquido

§. 6. ***venisti ad me in Formianum*, cf. ad. Att. IX, 11.

[§. 6. *Deinde, εἶτα*] in re mirabunda indignatione aliqua proferenda.]

§. 7. *Caesari*, Brundisio redeunti. *in agro Trebulano*. Trebulae, quae et Mutusca, in Sabinis fuerunt.

§. 9. ***veni Brundisium*, post pugnam Pharsalicam, cf. ad ep. XCVII, init.

§. 11. *haec φιλοσοφ.* libros de finibus, Tusculanas dispp. Academicas quaest.

§. 12. *Post. Caes. reditum* ex Hispania.

§. 15. *illa lege*, de aestimandis possessionibus debitorum. cf. ep. 105, 13. et not. 153, 7.

[§. 16. *contra iniquos meos*. Verr. V, 69. in Plane. 23, 57.]

negare soleam, ut de isto ipso suffragio; alia, quae defendam a te pie fieri et humane, ut de curatione ludorum. Sed te, hominem 17
doctissimum, non fugit, si Caesar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utramque partem de tuo officio disputari posse; vel in eam, qua ego soleo uti, laudandam esse fidem et humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas; vel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriae vitae amici anteponendam. Ex his sermonibus utinam essent 18
delatae ad te disputationes meae! Illa vero duo, quae maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quam ego, commemorat aut saepius? te et non suscipiendi belli civilis gravissimum auctorem fuisse et moderandae victoriae; in quo, qui mihi non assentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit causam harum litterarum: quibus nisi crediderís, me omnis officii et humanitatis expertem iudicaris; quo nec mihi gravius quidquam potest esse, nec te alienius.

EPISTOLA CLIII. (Ad Div. XI. 28.)

Scr. Romae exeunte Maio A. U. C. 709.

MATIUS CICERONI S. D.

Magnam voluptatem ex tuis litteris cepi, quod, quam speraram 1
atque optaram, habere te de me opinionem cognovi. De qua etsi non dubitabam, tamen, quia maximi aestimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conscius autem mihi eram, nihil a me commissum esse, 2
quod boni cuiusquam offenderet animum. Eo minus credebam, plurimis atque optimis artibus ornato tibi temere quidquam persuaderi potuisse, praesertim in quem mea propensa et perpetua fuisset atque esset benevolentia. Quod quoniam, ut volui, scio esse, respondebo 3
criminibus, quibus tu pro me, ut par erat tua singulari bonitate et amicitia nostra, saepe restitisti. Nota enim mihi sunt, quae in me 4
post Caesaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis necessarii graviter fero atque eum, quem dilexi, perisse indignor. Aiunt enim, patriam amicitiae praeponendam esse, proinde ac si iam

[*de curatione ludorum* ad Att. XV, 2. *Ludorum Octavii apparatus Matius ac Postumius mihi procuratores non placent. Manut.*]

§. 18. **non suscipiendi belli — auctorem fuisse*, cf. ad. Att. IX, 11. *Venit — ad me Matius, homo — temperatus et prudens; existimatus quidem est semper auctor otii. Quam ille haec non probare mihi quidem visus est!*

§. 3. **tua singulari bonitate*, i. e. propter tuam s. bonitatem; est ablativus causae.

§. 4. **patriam amicitiae praeponendam*, cf. ep. CLII, 17.

[§. 4. *proinde ac.* Vid. Ruhnk. ad Rutil. L. p. 31. Terent. Heaut. I, 1, 13. Goerenz. ad Leg. p. 179. Heindorf. ad de nat. d. p. 210. *vicerint*, demonstraverint. cf. §. 13.]

vicerint, obitum eius rei publicae fuisse utilem. Sed non agam astute. Fateor, me ad istum gradum sapientiae non pervenisse. Neque enim Caesarem in dissensione civili sum secutus, sed amicum, quamquam re offendebar, tamen non deserui; neque bellum unquam civile aut etiam causam dissensionis probavi, quam etiam nascentem exstingui summe studui. Itaque in victoria hominis necessarii neque honoris neque pecuniae dulcedine sum captus; quibus praemiis reliqui, minus apud eum quam ego quum possent, immoderate sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea lege Caesaris deminuta est, cuius beneficio plerique, qui Caesaris morte laetantur, remanserunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, aeque ac pro mea salute laboravi. Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum, a quo id impetratum est, perisse non indignari? quum praesertim iidem homines illi et invidiae et exitio fuerint. Plecteris ergo, inquiunt, quoniam factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunite licere! At haec etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quam alterius, arbitrio; quae nunc, ut quidem isti dictitant libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt; nullius unquam periculi terroribus ab officio aut ab humanitate desciscam: nunquam enim honestam mortem fugiendam, saepe etiam oppetendam putavi. Sed quid mihi succensent, si id opto, ut poeniteat eos sui facti? Cupio enim, Caesaris mortem omnibus esse acerbam. At debeo pro civili parte rem publicam velle salvam. Id quidem me cupere, nisi et ante acta vita et reliqua mea spes, tacente me, probat, dicendo vincere non postulo. Quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas, mihique, si sentis expedire recte fieri, credas nullam communionem cum improbis esse posse. An, quod adolescens praestiti, quum etiam errare cum excusatione possem, id nunc, aetate praecipitata, commutem ac me ipse retexam? Non faciam, neque, quod displiceat, committam, praeterquam quod hominis mihi coniunctissimi ac viri amplissimi doleo gravem casum. Quodsi aliter essem animatus, nunquam, quod facerem, negarem, ne et in peccando im-

§. 5. **ad istum gradum sapientiae*, ut iudicare possim, profueritne caedes Caesaris rei publicae an nocuerit.

§. 7. **cuius* legis *beneficio — remanserunt*, quibus propter aeris alieni magnitudinem patria carendum fuisset.

[§. 9. *invidiae*, quod eos nimis ornaret. *Manut.*] *cf. Ep. CXV, 19.

[§. 13. *pro civili parte*, quantum civis pro sua parte et potest et debet. *Ern.* Cl.]

§. 14. *ut rem potiorem or. d.* vitam meam ad probandum plus valere debere, quam sermones hominum. cf. §. 19. [**orationem* non esse sermones hominum, ut M. explicavit, sed defensionem Mati multis verbis copiosam, recte monuit *Süpfle.*] *si sentis exp. recte fieri*, nihil utile esse nisi quod sit idem honestum.

§. 15. * *me ipse retexam*; qui retexit, mutat quod iam fecit, quasi male factum. *Man.*

probus et in dissimulando timidus ac vanus existimarer. At ludos, 16
quos Caesaris victoriae Caesar adolescens fecit, curavi. At id ad
privatum officium, non ad statum rei publicae pertinet. Quod tamen
munus et hominis amicissimi memoriae atque honoribus praestare,
etiam mortui, debui, et optimae spei adolescenti ac dignissimo Caesare
petenti negare non potui. Veni etiam consulis Antonii domum saepe 17
salutandi causa; ad quem, qui me parum patriae amantem esse exi-
stimant, rogandi quidem aliquid aut auferendi causa frequentes ventitare
reperies. Sed quae haec est arrogantia, quod Caesar nunquam inter- 18
pellavit, quin, quibus vellem, atque etiam, quos ipse non diligebat,
tamen iis uterer, eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me
efficere conari, ne, quos velim, diligam? Sed non vereor, ne aut 19
meae vitae modestia parum valitura sit in posterum contra falsos
rumores, aut ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cae-
sarem constantiam non malint mei, quam sui, similes amicos habere.
Mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est vitae, in otio 20
Rhodi degam; sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romae, ut recte
fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas ago gratias, quod tuum 21
erga me animum simplicem atque amicum aperuit, et quod eum, quem
semper lubenter dilexi, quo magis iure colere atque observare deberem,
fecit. Bene vale; et me dilige.

EPISTOLA CLIV. (Ad Att. XVI. 16. *append.*)

Scr. in Tusculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

M. CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

Attici nostri te valde studiosum esse cognovi, mei vero ita cupi- 1
dum, ut mehercule paucos aeque observantes atque amantes me habere
existimem. Ad paternas enim magnas et veteres et iustas necessitudines
magnam attulit accessionem tua voluntas erga me meaque erga te par
atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est: egi enim saepe de 2
ea tecum, tibique totam rem demonstravi, quae est acta hoc modo:

§. 16. **Caesaris victoriae*; voverat enim Caesar aedem Veneri genitrici, si Pompeium proelio Pharsalico devicisset, Octavius vero ludos fecit ob perfectam Veneris aedem.

§. 19. **mei quam sui similes*, ipsum Ciceronem his verbis acerbe carpit, ita tamen, ut urbanum hominem cognoscas.

§. 21. **simplicem et amicum* quam vere et ex animo dicat Ciceronis animum, facile apparet.

§. 21. *lubenter*. ad Fam. XII, 16. Trebonius de M. Cicer. filio: *tibi gratulor, quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus.* — **eum*, te.

Ep. CLIV. **Cn. Planco*, fratri L. Munatii Planci, de quo vide ep. CLX.

§. 3. **Buthrotia causa*, cf. ep. CXLVII. — *commotus Atticus*, qui ibi agros possidebat.

3 ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit. Eum mihi dedit, ut darem Caesari: eram enim coenaturus apud eum illo die. Eum libellum Caesari dedi: probavit causam; rescripsit Attico, aequa eum postulare; admonuit tamen, ut
4 pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. Quod quum esset factum, adiimus ad Caesarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus; quod est obsignatum ab amplissimis viris.
5 Quae quum essent acta, mirari equidem solebam, pati Caesarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupissent, neque solum pati,
6 sed etiam ei negotio te praeficere. Itaque et ego cum illo locutus sum, (et saepius quidem, ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiae suae confiderem,) et M. Messalae et ipsi Attico dixit, ut sine cura essent, aperteque ostendebat, se praesentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle: quum mare transissent,
7 curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. Haec illo vivo. Post interitum autem Caesaris, ut primum ex senatus consulto causas consules cognoscere instituerunt, haec, quae supra scripsi, ad eos delata sunt. Probaverunt causam sine ulla dubitatione, seque ad te litteras
8 daturos esse dixerunt. Ego autem, mi Plance, etsi non dubitabam, quin et senatus consultum et lex et consulum decretum ac litterae apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellexeram, tamen hoc pro coniunctione et benevolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas suavissimique mores a te essent impetraturi; id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter,
9 prolixe, celeriter facias. Mihi nemo est amicior nec iucundior nec carior Attico; cuius antea res solum familiaris agebatur, eaque magna; nunc accessit etiam existimatio, ut, quod consecutus est magna et industria et gratia, et vivo Caesare et mortuo, id, te adiuvante, ob-

[§. 3. *proscriptum* venalem a Caesare, quod Buthrotii pecuniam imperatam non solverent. *Manut.*]

**pecuniam reliquam*, partem igitur pecuniae imperatae iam antea solverant; reliquae solutionem quum differrent, Caesar eorum agrum proscripserat, ex quo vendito reliqua pecunia rediret.

§. 5. *convenire* sc. ad petendum agrum Buthrotiorum. *Ern.*

§. 6. *et ego.* Debebat sequi, *et Messala et Atticus*; sed mutavit constructionem.

**M.* Valerio *Messalae* Corvino, Caesariano, qui sub Augusto demum inclaruit, fautori Tibulli poëtae.

praesentium. vid. ep. 155. §. 3.

**populares*; cf. Cic. pr. Sest. 45, 96. *qui ea, quae faciebant quaeque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares — habebantur.*

**quum mare transissent* ad agros Buthrotios in Epiro occupandos.

§. 7. **consules*, Antonium et Dolabellam.

§. 8. *et lex.* vid. ep. 155. §. 5.

§. 9. **res familiaris agebatur*, nummos enim Caesari numeraverat de suo (cf. §. 4.) prō agri Buthrotii liberatione; quod nisi consequeretur, eos nummos a Buthrotiis exigere non potuisset. *Man.*

existimatio. vid. ep. 158. §. 2.

tineat. Quod si a te erit impetratum, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum iudicem. Ego, quae te velle quaeque ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo. Da operam, ut valeas. 10

EPISTOLA CLV. (Ad Att. XVI. 16. *app.*)

Scr. in Tusculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

CICERO CAPITONI SUO S.

Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem; sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, scis. Amabo te, da mihi et hoc: obliviscere mea causa, illum aliquando suo familiari, adversario tuo, voluisse consultum, quum illius existimatio ageretur.' Hoc primum ignoscere, est humanitatis tuae: suos enim quisque debet tueri; deinde, si me amas, (omitte Atticum) Ciceroni tuo, quem quanti facias, prae te soles ferre, totum hoc da, ut, quod semper existimavi, nunc plane intelligam, me a te multum amari. Buthrotios quum Caesar decreto suo, quod ego obsignavi cum multis amplissimis viris, liberavisset, ostendissetque nobis, se, quum agrarii mare transissent, litteras missurum, quem in agrum deducerentur, accidit, ut subito ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis (interfuisti enim), quum consules oporteret ex senatus consulto de actis Caesaris cognoscere, res ab iis in Kal. Iun. dilata est. Accessit ad senatus consultum lex, quae lata est a. d. IV. Non. Iun. quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad consules. Decretum Caesaris recitatum est, et multi praeterea libelli Caesaris prolati. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios; litteras ad Plancum dederunt. Nunc, mi Capito, (scio enim, quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum Plancum,) enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. Omnino res huiusmodi videtur esse, ut sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio et prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum et lege et senatus consulto cognitio et iudicium fuit, conser- 1 2 3 4 5 6 7 8

*Epist. CLV. *Capitoni*, C. Ateio, cf. ep. CI, 4 ss.

§. 2. *da mihi et hoc.* Ordo legitimus erat: *da mihi et hoc, ut obliviscaris — — — et hoc, ut nunc plane intelligam.* Pro altero repetiit verba *Ciceroni tuo — totum hoc da.*

§. 3. *agrarii*, ii, quibus Caesar agros in Epiro promiserat.

§. 6. **secundum Buthrotios*, in favorem Buthrotiorum.

**litteras ad Plancum dederunt*, cf. ep. CLIV, §. 7.

vet; praesertim quum, hoc genere cognitionum labefactato, acta Caesaris in dubium ventura videantur; quae non modo ii, quorum interest, sed 9 etiam ii, qui illa non probant, otii causa confirmari velint. Quod quum ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere. Quod certe faciet, si tu nervulos tuos, mihi saepe cognitos, suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo.

EPISTOLA CLVI. (Ad Div. XI. 29.)

Scr. initio mensis Quintilis A. U. C. 709.

CICERO OPPIO S.

1 Dubitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem iudicium et consilium tuum. Nam et scripsisti aperte, quid tibi videretur, et Atticus 2 ad me sermonem tuum pertulit. Semper iudicavi, in te et in capiendo consilio prudentiam summam esse et in dando fidem, maximeque sum expertus, quum initio civilis belli per litteras te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompeium, an manendum 3 in Italia. Suasisti, ut consulerem dignitati meae; ex quo, quid sentires, intellexi, et sum admiratus fidem tuam et in consilio dando religionem, quod, quum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi 4 officium meum, quam illius voluntas, fuit. Equidem et ante hoc tempus te dilexi et semper me a te diligi sensi. Et quum abessem atque in magnis periculis essem, et me absentem et meos praesentes 5 a te cultos et defensos esse memini; et post meum reditum quam familiariter mecum vixeris, quaeque ego de te et senserim et prae- 6 dicarim, omnes, qui solent haec animadvertere, testes habemus. Gravissimum vero iudicium de mea fide et constantia fecisti, quum post mortem Caesaris totum te ad amicitiam meam contulisti. Quod tuum iudicium nisi mea summa benevolentia erga te omnibusque meritis 7 comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum, (etsi more magis hoc quidem scribo, quam quo te admonendum putem,) meaque omnia tuebere; quae tibi ne ignota

§. 8. *acta Caesaris.* vid. ep. 157, 2. 3.

[*qui illa non probant,* ut ipse Cicero. Vid. ad. ep. 151, 5.] *ep. 157, 3.

Ep. CLVI. *Oppio,* qui Caesaris legatus in bello Africano fuerat. *cf. ad ep. XCII, 17.

§. 1. *profectionis,* in Graeciam. *cf. ep. CXLVIII, 6. Suscepit postea hoc iter, quod tamen non perfecit, sed a Leucopetra Romam rediit, cf. ad ep. CLIX. 1.

§. 3. *amicissimum tuum,* Caesarem.

§. 4. **quum abessem,* bello civili.

§. 5. **quam familiariter mecum vixeris,* cf. ep. CXXIV, 3.

essent, Attico mandavi; a me autem, quum paullum otii nacti erimus, uberiores litteras exspectato. Da operam, ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

EPISTOLA CLVII. (Ad Att. XVI. 16. *app.*)

Scr. in Puteolano a. d. IV. Quint. A. U. C. 709.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

Iam antea petivi abs te per litteras, ut, quum causa Bruthrotiorum probata a consulibus esset, quibus et lege et senatusconsulto permissum erat, ut de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent, eam rem tu adiuvares, Atticumque nostrum, cuius te studiosum cognovi, et me, qui non minus laboro, molestia liberares. Omnibus enim rebus magna cura, multa opera et labore confectis, in te positum est, ut nostrae sollicitudinis finem quam primum facere possimus. Quamquam intelligimus, ea te esse prudentia, ut videas, si ea decreta consulum, quae de Caesaris actis interposita sunt, non serventur, magnam perturbationem rerum fore. Equidem, quum multa (quod necesse erat in tanta occupatione,) non probentur, quae Caesar statuerit, tamen otii pacisque causa acerrime illa soleo defendere; quod tibi idem magno opere faciendum censeo; quamquam haec epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te et etiam oro, sic mediusfidius, ut maiore studio magisque ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuimus propter summam bonitatem et aequitatem causae, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. Qua quidem voluntate te esse erga Atticum, saepe praesens et illi ostendisti et vero etiam mihi. Quod si feceris, me, quem voluntate et paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio devinctum habebis; idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

1 2 3 4 5

Ep. CLVII. §. 1. **per litteras*, ep. CLIV. — *confectis* a me et Attico.

§. 2. **magnam perturbationem rerum fore*, cf. ep. CLV, 8.

§. 3. **in tanta occupatione*, Caesaris.

§. 4. **et etiam rogo*, cf. Hand. Tursell. II. p. 522. 551. Ep. CXLIV, 5. *et etiam voluntatis.*

[*sine ulla dubit.* quum coss. non dubitarent id nobis concedere. et pro Balbo 13, 31. *illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium* est pro sine dubio. Cf. Praef. ad *Eloqu. lat. ex.* p. IX. At ep. 159. §. 4. *sine ulla dubitatione abieci* est non dubitavi abiicere, ut fere alias.]

§. 5. **paterna necessitudine*, cf. ep. CLIV, 1.

EPISTOLA CLVIII. (Ad Att. XVI. 16. *app.*)

Scr. circa Id. Quint. A. U. C. 709.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

1 Ignosce mihi, quod, quum antea accuratissime de Buthrotiis ad
2 te scripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quo parum confidam aut liberalitati tuae aut nostrae amicitiae; sed quum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, ut id, quod probavit Caesar, nobis testibus et obsignatoribus, qui et decretis et responsis Caesaris interfueramus, videatur obtinere potuisse, praesertim quum tota potestas eius rei tua sit, ut ea, quae consules decreverunt secundum Caesaris decreta et responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterque comprobes. Id mihi sic
3 erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Etsi iam sperabam, quum has litteras accepisses, fore, ut ea, quae superioribus litteris a te petissemus, impetrata essent; tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id fecisse; quod magna cum spe ex-
4 spectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere litterarum utamur, tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro, quam ille, obligatum fore.

EPISTOLA CLIX. (Ad Att. XVI. 7.)

Scr. navigans ad Pompeianum a. d. XIV. Kal. Sept. A. U. C. 709.

CICERO ATTICO S.

1 Octavo Id. Sext. quum a Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter CCC processissem, reiectus sum austro ve-

* Epist. CLVIII. §. 2. *nobis testibus et obsignatoribus,* cf. CLIV, 4. §. 1. *a Leucopetra.* Phil. I, 3, 7. *Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rheginі, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem; nec ita multum provectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. Cumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eundem ventum exspectans manerem, municipes Rheginі complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes; a quibus primum accipio M. Antonii contionem, quae ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reversione primum coeperim cogitare. Nec ita multo post edictum Bruti affertur et Cassii, quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reipublicae, quam familiaritatis gratia, diligo, plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea, — rem conventuram; Kal. Sextil. senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum.* Cf. ad Fam. XII, 25.]

* *tramittebam,* imperfect. de re

hementi ad eandem Leucopetram. Ibi quum ventum exspectarem, (erat 2
enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem et libenter,) Rhegini
quidam, illustres homines, eo venerunt, Roma sane recentes; in iis
Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Haec afferebant: 3
edictum Bruti et Cassii, et fore frequentem senatum Kal.; a Bruto et
Cassio litteras missas ad consulares et praetorios; ut adessent, rogare.
Summam spem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret,
nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari.
Quae quum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, 4
quo mehercule ne antea quidem delectabar. Lectis vero tuis litteris, 5
admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse;
sed, non sine causa, arbitrabar. Etsi, quamvis non fueris suasor et
impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti, dummodo Kal.
Ian. Romae essem. Ita fiebat, ut, dum minus periculi videretur, abes-
sem, in flammam ipsam venirem. Sed haec, etiamsi non prudenter, 6
tamen *ἀνεμέσητα* sunt; primum, quod de mea sententia acta sunt;
deinde, etiamsi te auctore, quid debet, qui consilium dat, praestare
praeter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis: 7
veni igitur, tu, qui εὐθανασίαν. Veni. Relinques patriam? An ego
relinquebam, aut tibi tum relinquere videbar? Tu id non modo non
prohibebas, verum etiam approbabas. Graviora, quae restant: *Velim* 8
σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. Itane, mi
Attice? Defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mi-
rabiliter approbasti? Ego vero istum *ἀπολογισμὸν συντάξομαι*, sed
ad eorum aliquem, quibus invitis et dissuadentibus profectus sum.
Etsi quid iam opus est *σχολίῳ*? Si perseverassem, opus fuisset. „At 9
hoc ipsum non constanter.“ Nemo doctus unquam, (multa autem de
hoc genere scripta sunt,) mutationem consilii inconstantiam dixit esse.
Deinceps igitur haec: *Nam si a Phaedro nostro esset, expedita ex-* 10
cusatio esset. Nunc quid respondemus? Ergo id erat meum factum,

inchoata neque perfecta, cf. ad ep. LXXXVI, 10. LXXXIV, 1.

§. 2. **ut familiariter essem et libenter*, cf. ep. CXLVI, 4. *libenter fuit.*

[§. 2. *reliquisset*, reliquisse se dicebat.]

§. 3. **nostri*, Caesaris interfectores. — *subaccusari*, quod Romam reliquissem.

§. 5. **Kal. Ianuariis*, quo die consulatum inituri erant Pansa et Hirtius.

§. 6. **ἀνεμέσητα*, etiamsi non prudenter suasisti, tamen in eo non es reprehendendus.

§. 7. *qui εὐθανασίαν.* Respexisse videtur Manutio ad epist. ad Att. XV, 20. *ex hac nassa exire constitui non ad fugam, sed ad spem mortis melioris*: Schützio ad Tusc. I, 45. *Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere.*

§. 8. *σχόλιον*, disputationem, quales sunt, quae in scholis instituuntur.

§. 9. **hoc ipsum*, quod profectionis consilium abieci.

§. 10. *a Phaedro nostro*, Epicureo.

quod Catoni probare non possem? flagitii scilicet plenum et dedecoris. Utinam a primo ita tibi esset visum! Tu mihi, sicut esse soles, fuisses
11 Cato. Extremum illud vel molestissimum: *Nam Brutus noster silet*; hoc est, non audet hominem id aetatis monere. Aliud nihil habeo,
12 quod ex iis a te verbis significari putem; et hercule ita est. Nam XVI. Kal. Sept. quum venissem Veliam, Brutus audivit. Erat enim cum suis navibus apud Haletem fluvium, citra Veliam milia passuum III. Pedibus ad me statim. Dii immortales, quam valde ille reditu vel potius reversione mea laetatus, effudit illa omnia quae tacuerat! ut
13 recordarer illud tuum, *nam Brutus noster silet*. Maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in caelum; se autem laetari, quod effugissem duas maximas vituperationes: unam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis ac relictionis rei publicae, flentes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam; alteram, de qua Brutus et qui una erant, (multi autem erant) laetabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc vero nihil turpius quovis rei publicae
14 tempore, sed hoc *ἀναπολόγητον*. Ego vero austro gratias miras, qui
15 me a tanta infamia averterit. Reversionis has causas habes, iustas illas quidem et magnas, sed nulla iustior, quam quod tu idem aliis litteris: *provide, si cui quod debetur, ut sit unde par pari respon-*
16 *deatur: mirifica enim δυσχρηστία est propter metum armorum.* In freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem providere, in mentem
17 mihi non veniret, nisi ut praesens me ipse defenderem. Sed haec hactenus; reliqua coram. Antonii edictum legi a Bruto, et horum contra; scriptum praeclare. Sed quid ista edicta valeant aut quo spectent, plane non video; nec ego nunc, ut Brutus censebat, istuc ad rem publicam capessendam venio. Quid enim fieri potest? Num

**Catoni*, Stoico, qui opponitur Epicureo.

§. 12. **Veliam*, oppidum Lucaniae.

vel potius reversione. Reditus est post finitum negotium, cuius causa profecti sumus; *reversio* est mutatio consilii atque adeo itineris ipsius, quum in ipso itinere convertimus nos et retro imus. *Ern.*

§. 13. *Pisonem*, L. Calpurnium Pisonem, Caesaris socerum. Phil. I, 4. *Ex quo* (Bruto) *primum cognovi, quae Kal. Sextil. in senatu fuisset L. Pisonis oratio, qui quamquam parum erat — a quibus debuerat, adiutus, tamen et Bruti testimonio et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus*. cf. ib. c. 6, 14. Phil. 5, 7, 19. infra ep. 161, 4.

**de meo celeri reditu non probabam*, quibus persuadere non poteram, me tam celeriter, scil. ante Kal. Ianuar., Romam rediturum esse, cf. §. 5.

§. 15. *δυσχρηστία*, difficultas pecuniae mutuae sumendae s. versurae.

**praesens me ipse defenderem*; haec una providendi ratio mihi in mentem veniebat, quod si Romae essem, ipse me contra creditores meos defenderem, tu mei defendendi aut excusandi nullum onus sustineres. *Mem.*

§. 17. *a Bruto* suppeditatum, **horum*, Bruti et Cassii praetorum. — *Pisoni*, cf. ad §. 13. — *rediit*, in senatum.

quis Pisoni est assensus? Num rediit ipse postridie? Sed abesse hanc aetatem longe a sepulcro negant oportere. Sed obsecro te, quid est 18
quod audivi de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te scripsisse aiebat. Valde sum commotus: etsi idem, te scribere, sperare melius. Ita plane velim. Ei dicas plurimam salutem et suavissimae Atticae. Haec scripsi navigans, quum Pompeianum accederem, XIIII. Kal.

EPISTOLA CLX. (Ad Div. X. 1.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709.

CICERO L. PLANCO.

Et afui proficiscens in Graeciam, et posteaquam de meo cursu 1
rei publicae sum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui; cuius tanta est, non insolentia, (nam id quidem vulgare vitium est,) sed immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. Itaque mihi maximae curae est, non 2
de mea quidem vita, cui satisfeci vel aetate vel factis vel (si quid etiam hoc ad rem pertinet,) gloria; sed me patria sollicitat, imprimisque, mi Plance, exspectatio consulatus tui, quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus rei publicae spiritum ducere. Quae potest enim spes esse in ea re publica, in qua hominis 3
impotentissimi atque intemperantissimi armis oppressa sunt omnia? et in qua nec senatus nec populus vim habet ullam? nec leges ullae sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod ac vestigium civitatis? Sed quoniam acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, 4

§. 18. **de Bruto*, i. e. Bruto narrante; cf. Ter. Andr. II, 1, 3. *De Davo audivi.* — *Piliam*, Attici uxorem.

Ep. CLX. *Planco*, L. Munatio Pl. olim Caesaris legato in Gallia, tum Galliam ulteriorem cum legionibus obtinenti. Cos. fuit a. u. 711. cum M. Lepido; postea Antonii partes secutus, a. u. 722. ad Octavianum transfugit, homo dubiae fidei. Ad eum scripta est Horatii ode 7 libri I.

[§. 1. *de medio cursu.* Offic. III. 33 extr. *si ipse venissem Athenas, quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset.* At ipse, (ep. 176, 6.) *me etesiae, quasi boni cives, relinquentem remp. prosequi noluerunt.*] *Recepimus cum Orell. *meo.*

**nunquam quietus fui*; quum Cicero Kal. Septembr. in senatum non venisset, Antonius minatus est, se fabros missurum et domum eius disturbaturum esse. Cic. Phil. I, 5.

[§. 2. *ita longa est.* Hoc anno 709. Coss. erant Antonius et Dolabella; his anno 710 successuri erant Hirtius et Pansa; tandem anno 711 Plancus et Dec. Brutus: nam Caesar coss. in triennium designaverat. Dio Cass. 43, 51. *E Manut.*]

**spiritum ducere*, vivere. Inest quaedam molestiae significatio.

§. 3. **impotentissimi*, qui sui minime est compos, sibi moderari nescit; cf. ep. CLXXIII, 2. *impotentissimi dominatus.*

§. 4. **acta* publica, quibus perscribebantur, quae singulis diebus acta, gesta, iudicata essent.

quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non servavi solum, sed etiam auxi, monere te atque hortari, ut in rem publicam omni cogitatione curaque incumberes. Quae si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est; ut perducatur autem, magnae quum diligentiae est, tum etiam fortunae. Sed et te aliquanto ante, ut spero, habebimus, et, praeterquam quod rei publicae consulere debemus, tamen tuae dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillime et rei publicae, quae mihi carissima est, et amicitiae nostrae, quam sanctissime nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius humanitas et dignitas postulat, nec miror et gaudeo; teque hoc existimare volo, quidquid in eum iudicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse.

EPISTOLA CLXI. (Ad Div. XII. 2.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709.

CICERO CASSIO S.

Vehementer laetor, tibi probari sententiam et orationem meam, qua si saepius uti liceret, nihil esset negotii libertatem et rem publicam reciperare. Sed homo amens et perditus multoque nequior, quam ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, caedis initium quaerit; nullamque aliam ob causam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur. Quod ego periculum non extimesco; modo vestri facti gloriam cum mea laude communicet. Ita nec Pisoni, qui in eum primus invectus est, nullo assentiente, nec mihi, qui idem tricesimo post die feci, nec P. Servilio, qui me est consecutus, tuto in senatum venire licet. Caedem enim gladiator quaerit, eiusque initium a. d. XIII. Kalend. Octob. a me se facturum putavit; ad quem paratus venerat, quum in villa

§. 6. **habebimus*, i. e. Romae videbimus.

§. 7. **Furnium*, Planci in Gallia legatum, cf. ep. CLXXIV, 10.

[§. 7. *quidquid in eum iudic. officiique contul.* i. e. quidquid de eo iudicaveris et e iudicio isto beneficii in eum contuleris. vid. ad or. pro S. Roscio §. 108. et Add. pro l. Man. §. 43.]

Ep. CLXI. §. 1. *orationem meam*, Philippicam primam; nam secunda scripta tantum est, non habita.

§. 2. **homo amens*, M. Antonius. — *veterani* ex Caesaris exercitu, quos Antonius undique Romam arcessiverat ex coloniis.

§. 4. *Pisoni.* vid. ad 159. §. 13. *P. Servilio*, Isaurici filio, qui consul fuit cum C. Caesare.

**tricesimo post die*, a. d. IV. Non. Septembr. *ad quem* diem.

§. 5. *in villa* Tiburtina *Metelli* [adoptati a Q. Metello Pio] Scipionis, soceri Pompeii Magni. [cf. Phil. II, 17. V, 7, 19.]

Metelli complures dies commentatus esset. Quae autem in lustris et in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, vomere suo more, non dicere. Quare quod scribis te 6
confidere, auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse, nonnihil, ut in tantis malis, est profectum. Intelligit enim populus Romanus tres esse consulares, qui, quia, quae de re publica bene senserint, libere locuti sint, tuto in senatum venire non possint. Nec est prae- 7
terea quod quidquam exspectes: tuus enim necessarius affinitate nova delectatur. Itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoque fratris tui plausu dirumpitur. Alter item affinis novis commentariis Caesaris delinitus est. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod est, 8
qui vestro anno filium suum consulem futurum putet, ob eamque causam se huic latroni deservire prae se ferat. Nam L. Cotta familiaris meus 9
fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum venit; L. Caesar, optimus et fortissimus civis, valetudine impeditur; Ser. Sulpicius, et summa auctoritate et optime sentiens, non adest; reliquos, exceptis designatis — ignosce mihi, sed non numero consulares. Habes auctores 10
consilii publici, qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset; quid censes perditis? Quare spes est omnis in vobis; qui si idcirco abestis, ut sitis in tuto, ne in vobis quidem. Sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis; sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore ius suum reciperabit. Ego tuis neque desum neque deero; qui sive ad me referent, sive non referent, mea tibi tamen benevolentia fidesque praestabitur. Vale.

[*vomere suo more.* Phil. II, 25, 63. *in coetu pop. Rom. negotium publicum gerens magister equ, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit.*]

§. 6. *qui, quia, quae* v. Heusing. ad Cic. off. p. 31. not. k. l.

§. 7. *tuus necessarius*, M. Lepidus, qui sororem M. Bruti unam in matrimonio habebat, alteram C. Cassius. *affinitate nova*, M. Antonii, cuius filiam Lepidi filius uxorem duxerat. *non est studiosus ludorum*, quia ludis Apollinaribus, quos praetor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo viderat L. Cassio, trib. pl. fratri C. Cassii. *Manut.* *Absens Brutus per C. Antonium, consulis fratrem, collegam, hos ludos Nonis Quinctil. dederat.

**alter affinis* quis indicetur, ignoratur. — *novis comment. Caes.*, cf. ad ep. CXLVII, 2.

[§. 8, *vestro anno*, anno vobis destinato, post biennium: nam hoc anno praeturam gerebant Brutus et Cassius, et praeturam consulatus, interposito biennio, sequebatur. *Manut.*]

§. 9. *L.* Aurelius *Cotta*, qui consul fuerat a. u. 688. cum L. Torquato, auctor legis Aureliae iudiciariae.

L. Caesar. ad ep. 149. §. 5.

**non adest*; aberat etiam tum Achaiam provinciam administrans.

designatis, Hirtio et Pansa.

**abestis*; postquam mense Aprili urbem reliquerunt, Lanuvii primum et Antii, dein in navibus prope ab Italiae oris morati, mense demum Septembri Brutus ut Macedoniam, Cassius ut Syriam provinciam occuparent profecti sunt.

EPISTOLA CLXII. (Ad Div. XII. 3.)

Scr. Romae circa Nonas Octobres A. U. C. 709.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

1 Auget tuus amicus furorem in dies: primum in statua, quam posuit in Rostris, inscripsit PARENTI OPTIME MERITO, ut non modo sicarii, sed iam etiam parricidae iudicemini; quid dico, iudicemini? iudicemur potius: vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus 2 me principem dicit fuisse. Utinam quidem fuissem! molestus nobis non esset. Sed hoc vestrum est; quod quoniam praeteriit, utinam haberem, quid vobis darem consilii! Sed ne mihi quidem ipsi reperio quid faciendum sit: quid enim est, quod contra vim sine vi fieri possit! 3 Consilium omne autem hoc est illorum, ut mortem Caesaris persequantur. Itaque a. d. VI. Non. Octob. productus in contionem a Cannutio turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus; de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio et vos fecissetis et Can- 4 nutius faceret. Cetera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quod legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, quum hoc faciunt? Ad hostem scilicet portari. O rem miseram! Dominum ferre 5 non potuimus, conservo servimus. Et tamen me quidem favente magis, quam sperante, etiamnunc residet spes in virtute tua. Sed ubi sunt copiae? De reliquo, malo te ipsum loqui tecum, quam nostra dicta cognoscere. Vale.

EPISTOLA CLXIII. (Ad Div. XII. 23.)

Scr. Romae medio Octobri A. U. C. 709.

CICERO CORNIFICIO S.

1 Omnem condicionem imperii tui statumque provinciae mihi de-

Ep. CLXII. §. 2. * *molestus nobis non esset*, M. Antonius; cf. ep. CLXVIII, 1.

§. 3. *Cannutio*, trib. pl. qui tunc infensus erat Antonio et Octaviano favebat, postea tamen ab hoc occisus.

* *ea dixit*, locum iis se salvo in civitate esse non posse, cf. ep. CLXIII, 6.

§. 4. * *legato tuo*, in Syriam proficiscenti. Dabatur viaticum ex aerario publico magistratibus, quaestoribus, legatis in provinciam abeuntibus ad instrumenta itineris comparanda.

[*Quid eos interpr. putas*, quomodo, quo nomine, eos hoc interpr. p. dictum, ut *Quid potius dixeris quam deum* de nat. d. II, 6, 16. *quid vocetur*. Or. II, 24. extr. pro quo ib. c. 26 extr. est *quomodo nominetur*.]

[§. 5. *loqui tecum*, consilium capere a te ipso. Cf. ep. 57, 4.]

CLXIII. *Cornificio*, qui tum Africam proc. obtinebat, retinuit etiam

monstravit Tratorius. O multa intolerabilia locis omnibus! Sed quo tua maior dignitas, eo, quae tibi acciderunt, minus ferenda: neque enim, quae tu propter magnitudinem et animi et ingenii moderate fers, ea non ulciscenda sunt, etiamsi non sunt dolenda. Sed haec posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. Quod ni ita 2
putarem, ipse perscriberem, in primisque Caesaris Octaviani conatum; de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret: prudentes autem et boni viri et credunt factum et probant. Quid quaeris? magna spes est in eo. 3
Nihil est, quod non existimetur laudis et gloriae causa facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, quum interfectores suos domi comprenderit, rem proferre non audeat. A. 4
d. VII. Idus Octobr. Brundisium erat profectus obviam legionibus Macedonicis IIII., quas sibi conciliare pecunia cogitabat easque ad urbem adducere et in cervicibus nostris collocare. Habes formam rei publicae, 5
si in castris potest esse res publica; in qua tuam vicem saepe doleo, quod nullam partem per aetatem sanae et salvae rei publicae gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat; nunc etiam 6
id ereptum est. Quae enim est spes, quum in contione dicere ausus sit Antonius, Cannutium apud eos locum sibi quaerere, quibus, se salvo, locus in civitate esse non posset? Equidem et haec et omnia, 7
quae homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat; tibique idem censeo faciundum, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu 8
melius. Tratorium nostrum quum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam prudentiamque cognovi. Da operam, ut valeas; hoc mihi gratius facere nihil potes.

e SC., quum ei Antonius C. Calvisium successorem destinasset. Eius fortasse quaestor aut legatus erat Tratorius. *cf. ep. CXLV.

§. 1. **quae tibi acciderunt*, ut successor ante tempus daretur.

§. 2. *conatum*, quod, hortantibus nonnullis, percussores ei subornavit. Suet. Octav. 10. cf. Senec. de clem. I, 9. negat tamen Velleius II, 60.

§. 4. **cogitabat*, quod tamen ei non contigit; legiones enim dicto consulis audientes non erant, leg. IV. et Martia, multi quoque milites legionum II. et XXXV. ad Caesarem Octavianum transierunt. M. Antonius vero multos centuriones et milites earum legionum supplicio affecit. Cic. Phil. III, 2. 3. V, 8. 9.

§. 5. **in castris*, urbs enim tota militibus erat repleta.

§. 6. *Cannut. apud eos* i. e. Ciceronem et similes patriae defensores, *sibi locum quaerere*, gratiam apud eos inire studere. Cf. ep. 162, 3.]

EPISTOLA CLXIV. (Ad Div. XI. 5.)

Scr. Romae circa Id. Decembr. A. U. C. 709.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

1 Lupus, familiaris noster, quum a te venisset, quumque Romae quosdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maxime tuto me esse arbitrabar. Eo factum est, ut ad te Lupus sine meis 2 litteris rediret, quum tamen curasset tuas ad me perferendas. Romam autem veni a. d. quintum Idus Decembris, nec habui quidquam antiquius, quam ut Pansam statim convenirem; ex quo ea de te cognovi, quae maxime optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, si ne in illa quidem re, quae a te gesta est post hominum memoriam maxima, 3 hortatorem desiderasti. Illud tamen breviter significandum videtur, populum Romanum omnia a te exspectare, atque in te aliquando reci- 4 perandae libertatis omnem spem ponere. Tu, si dies noctesque memineris, (quod te facere certo scio,) quantam rem gesseris, non obliviscere profecto, quantae tibi etiamnunc gerendae sint. Si enim iste provinciam nactus erit, (cui quidem ego semper amicus fui, antequam illum intellexi non modo aperte, sed etiam libenter cum re publica bellum 5 gerere,) spem reliquam nullam video salutis. Quamobrem te obsecro iisdem precibus, quibus S. P. Q. R., ut in perpetuum rem publicam dominatu regio liberes, ut principiis consentiant exitus. Tuum est hoc munus, tuae partes; a te hoc civitas, vel omnes potius gentes 6 non exspectant solum, sed etiam postulant. Quamquam, quum hortatione non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus verbis; faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem et gloriam pertinebunt. 7 Quamobrem velim tibi ita persuadeas, me quum rei publicae causa, quae mihi vita mea est carior, tum quod tibi ipsi faveam tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis consiliis, amplitudini, gloriae nullo loco defuturum.

Ep. CLXIV. §. 1. *Lupus*, P. Rutilius L. praetor C. Marcello et Lentulo coss. a. u. 704. bello civili Achaiam iussu Pompeii obtinuerat, tunc videtur legatus fuisse D. Bruti. **in iis locis*, in Puteolano reliquisque villis.

§. 2. **Pansam*, consulem designatum. — *cognovi*, te edictum proposuisse, quo te provinciam Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturam polliceris.

illa in re, in caede Caesaris.

§. 4. *iste*, Antonius, *provinciam*, Galliam Cisalpinam, quam Bruto eripere conabatur.

[§. 5. *princ. cons. exitus*, ut, quemadmodum rege, ita dominatu regio nos liberes. *Manut.*]

EPISTOLA CLXV. (Ad Div. XII. 22.)

Scr. Romae exeunte Dec. A. U. C. 709.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega 1
nostro, Antonio, bellum gerimus, sed non pari condicione, contra
arma verbis. At etiam de te contionatur, nec impune; nam sentiet,
quos lacessierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab 2
aliis; a me futura debes cognoscere, quorum quidem non est difficilis
coniectura. Oppressa omnia sunt, nec habent ducem boni; nostrique
τυραννοκτόνοι longe gentium absunt. Pansa et sentit bene et loquitur
fortiter; Hirtius noster tardius convalescit. Quid futurum sit, plane 3
nescio. Spes tamen una est, aliquando populum Romanum maiorum
similem fore. Ego certe rei publicae non deero, et, quidquid acci-
derit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. Illud profecto, quoad
potero: tuam famam et dignitatem tuebor. A. d. XIII. Kalendas 4
Ianuar. senatus frequens mihi est assensus, quum de ceteris rebus
magnis et necessariis, tum de provinciis ab iis, qui obtinerent, reti-
nendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatus consulto succes-
sisset. Hoc ego quum rei publicae causa censui, tum mehercule in 5
primis retinendae dignitatis tuae. Quamobrem te amoris nostri causa 6
rogo, rei publicae causa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua
provincia esse patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil
esse potest praestantius. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra 7
postulat: in Sempronio, si meis litteris obtemperasses, maximam ab
omnibus laudem adeptus esses. Sed illud et praeteriit, et levius
est. Haec magna res est: fac, ut provinciam retineas in potestate

Ep. CLXV. §. 1. *colleja nostro*, in auguratu.

**de te contionatur*, C. Calvisium successorem tibi destinat. — *sentiet, quos lacessierit*, tu enim non verbis solum, sed etiam armis bellum cum eo gerere poteris.

§. 2. **absunt*, Brutus in Macedonia, Cassius in Syria.

**convalescit*; aegrotavit Hirtius graviter paullo ante quam iniret consulatum, sic, ut pro eius salute populus Romanus vota fecerit. *Man.*

§. 3. **plane nescio*; haec non satis conveniunt cum iis, quae paullo ante proposuit: *quorum non est difficilis coniectura.*

[§. 4. *est assensus.* Censuit hoc Cic. in Phil. III. *Manut.*]

**de ceteris rebus magnis*, ut res, quas Caesar Octavianus privato consilio gessisset aut gereret, publica auctoritate confirmarentur; legiones, quae Antonio relicto ad Caesarem se contulissent, laudarentur; D. Brutus, qui Antonio resisteret, debita laude ornaretur. Cic. Phil. III.

[§. 5. *retin. dignit. tuae.* ne C. Calvisius in Africam iret, ei traditam ab Antonio sine SC. *Manut.*]

§. 7. **in Sempronio*, cf. ep. CLXXVI, 6. Qua vero in re Cornificius Sempronium offenderit, nescimus. — *excuses*, quod ei nullas litteras misi.

rei publicae. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaque Chaerippo nostro me velim excuses.

EPISTOLA CLXVI. (Ad Div. XVI. 21.)

Scr. Athenis mense incerto A. U. C. 709.

CICERO FIL. TIRONI SUO DULCISS. S. P. D.

1 Quum vehementer tabellarios exspectarem quotidie, aliquando venerunt post diem XL. et VI., quam a vobis discesserant; quorum mihi fuit adventus optatissimus. Nam quum maximam cepissem laetitiam ex humanissimi et carissimi patris epistola, tum vero iucundissimae 2 tuae litterae cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me iam non poenitebat, intercapedinem scribendi fecisse, sed potius laetabar; fructum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex silentio mearum litterarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusa- 3 tionem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro; praestaboque et enitar, ut in dies 4 magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non solum animus a factis, sed aures quoque 5 a commemoratione abhorreant. Cuius te sollicitudinis et doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi; nec id mirum. Nam quum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua: socium 6 enim te meorum commodorum semper esse volui. Quoniam igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, prae- 7 stabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium, esse coniunctissimum. Nam quum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem; exoro enim, ut mecum quam saepissime coenet. 8 Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis et coenantibus obrepit, sublataque severitate philosophiae humanissime nobiscum iocatur.

Ep. CLXVI. [§. 3. *Gratos esse — non dubito.* Cicero pater diceret, *quin grati sint:* nam locum ep. 72, 6. Bremius interpunctione sanavit. Cf. ad ep. 72, 6.]

§. 4. **errata aetatis meae,* ebriositati maxime deditus fuerat; cf. Senec. Suasor. VII., qui de eo tradit: *nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem: et natura memoriam demserat, et ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat.*

§. 5. **successa* pro *successisse*; quod Latini sermonis consuetudo ferre vix videtur. Omnino satis mirari non possum, non modo ab elegantia et copia, sed interdum etiam a proprietate paterni sermonis longe distare orationem filii. *Man.*

[§. 6. *ex me doluisti.* Brut. 97, 332. *ex te duplex nos afficit sollicitudo.*]

§. 7. **Cratippo* Mitylenaeo, philosopho inter Peripateticos praestantissimo.

Quare da operam, ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentem 9
virum videas quam primum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem
nullo tempore a me patior discedere; cuius quum frugi severaque est
vita, tum etiam iucundissima convictio. Non est enim seiunctus iocus
a *φιλολογίᾳ* et quotidiana *συζητήσει*. Huic ego locum in proximo 10
conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem.
Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui; Latine autem apud
Bruttium exerceri volo. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, 11
quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus et doctis et illi
probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates, princeps Athe-
niensium, et Leonides, et horum ceteri similes. *Τὰ μὲν οὖν καθ'* 12
ἡμᾶς τάδε: de Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille
in quotidiana declamatione utilis; sed omnia postposui, dummodo prae-
ceptis patris parerem: *διαῤῥήδην* enim scripserat, ut eum dimitterem
statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia *σπουδὴ* suspicionem ei ali-
quam importaret. Deinde illud etiam mihi succurrebat, grave esse,
me de iudicio patris iudicare. Tuum tamen studium et consilium 13
gratum acceptumque est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis
accipio; scio enim, quam soleas esse occupatus. Emisse te praedium 14
vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem istam evenire cupio. Hoc
loco me tibi gratulari, noli mirari; eodem enim fere loco tu quoque,
emisse te, fecisti me certiorem. Habes. Deponendae tibi sunt urbani- 15
tates; rusticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos
tuum iucundissimum conspectum propono? Videor enim videre ementem
te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensa
secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, aeque 16
ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si
modo fortuna me; praesertim quum sciam, communem nobis emptum
esse istum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit, est mihi gratum. 17
Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime
quidem Graecus; multum mihi enim eripitur operae in exscribendis

§. 9. [*de Bruttio.* equite Rom. Siculo, quem Acilio procos. commendat XIII, ep. 38.] *philologia* est ars de rebus quibuscunque, imprimis philosophicis disputandi. *Ern.*

§. 10. **apud Cassium*, rhetorem quendam, alias ignotum.

**Leonides*, cui Cicero pater mandaverat, ut de filii studiis et moribus quam saepissime scriberet; cf. ad Att. XIV, 16. XV, 16. a.

§. 12. *de Gorgia*, rhetore Atheniensi, cuius quatuor libros de figuris elocutionis et sententiarum Rutilius Lupus in unum contraxit. Plut. Cicer. 24. *Γοργίαν δὲ τὸν ῥήτορα, αἰτιώμενος εἰς ἡδονὰς καὶ πότους προάγειν τὸ μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ.* v. Ruhnk. praef. ad Rutil. Lup.

**σπουδή*, studium Gorgiae.

§. 15. **habes*, percussus es. Ut enim saepe de gladiatore, qui ab adversario percussus est, quod alii prius vident, quam ipse sentit, dicitur: *Habet!* sic Cicero iocatur, Tironem praedio emto urbanitatis laudem perdidisse neque ipsum hoc sensisse.

**semina*, pomorum, quae comeduntur in secunda mensa. *Man.*

hypomnematis. Tu velim in primis cures, ut valeas, ut una συμπαλλογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

EPISTOLA CLXVII. (Ad Div. X. 3.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 710.

CICERO PLANCO S. D.

1 Quum ipsum Furnium per se vidi libentissime, tum hoc libentius, quod illum audiens te videbar audire. Nam et in re militari virtutem et in administranda provincia iustitiam et in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit, et praeterea mihi non ignotam in consuetudine et familiaritate suavitatem tuam adiunxit, praeterea sum-
2 mam erga se liberalitatem. Quae omnia mihi iucunda, hoc extre-
3 mum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto, quam tu natus esses, amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua; confirmata iam aetate
4 familiaritatem quum studio meo tum iudicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faveo dignitati tuae, quam mihi tecum statuo debere esse communem. Omnia summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna; eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos
5 ingenio industriaque fregisti. Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo rei publicae statu ac-
6 quires. Scis profecto, (nihil enim te fugere potuit,) fuisse quoddam tempus, quum homines existimarent, te nimis servire temporibus; quod ego quoque existimarem, te si ea, quae patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed quum intelligerem, quid sentires, te arbitrabar videre,
7 quid posses. Nunc alia ratio est: omnium rerum tuum iudicium est, idque liberum. Consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia,
8 maxima orbitate rei publicae virorum talium. Incumbe, per deos immortales! in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam afferat. Unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot

§. 17. **hypomnematis*, fortasse Cratippi commentariis. — *Antherum*, servum, qui has litteras ad Tironem perferebat.

Ep. CLXVII. *L. *Planco*, cf. ad ep. CLX. §. 1. *Turnium*, ibid. §. 7.

**liberalitatem*, non largitionem, sed summam quandam humanitatem et consuetudinem gratificandi. *Man.*

[§. 4. *virtute duce, com. fort.* Vid. ep. 171, 8.]

**fregisti*, effecisti, ut tibi nocere non possent.

§. 6. *servire temporibus*, quum sequeretur Caesarem, cuius legatus fuit in bello Gallico, Hispaniensi, Africano. *quid posses*, an reipublicae contra Caesarem opem ferre posses.

§. 7. **tuum iudicium est*, quum antea ex Caesaris, cuius legatus erat, arbitrio omnia essent facienda.

[*orbit. reip. talium vir.* Vid. ad ep. 141, 6.]

annos re publica devexata, rei publicae bene gerundae cursus ad gloriam. Haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quo 9
te arbitrarer monitis et praeceptis egere. Sciebam enim, ex iisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum 10
faciam. Nunc tantum significandum putavi, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo.

EPISTOLA CLXVIII. (Ad Div. X. 28.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710.

CICERO TREBONIO SAL.

Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis in- 1
vitasses! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum iis tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in rem publicam beneficium nonnullam habeat querelam. Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque 2
beneficio adhuc vivit haec pestis, interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor. Mihi enim negotii plus reliquisti uni, quam, praeter me, omnibus. Ut enim primum post Antonii foedissimum discessum 3
senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reverti pristinum, quem tu cum civi acerrimo, patre tuo, in ore et amore semper habuisti. Nam quum senatum a. d. XIII. Kalendas Ianuarias tribuni plebi voca- 4
vissent, deque alia re referrent, totam rem publicam sum complexus, egique acerrime, senatumque iam languentem et defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi magis animi, quam ingenii, viri-

[§. 8. Cursus *reip. bene gerendae unus est cursus ad gloriam*, i. e. in rep. bene gerenda positus est vel remp. gerere unus est cursus, ut Offic. II, 2. *si discendi labor est potius quam voluptas.* Ad sensum cf. ep. 171, 6.]

§. 9. **ex iisdem fontibus*, ex praeceptis philosophorum et doctrina.

Ep. CLXVIII. [*Trebonio.* uni ex iis, qui contra Caesarem coniuraverant, tunc Asiam regenti. Interfectus postea est Smyrnae a Dolabella. vid. ad Fam. XII, 12. *Manut.*] §. 1. *reliquiarum.* Antonium significat. cf. ep. 151, 2. ad Fam. XII, 4. in epist. ad Cassium: *Vellem Idibus Mart. me ad coenam invitasses! reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestrae exercent, et quidem praeter ceteros me.*

[§. 2. *seductus est.* Dio Cass. 44. 19. *ὡς δ' οὖν ἀφίκετό ποτε πρὸς τὸ συνέδριον, Τρεβώνιος μὲν Ἀντώνιον ἔξω που ἀπεδιέτριψεν.* Phil. 13, 10, 22. *Laetandum esse ausus es scribere, Trebonium dedisse poenas? sceleratum Trebonium? quo scelere, nisi quod te Idibus Mart. a debita tibi peste seduxit?*]

**tuo beneficio*, seduxit Trebonius Antonium non ut ab interitu eum servaret, sed ne Caesari subveniret.

§. 3. *foedissimum discessum*, nuntio allato de legione quarta, quae ad Octavium transierat. ad Att. XVI, 8. Phil. III, 3, 9.

§. 4. **de alia re*, de praesidio consulum designatorum.

totam remp. sum compl. oratione Philipp. III.

[*magis animi* - - Cf. Or. 37, 130. 38, 132.]

5 bus. Hic dies meaque contentio atque actio spem primum popu-
6 lo Romano attulit libertatis reciperandae. Nec vero ipse postea tempus ullum intermisi de re publica non cogitandi solum, sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed
7 illa cognosces ex aliis; a me pauca, et ea summatim. Habemus fortem senatum, consulares partim timidos, partim male sentientes. Magnum damnum factum est in Servio. L. Caesar optime sentit, sed, quod avunculus est, non acerrimas dicit sententias. Consules egregii; praeclarus D. Brutus; egregius puer Caesar, de quo spero equidem reliqua.
8 Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duae de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil
9 crudelitatis praeteriturum fuisse. Haec tibi, etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus otii habuero.

EPISTOLA CLXIX. (Ad Div. XII. 5.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710.

M. T. CICERO CASSIO S. P. D.

1 Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeque ubi esses. Loquebantur omnes tamen, (credo, quod volebant,) in Syria te esse, habere copias. Id
2 autem eo facilius credebatur, quia simile veri videbatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas gessit tamque inopinatas, ut eae quum per se gratae essent, tum ornatiores
3 propter celeritatem. Quodsi tu ea tenes, quae putamus, magnis subsidiis fulta res publica est: a prima enim ora Graeciae usque ad Aegyptum

§. 7. *fortem. sen.* ad Div. XII, 4. *egregios consules* [Hirtium et Pansam] *habemus, sed turpissimos consulares, senatum fortem, sed infimo quemque honore fortissimum.* cf. ep. 169, 7.

in Servio, Sulpicio, nuper, quum esset ad Antonium missus, mortuo. cf. ep. 169, 7. Phil. IX, c. 3 sqq.

[*L. Caesar*, v. ep. 149, 5.]

Puer Caesar, Octavianus, qui tum annum XIX. agebat.

§. 8. *legionesque duae*, Martia et Quarta. Phil. III, 3. ad Att. XVI, 8. *cf. ad ep. CLXIII, 4.

[§. 9. *si habuero*, pro si habebo, sed dictum ut *potuero, voluero*. vid. ad ep. 143, 8.]

Epist. CLXIX. §. 1. **habere copias.* Hic sermo non falsus erat, nam Cassius (cf. ad Div. XII, 11.) quum primum in Syriam venit, a L. Murco et Q. Crispo, qui provinciae praefuerant, exercitum acceperat, item legionem Q. Caecilii Bassi, quattuor legiones praeterea A. Allieni.

§. 2. *Brutus.* Est M. Brutus, qui Macedoniam, Illyricum, Graeciam senatui contra Antonium conservavit. Phil. X, 4 sqq.

§. 3. *Aegyptum*, quam Cassius tenebat. Phil. X, 5. in. *exterae nationes a prima ora Graeciae usque ad Aegyptum optimorum et fortissimorum civium imperiis et praesidiis tenentur.*

optimorum civium imperiis muniti erimus et copiis. Quamquam, nisi 4
me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimen in
D. Bruto positum videretur; qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina,
nihil belli reliqui fore videbatur. Parvis omnino iam copiis obsidebatur, 5
quod magno praesidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Cla-
ternae noster Hirtius, ad Forum Cornelium Caesar, uterque cum firmo
exercitu; magnasque Romae Pansa copias ex delectu Italiae comparat.
Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut 6
mihi crebris litteris significat, acturus videbatur. Praeter Bononiam,
Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, studiosissimam
rei publicae. Tuos etiam clientes Transpadanos mirifice coniunctos
cum causa habebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis consulari- 7
bus, ex quibus unus L. Caesar firmus est et rectus. Ser. Sulpicii
morte magnum praesidium amisimus. Reliqui partim inertes, partim
improbi; nonnulli invident eorum laudi, quos in re publica probari
vident. Populi vero Romani totiusque Italiae mira consensio est. Haec 8
erant fere, quae tibi nota esse vellem. Nunc autem opto, ut ab istis
Orientis partibus virtutis tuae lumen eluceat. Vale.

EPISTOLA CLXX. (Ad Div. IX. 24.)

Scr. Romae exeunte Februario A. U. C. 710.

CICERO PAETO S. D.

Rufum istum, amicum tuum; de quo iterum iam ad me scribis, 1
adiuvarem, quantum possem, etiam si ab eo laesus essem, quum te
tantopere viderem eius causa laborare; quum vero et ex tuis litteris
et ex illius ad me missis intelligam et iudicem, magnae curae ei salutem
meam fuisse, non possum ei non amicus esse; neque solum tua com-
mendatione, quae apud me, ut debet, valet plurimum, sed etiam vo-
luntate ac iudicio meo. Volo enim te scire, mi Paete, initium mihi 2
suspicionis et cautionis et diligentiae fuisse litteras tuas; quibus litteris
congruentes fuerunt aliae postea multorum. Nam et Aquini et Fabra-

§. 4. **Mutina*, ex oppido Galliae Cispadanae, h. *Modena*.

§. 5. **Bononiam*, hodie Bologna; *Claterna* et *Forum Cornelium* oppida Lingonum in eadem Gallia. — *Caesar*, Octavianus. — Ceterum periculum, in quo D. Brutus versabatur, aliquanto maius erat, quam Cicero hac epistola esse fingit: tamen Octaviani et consulum victoria obsidione liberatus est.

§. 7. **exceptis consularibus*, cf. ep. CLXI, 9. — *Servii Sulpicii morte*, cf. ep. CLXIX, 7.

Ep. CLXX. *L. Papirio *Paeto*, cf. ep. CV. CVII.

§. 1. *salutem meam*, quum Antonius cum sociis consilia de Cicerone opprimendo iniisset, *quae Rufus ad Paetum, Paetus ad Ciceronem detulit; cf. Phil. XIV, 5.

§. 2. **Aquini*, in oppido Latii novi; *Fabrateriae*, in oppido Volscorum ad amnem Trevum. — *egerunt*, Antoniani.

teriae consilia sunt inita de me, quae te video inaudisse; et, quam divinarent, quam iis molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. Quod ego non suspicans incautior fuissem, nisi
3 a te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. Utinam ea fortuna rei publicae sit, ut ille me
4 quam gratissimum possit cognoscere! Sed haec hactenus. Te ad coenas itare desisse, moleste fero; magna enim te delectatione et voluptate privasti. Deinde etiam vereor, — licet enim verum dicere, — ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas et obliviscare, coe-
5 nulas facere. Nam si tum, quum habebas, quos imitarere, non multum proficiebas, quid nunc te facturum putem? Spurinna quidem, quum ei rem demonstrassem et vitam tuam superiorem exposuissem, magnum periculum summae rei publicae demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, quum Favonius flaret, revertisses; hoc tempore ferri
6 posse, si forte tu frigus ferre non posses. Sed, mehercule, mi Paete, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, iucundis, amantibus tui vivas. Nihil est aptius
7 vitae, nihil ad beate vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitae atque victus remissionemque animorum, quae maxime sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri, quam Graeci: illi *συμπόσια* aut *σύνδειπνα* id est, compotationes ut concoenationes, nos *convivia*, quod tum maxime *simul vivitur*. Vides, ut te philosophando revocare coner ad coenas? Cura, ut valeas; id foris coenitando facillime consequere.
8 Sed cave, si me amas, existimes, me, quod iocosius scribam, abiecisse curam rei publicae. Sic tibi, mi Paete, persuade, me dies et noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Nullum locum praetermitto monendi, agendi, providendi; hoc denique animo sum, ut, si in hac cura atque administratione vita mihi ponenda sit, praeclare actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

§. 4. * *coenulas facere*; similem in modum iocatur Cicero in ep. CV, 12., ad Paetum scribens.

§. 5. *quos imitarere*, Hirtium et Pansam. *non multum prof.* quia illorum coenae copiosiores erant.

Spurinna, haruspex, qui Caesarem monuit, ut Idus Martias caveret.

* *quum Favonius flaret*, i. e. vere redeunte.

[*frigus* et propria significatione accipiendum videtur, et ea, qua *otium a rebus publicis* denotat, *quum nihil agitur in rep. nihil proficitur*, ut ait Ern. in cl. Vidit I. Fr. Gronov.]

[§. 7. *sapientius nostri*. De hoc loco elegans est disputatio Mureti Var. lect. 19, 4. Cf. Cat. mai. 13.]

* *illi* refertur ad Graecos, quamquam proxime commemorantur, quia longius absunt.

* *id est, compotationes aut concoenationes*; haec verba eodem iure adduntur, quo infra dicitur: *convivia, quia tum maxime simul vivitur*. Fuerunt tamen, qui velut glossema haec eiicere vellent.

EPISTOLA CLXXI. (Ad Div. X. 5.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710.

CICERO PLANCO S.

Binas a te accepi litteras eodem exemplo; quod ipsum argumento 1
mihi fuit diligentiae tuae. Intellexi enim, te laborare, ut ad me mihi
exspectatissimae litterae perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem 2
mihique in comparatione difficilem ad iudicandum, amoremne erga me
tuum, an animum in rem publicam pluris aestimandum putarem. Est 3
omnino patriae caritas, meo quidem iudicio, maxima; sed amor volun-
tatisque coniunctio plus certe habet suavitatis. Itaque commemoratio 4
tua paternae necessitudinis benevolentiaeque eius, quam erga me a
puerilia contulisses, ceterarumque rerum, quae ad eam sententiam
pertinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt. Rursus declaratio 5
animi tui, quem haberes de re publica quemque habiturus esses, mihi
erat iucundissima: eoque maior erat haec laetitia, quod ad illa supe-
riora accedebat. Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane 6
etiam oro, quod feci iis litteris, quibus tu humanissime respondisti,
ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumbas. Nihil
est, quod tibi maiori fructui gloriaeque esse possit, nec quidquam ex
omnibus rebus humanis est praeclarius aut praestantius, quam de re
publica bene mereri. Adhuc enim (patitur tua summa humanitas et 7
sapientia, me, quod sentiam, libere dicere) fortuna suffragante videris 8
res maximas consecutus; quod quamquam sine virtute non potuisses,
tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibusque
tribuuntur: his temporibus difficillimis rei publicae quidquid subveneris,
id erit totum et proprium tuum. Incredibile est omnium civium, la- 9
tronibus exceptis, odium in Antonium; magna spes in te et in tuo
exercitu magna exspectatio. Cuius, per deos, gratiae gloriaeque cave 10
tempus amittas. Sic moneo, ut filium; sic faveo, ut mihi; sic hortor,
ut et pro patria et amicissimum.

Ep. CLXXI. §. 1. **eodem exemplo*, cf. ep. CXIV, 1. CV, 1.

[§. 4. *attulerunt*, quasi praecesserit *paterna necessitudo benevolentiaque ceteraeque res.*]

**iis litteris*, ep. CLXVII.

§. 8. **res maximas consecutus*; nam non solum provinciam Galliam Transalpinam cum imperio obtinebat, sed etiam consul anni sequentis designatus erat cum D. Bruto.

[*quidquid subv.* Vid. ad ep. 109, 3.]

§. 9. **latronibus exceptis*; apte comparat Süpfl. Phil. IV, 4. *spes rapiendi atque praedandi occaecat animos eorum: quos non bonorum damnatio, non agrorum assignatio, non illa infinita Pompeii hasta satiavit: qui sibi urbem, qui bona, et fortunas civium ad praedam proposuerunt.* cf. etiam ep. CLXXII, 1. Phil. XIII, 2.

EPISTOLA CLXXII. (Ad Div. X. 6.)

Scr. Romae XIII. Kal. Apr. A. U. C. 710.

CICERO PLANCO.

1 Quae locutus est Furnius noster de animo tuo in rem publicam, ea gratissima fuerunt senatui populoque Romano probatissima; quae autem recitatae litterae sunt in senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione visae sunt. Pacis enim auctor eras, quum collega tuus, vir clarissimus, a foedissimis latronibus obsideretur; qui aut positis armis pacem petere debent, aut, si pugnantes eam postulant, 2 victoria pax, non pactione parienda est. Sed de pace litterae vel Lepidi vel tuae, quam in partem acceptae sint, ex viro optimo, fratre tuo, et ex C. Furnio poteris cognoscere. Me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipsi consilium deesset, et fratris Furniique benevolentia fidelisque prudentia tibi praesto esset futura, vellem tamen meae quoque auctoritatis pro plurimis nostris necessitudi- 3 nibus praeceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes, quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis, (es autem adeptus amplissimos,) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Romani et cum senatus auctoritate con- 4 iunxeris. Seiunge te, quaeso, aliquando ab iis, cum quibus te non 5 tuum iudicium, sed temporum vincla coniunxerunt. Complures in perturbatione rei publicae consules dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rem publicam consulari. Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum civium, tui dissimillimorum, societate sejungas; deinde te senatui bonisque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas; postremo, ut pacem esse iudices non in armis positis, sed in abiecto armorum et servitutis 6 metu. Haec si et ages et senties, tum eris non modo consul et consularis, sed magnus etiam consul et consularis. Sin aliter, tum in istis amplissimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, 7 sed erit summa deformitas. Haec, impulsus benevolentia, scripsi paullo severius; quae tu in experiendo ea ratione, quae te digna est, vera esse cognosces. D. XIII. Kal. Apriles.

Ep. CLXXII. §. 1. **pacis*, cum Antonio faciendae.

collega tuus, D. Brutus, cum Planco cos. designatus. *a foed. latron.* Antonio eiusque militibus Mutinae.

§. 2. *Lepidi*, M. Aemilii L. qui, decreta sibi Hispania, in Gallia tamen adhuc, civilis belli ab Antonio suscitati exitum exspectans, morabatur. *Manut.*

**quam in partem acceptae sint*; Cicero pacem cum Antonio fieri posse in senatu negavit, senatus vero tumultum decernendum censuit.

[*fratre tuo*, qui in exercitu huius Planci erat. Vid. ad Fam. X, 11.]

§. 4. **aliquando*, diu enim Plancus a Caesaris partibus steterat, temporibus serviens, cf. ep. CLXVI, 6.

§. 5. **impiorum civium*, Antonii, Lepidi.

EPISTOLA CLXXIII. (Ad Div. X. 27.)

Scr. Romae mense Martio A. U. C. 710.

CICERO LEPIDO SAL.

Quod mihi pro summa erga te benevolentia magnae curae est, 1
ut quam amplissima dignitate sis, moleste tuli, te senatui gratias non egisse, quum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis 2
inter cives conciliandae te cupidum esse laetor. Eam si a servitute seiungis, consules et rei publicae et dignitati tuae; sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos esse, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationem 3
non interpones, quae neque senatui neque populo nec cuiquam bono probatur. Sed haec audies ex aliis aut certior fies litteris. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, videbis.

EPISTOLA CLXXIV. (Ad Div. X. 8.)

Scr. in Gallia mense Martio A. U. C. 710.

PLANCUS IMP. COS. DES. S. D. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R.

Si cui forte videor diutius et hominum exspectationem et spem 1
rei publicae de mea voluntate tenuisse suspensam, huic prius excusandum me esse arbitror, quam de insequenti officio quidquam ulli pollicendum. Non enim praeteritam culpam videri volo redemisse, sed

Epist. CLXXIII. **Lepido*, cf. ad ep. CLXXII, 2.

§. 1. *summis honoribus*, supplicatione, triumpho, statua equestri inaurata, quia pacem cum Sex. Pompeio conciliaverat, eumque civitati restituerat. Phil. III, 9. V, 14 sq. XIII, 4.

§. 2. *Pacis*. De hac pace agit XIII. Phil. 4 sqq.

§. 3. **quid optimum factu sit, videbis*; Lepidus paullo post cum M. Antonio, qui proelio Mutinensi victus erat, deinde etiam cum Octaviano se coniunxit contra rem publicam.

[Ep. CLXXIV. De iis, quae hac epist. Plancus prae se fert, conferendus locus Velleii Pat. 2, 63. *Plancus deinde dubia, id est, sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor D. Bruti designati cos. collegae sui, senatuique se litteris venditans, mox eiusdem proditor.* ubi accurate de Planco egit Ruhnk.]

[§. 1. [*redemisse*, compensasse. Sic Sallust. Catil. 14. *quo flagitium aut facinus redimerent.* Ovid. Heroid. 17, 49. *vitium auctore redemit.* Haec Cort.] *optimae mentis cogitata.* Verbum cogitata dupliciter considerari potest, et ut nomen, hoc modo: *Optimae mentis cogitata*, et ut partic. *Cogitata iampridem.* Partic. saepe reperitur; de nomine afferamus exempla. Or. de l. agr. 1, in. *utrum cogitata sapientum, an optata furio-*

2 optimae mentis cogitata iampridem maturo tempore enuntiare. Non
me praeteribat, in tanta sollicitudine hominum et tam perturbato statu
civitatis fructuosissimam esse professionem bonae voluntatis, magnos-
3 que honores ex ea re complures consecutos videbam. Sed, quum in
eum casum me fortuna demisisset, ut aut celeriter pollicendo magna
in spe ad proficiendum impedimenta opponerem, aut, si in eo mihi
temperavissem, maiores occasiones ad opitulandum haberem, expedi-
4 tius iter communis salutis, quam meae laudis, esse volui. Nam quis
in ea fortuna, quae mea est, et ab ea vita, quam in me cognitam
hominibus arbitror, et cum ea spe, quam in manibus habeo, aut
5 sordidum quidquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? Sed
aliquantum nobis temporis et magni labores et multae impensae opus
fuerunt, ut, quae rei publicae bonisque omnibus polliceremur, exitu
praestaremus neque ad auxilium patriae nudi cum bona voluntate, sed
6 cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis,
magnis saepe praemiis sollicitatus, ut ab re publica potius moderata,
quam ab uno infinita speraret; confirmandae complures civitates, quae
superiore anno largitionibus concessionibusque praemiorum erant obli-
gatae, ut et illa vana putarent, et eadem a melioribus auctoribus petenda
7 existimarent; alliciendae etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provin-
ciis exercitibusque praefuerunt, ut potius cum pluribus societatem defen-
dendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus funestam orbi ter-
8 rarum victoriam partiremur. Muniendi vero nosmet ipsi fuimus, aucto
exercitu auxiliisque multiplicatis, ut, quum praeferremus sensus aperte,
tum etiam, invitis quibusdam, sciri, quid defensuri essemus, non
9 esset periculosum. Ita nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum
horum consiliorum pervenirem, et simulasse invitum et dissimulasse
cum dolore, quod, praematura denuntiatio boni civis imparati quam
10 periculosa esset, ex casu collegae videbam. Quo nomine etiam C.

sorum videntur? Et pro Quintio 29 extr. *ex ceteris dictis, factis cogitatisque S. Naevii quivis potest intelligere. Manut.* Cf. ad or. Catil. III. §. 27. et Add.]

§. 2. **complures*, ut D. Brutum, M. Lepidum, C. Caesarem Octavianum, L. Egnatuleium; his enim omnibus summos honores decernendos, militibus veteranis, qui auctoritatem senatus defendissent praemia virtutis assignanda Cicero censuit, Phil. V, 13—19.

§. 3. **magna in spe*, magna sperari iubens.

§. 4. **cum ea spe*, consulatus proximo anno gerendi.

sordidum, ut servitutem, qua periculum erat, ne Antonius civitatem opprimeret, *aut perniciosum* libertati et legibus.

[§. 5. *opus fuerunt.* v. *Ramshorn. gramm. l.* p. 264. 2. *Zumptii gramm.* c. 74. 6. s. §. 464.]

§. 6. *sollicitatus*, ab Antonio.

**largitionibus conc. q. praem.*, quas Antonius ex fictis Caesaris commentariis protulerat. — *a melioribus auctoribus*, senatu populoque Romano.

§. 7. **reliquorum*, ut Asinii Pollionis, qui Hispanias obtinebat.

§. 9. *collegae.* D. Bruti. vid. Velei. locum. *D. Brutus, quum aperte rei publicae causam suscepisset, ab Antonio Mutinae obsessus et in magnum periculum adductus est.

Furnio legato, viro forti atque strenuo, plura etiam verbo quam scriptura mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur et nos essemus tutiores, quibusque rebus et communem salutem muniri et nos armari conveniret, praecepimus. Ex quo intelligi potest, curam 11
rei publicae summae defendundae iampridem apud nos excubare. Nunc, quum deûm benignitate ab omni re sumus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines, sed explorate iudicare volumus. Legiones 12
habeo quinque sub signis, et sua fide virtuteque rei publicae coniunctissimas et nostra liberalitate nobis obsequentes; provinciam, omnium 13
civitatium consensu paratissimam et summa contentione ad officia certantem; equitatus auxiliorumque tantas copias, quantas hae gentes ad defendendam suam salutem libertatemque conficere possunt. Ipse ita 14
sum animo paratus vel provinciam tueri vel ire, quo res publica vocet, vel tradere exercitum, auxilia provinciamque, ut vel omnem impetum belli in me convertere non recusem, si modo meo casu aut confirmare patriae salutem aut periculum possim morari. Haec si iam 15
expeditis omnibus rebus tranquilloque statu civitatis polliceor, in damno meae laudis rei publicae commodo laetabor; sin ad societatem integerrimorum et maximorum periculorum accedam, consilia mea aequis iudicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. Mihi qui- 16
dem ipsi fructus meritorum meorum in rei publicae incolumitate satis magnus est paratus. Eos vero, qui, meam auctoritatem et multo magis vestram fidem secuti, nec ulla spe decipi nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur.

EPISTOLA CLXXV. (Ad Div. X. 12.)

Scr. Romae III. Id. April. A. U. C. 710.

CICERO PLANCO.

Etsi rei publicae causa maxime gaudere debeo, tantum ei te 1
praesidii, tantum opis attulisse extremis paene temporibus, tamen, ita

Collegam eum Plancus dicit, consul cum illo futurus.

§. 10. **mandata dedimus*, cf. ep. CLXXII, 1. *litterae — nequaquam consentire cum Furnii oratione visae sunt.*

§. 11. **rei publicae summae*, ut ad Div. XIII, 68, 2. *de re publica summa quid sentiam, non saepe scribam.*

§. 13. **provinciam*, Galliam transalpinam, exceptis Narbonensi et Belgico.

§. 15. **consilia mea*, quae supra exposui.

§. 16. **eos*, milites meos et provinciales; his igitur praemia postulat, dum sibi meritorum suorum conscientiam satis futuram prae se fert.

Epist. CLXXV. §. 1. **extremis paene tempor.*, in summo rei publicae discrimine. — *ita — ut*, saepe in votis et in affirmationibus, cf. ep. LXV, 8. *ita vivam, putavi.*

te victorem complectar re publica recuperata, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas affert, quam et esse iam et futuram amplissimam
2 intelligo. Cave enim putes, ullas unquam litteras gratiores, quam tuas, in senatu esse recitatas. Idque contigit quum meritorum tuorum in rem publicam eximia quadam magnitudine, tum verborum senten-
3 tiarumque gravitate. Quod mihi quidem minime novum, qui et te nossem et tuarum litterarum ad me missarum promissa meminissem
4 et haberem a Furnio nostro tua penitus consilia cognita: sed senatui maiora visa sunt, quam erant exspectata; non quo unquam de tua voluntate dubitasset, sed nec, quantum facere posses, nec, quoad
5 progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque quum a. d. VII. Idus Apriles mane mihi tuas litteras M. Varisidius reddidisset, easque legissem, incredibili gaudio sum elatus; quumque magna multitudo optimorum virorum et civium me de domo deduceret, feci continuo omnes
6 participes meae voluptatis. Interim ad me venit Munatius noster, ut consuerat; at ego ei litteras tuas, nihildum enim sciebat. Nam ad
7 me primum Varisidius, idque sibi a te mandatum esse dicebat. Paullo post idem mihi Munatius eas litteras legendas dedit, quas ipsi miseras, et eas, quas publice. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum praetorem urbanum litteras deferremus, qui, quod consules aberant,
8 consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuo convocatus, frequensque convenit propter famam atque exspectationem
9 tuarum litterarum. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse;
10 idque a nostro collegio comprobatum est. Itaque res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio; qui quum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit, et in alia omnia discessit; meaeque sententiae, quae secunda pronuntiata erat, quum frequenter
11 assentiretur senatus; rogatu Servilii P. Titius intercessit. Res in po-

§. 3. **a Furnio nostro*, cf. ep. CLXXII, 1.

§. 4. **quantum facere posses*, cf. ep. CLXXIV, 12. 13. — *quoad progredi velles*, ibid. §. 14.

§. 5. **M. Varisidius*, eques Romanus.

§. 6. *T. Munatius* diversus esse videtur a T. Planco Bursa, de quo vid. ad ep. 145, 4. eius, ad quem epistola scripta est, fratre. Fortasse hic idem est qui ep. 172, 2. commemoratur.]

§. 7. **quas publice*, epistolam CLXXIV. — *quod consules* Hirtius et Pansa *aberant*, bellum cum Antonio ad Mutinam gerentes. — *consulare munus*, referendi ad senatum.

[§. 9. *cum* pro se. vid. ad or. pro S. Rosc. §. 95.]

**eum — dedisse* pendet ex praeced. *admonitu*. — *a nostro collegio*, augurum.

§. 10. **sua sententia*, honores Planco nullos decernendos esse a senatu. — *P. Titius*, tribunus plebi. Intercedentibus tribunis senatus auctoritas tantum perscribi poterat.

[*Servilio*. Isaurici filio, eo qui cum Caesare consulatum gesserat. Cf. epp. ad Brut. II, 2. *Manut.*]

sterum dilata. Venit paratus Servilius, Iovi ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te litteris malo cognoscere. Unum hoc ex meis: senatus gravior, constantior, amicior 12
tuis laudibus esse non potuit, quam tum fuit; nec vero tibi senatus amicior, quam cuncta civitas. Mirabiliter enim populus Romanus universus et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam rem publicam conspiravit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum com- 13
menda immortalitati: atque haec omnia, quae habent speciem gloriae, collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne; brevia, fugacia, caduca existima. Verum decus in virtute positum est, quae maxime illustratur magnis in rem publicam meritis. Eam facultatem habes 14
maximam, quam quoniam complexus tenes, perfice, ut ne minus res publica tibi, quam tu rei publicae debeas. Me tuae dignitatis non 15
modo fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. Id quum rei publicae, quae mihi vita est mea carior, tum nostrae necessitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem 16
tuam, cepi magnam voluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam et fidem magis etiam perspexi in eius incredibili erga te benevolentia et diligentia. III. Idus Apriles.

EPISTOLA CLXXVI. (Ad Div. XII. 25.)

Scr. Romae exeunte Aprili A. U. C. 710.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

Liberalibus litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo 1
die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non invita Minerva. Etenim eo ipso die senatus decrevit, ut Minerva nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Pansa tuas litteras recitavit. Magna senatus approbatio consecuta est cum summo gaudio, et offen- 2
sione Minotauri, id est, Calvisii et Tauri. Factum de te senatus consultum honorificum. Postulabatur autem, ut etiam illi notarentur; sed Pansa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem liber- 3

§. 1. *Liberalibus.* XVI. Kal. Apr. *Quinquatribus*, XIV. Kal. Apr.

**Cornificius*, L. ut videtur, qui postea consul fuit. — *causam tuam egi*, ut senatus decerneret, recte a te factum esse, quod Africam provinciam retinuisses.

Minerva nostra, [Dio Cass. 45, 17. πνεῦμα μέγα ἐπιγενόμενον — τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς φυλακίδος, ὃ πρὸ τῆς φυγῆς ὁ Κικέρων ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνετίθει, κατέβαλε καὶ κατέθρανσε. καὶ τοῦτο μὲν καὶ αὐτῷ Κικέρωνι τὸν ὄλεθρον προεδήλωσε.] *cf. ad ep. LXXIV, 7.

§. 2. *Calvisii.* vid. ad ep. 163.

**illi*, Calvisius eiusque legati.

§. 3. **quo die — fundamenta ieci*, cf. ep. CLXV, 4. 5.

tatis ingressus sum et cunctantibus ceteris a. d. XIII. Kal. Ian. fundamenta ieci rei publicae, eo ipso die providi multum atque habui rationem dignitatis tuae; mihi enim est assensus senatus de obtinendis provinciis.
4 Nec vero postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua iniuria
5 contumeliaque rei publicae provinciam absens obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, seque in urbem recepit invitus; neque solum spe, sed certa re iam et possessione deturbatus est meo iustissimo honestissimoque convicio. Te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse provinciaeque honoribus amplissimis
6 affectum, vehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddam caecum tempus servitutis. Ego tuorum consiliorum auctor dignitatisque fautor, iratus temporibus in Graeciam, desperata libertate, rapiebar, quum me etesiae, quasi boni cives, relinquentem rem publicam prosequi noluerunt, austerque adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium rettulit atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi postridieque
7 in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet, meque tum elicere vellet ad caedis causam, tum tentaret insidiis; quem ego ructantem et nauseantem conieci in Caesaris Octaviani plagas. Puer enim egregius praesidium sibi primum et nobis, deinde summae rei publicae comparavit; qui nisi fuisset, Antonii reditus
8 a Brundisio pestis patriae fuisset. Quae deinceps acta sint, scire te arbitror. Sed redeamus illuc, unde devertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio; neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. *Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores po-*
9 *stulat*, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim. Una navis est iam bonorum omnium; quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. Utinam prospero cursu! Sed quicunque venti erunt, ars nostra certe non aberit. Quid enim praestare aliud virtus potest? Tu fac magno animo sis et excelso, cogitesque, omnem dignitatem tuam cum re publica coniunctam

§. 4. *eum, qui — obtinebat*, Calvisium, qui provinciam per legatos administrabat, quum ipse ad urbem esset cum imperio.

§. 5. **seque in urbem recepit*, quod facere non potuit, nisi imperio antea deposito.

§. 6. *de Sempronio*, ep. 165. §. 7. *in Graeciam — rapiebar*. vid. ep. 159.

**ventis, remis* proverbii loco dicitur de summa festinatione, cf. Cic. Tusc. III, 11. *omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugiendo* (aegritudo).

§. 7. *invectus*, Philippica prima. vid. ep. 161.

**Antonii reditus a Brundisio*, cf. ep. CLXIII, 4.

§. 8. *Terentius*, Andr. I, 2, 18. ubi *defert* ex h. l. edidit Bentleius.

§. 9. **ad puppim*, ubi gubernaculum navis est. — *ut rectam teneamus*. Respicitur ad proverbium ὀρθὰν τὰν ναῦν, de quo vid. Spalding ad Quint. 11, 17, 24. p. 385.]

esse debere. P. Lucceium mihi meum commendas; quem, quibuscun- 10
que rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem et Pansam, collegas nostros, homines in consulatu rei publicae salutares, alieno sane tempore amisimus, re publica Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata; quam nos, si licebit, more nostro tuebimur, quamquam admodum sumus iam defatigati. Sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet. Verum haec hactenus. Ab 11
aliis te de me, quam a me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quae maxime vellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibusdam litteris ad caelum laudibus extulisti, rumores duriores erant. Id quale sit, omninoque, quid istic agatur, facias me velim certiorem.

EPISTOLA CLXXVII. (Ad Div. X. 16.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

CICERO PLANCO.

Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tem- 1
pore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas, Plance, litteras: redditae sunt enim frequenti senatu Cornuto, quum is frigidas sane et inconstantes recitasset litteras Lepidi. Sub eas statim recitatae sunt 2
tuae, non sine magnis quidem clamoribus. Quum rebus enim ipsis essent et studiis beneficiisque in rem publicam gratissimae, tum erant gravissimis verbis ac sententiis. Flagitare senatus institit Cornutum, 3
ut referret statim de tuis litteris. Ille se considerare velle. Quum ei magnum convicium fieret cuncto a senatu, quinque tribuni plebi rettulerunt. Servilius rogatus rem distulit; ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. Ea quae fuerit, ex senatus consulto cognosces. Tu, quamquam consilio non eges, vel abundas potius, tamen 4
hoc animo esse debes, ut nihil huc reiicias, neve in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus; quocunque te ratio rei publicae ducet, sequare. Cures, ut ante factum aliquod a te egregium audiamus, quam futurum putarimus.

§. 10. **P. Lucceium*. Dubitari non potest, quin ab his verbis nova epistola incipiat, quae aliquanto post priorem scripta sit. Nam ut de reliquis taceam, Pansae, qui initio epistolae vivus et Romae degens commemoratur, mors §. 10. narratur. Prior epistola scripta videtur mense Martio, altera exeunte mense Aprili.

**Antoniano latrocinio liberata*; proelio Mutinensi Antonius a. d. XVII. Kal. Maias superatus nihil iam rei publicae nocere posse videbatur; at a. d. IV. Kal. Iunias Lepidus se cum eo coniunxit.

§. 11. **de Cn. Minucio*, legato, ut videtur, Cornificii.

§. 1. *Cornuto*. vid. ep. 175, 7.

**Lepidi*, qui paullo post cum Antonio se coniunxit contra rem publicam. Plancus contra optima quaeque pollicebatur, neque tamen quidquam fecerat.

§. 3. **Servilius*, v. ad ep. CLXXV, 10.

5 Illud tibi promitto, quidquid erit a te factum, id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum comprobaturum.

EPISTOLA CLXXVIII. (Ad Div. XII. 30.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 711.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

1 Itane? praeter litigatores nemo ad te meas litteras? Multae istae quidem; tu enim perfecisti, ut nemo sine litteris meis tibi se commendatum putaret: sed quis unquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mî iucundius, quam, quum coram tecum loqui 2 non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere litteras? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed voluminibus lacesserem, quibus quidem me a te provocari oporte- 3 bat. Quamvis enim occupatus sis, otii tamen plus habes; aut, si ne tu quidem vacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere 4 et a me litteras crebriores, quum tu mihi raro mittas, flagitare. Nam quum antea distinebar maximis occupationibus, propterea quod omnibus curis rem publicam mihi tuendam putabam, tum hoc tempore multo distineor vehementius. Ut enim gravius aegrotant ii, qui, quum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt, sic vehementius nos laboramus, qui, profligato bello ac paene sublato, renovatum bellum 5 gerere cogamur. Sed haec hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci possim aut officiis aut amore. Non dubitabam equidem; verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Chaerippus. O hominem, semper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem! Vultus mehercule tuos mihi expressit omnes, non solum animum ac 6 verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quod eodem

§. 1. *perfecisti*, quod magnum pondus litterae meae apud te habere videntur.

[§. 3. *noli impudens esse nec mihi m. exh. Nec* repetit negationem, quae in verbo *noli* inest, ut altera eius pars supplenda sit, *velis*. Sic Fin. 1, 9, 30. *itaque negat opus esse ratione, neque disputatione* opus esse dicit. Acad. II, 25, 79. *tu autem te negas infracto remo, neque columbae collo commoveri*. Cf. Caes. b. civ. III, 12. quem l. citat Manut. Is quae loca praeterea affert, paullo diversa sunt.]

§. 4. **quum levati m. videntur*; alii *viderentur*. Sed hic, ubi res universe effertur, non historici more de certis quibusdam hominibus narratur, praeferendus videtur indicativus. *Orell.*

renovatum b. quum Lepidus se cum Antonio, ad Mutinam victo, coniunxisset. cf. ep. 181. *Lepidum cum Antonio se coniunxisse, nondum audierat Cicero, sed bellum renovatum dicit, quod Antonius non fugisse a Mutina, sed belli sedem mutasse videbatur, cf. ep. CLXXX, 3.

§. 5. *Chaerippus*, cf. ep. CLXV, 7.

exemplo ad me, quo ad ceteros. Requisivi equidem proprias ad me unum a te litteras, sed neque vehementer et amanter. De sumptu, quem 7
te in rem militarem facere et fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari, propterea quod et orbus senatus consulibus amissis, et incredibiles angustiae pecuniae publicae, quae conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa solvantur; quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Attio Dionysio nihil puto esse, quoniam 8
mihi nihil dixit Tratorius. De P. Lucceio nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quam ego sum; est enim nobis necessarius. Sed a magistris quum contenderem de proferendo die, probarunt mihi, sese, quo minus id facerent, et compromisso et iure iurando impediri. Quare 9
veniendum arbitror Lucceio. Quamquam, si meis litteris obtemperavit, quum tu haec leges, illum Romae esse oportebit. Ceteris de rebus, 10
maximeque de pecunia, quum Pansae mortem ignorares, scripsisti, quae per nos ab eo consequi te posse arbitrarere. Quae te non fefellissent, si viveret — nam te diligebat; — post mortem autem eius quid fieri posset, non videbamus. De Venuleio, Latino, Horatio, valde laudo. 11
Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi, eosque ex senatus consulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. Haec fere ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, velim tibi persuadeas, 12
non esse mihi meam dignitatem tua cariorem.

EPISTOLA CLXXIX. (Ad Div. X. 13.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

CICERO PLANCO.

Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil prae- 1
termisi in te ornando, quod positum esset aut in praemio virtutis aut in honore verborum. Id ex ipso senatus consulto poteris cognoscere; ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est, quam senatus frequens secutus est summo studio magnoque consensu. Ego 2

§. 7. **sine tributo*, quod impositum populo non erat post devictam ab Aemilio Paullo Macedoniam. *Man.*

§. 8. **de Attio Dionysio*, cf. ad Div. XII, 24. extr. — *Tratorius*, ep. CLXIII, 1. 8. — *de P. Lucceio*, ep. CLXXVI, 10.

magistris auctionum.

**compromisso*; compromissum est, quum litigantes promittunt, se arbitri sumti sententia staturos, ni fecerint, certam pecuniam amissuros; tum de qualibet re, de qua inter duas partes convenit, compromissum dicitur.

§. 11. *Venuleio* etc. legatis C. Calvisii, per quos Africam absens obtinebat, quibusque lictores ademerat Cornificius. Phil. III, 10, 26.

**ex senatus consulto*, cf. ep. CLXV, 4.

quamquam ex tuis litteris, quas mihi misisti, perspexeram, te magis iudicio bonorum, quam insignibus gloriae, delectari, tamen considerandum nobis existimavi, etiamsi tu nihil postulares, quantum tibi a re
3 publica deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, sed Ulixem appellavit πτολίπορθον. Vale.

EPISTOLA CLXXX. (Ad Div. X. 19.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

CICERO PLANCO.

1 Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam, quum te re ipsa atque animo scirem esse gratissimum, tamen, — fatendum est enim, — fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem;
2 sed nunquam illustrius. Litterae tuae mirabiliter gratae fuerunt senatui quum rebus ipsis, quae erant gravissimae et maximae, fortissimi animi summique consilii, tum etiam gravitate sententiarum atque verborum.
3 Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias; in hoc erit
4 summa et gratia et gloria. Cupio omnia rei publicae causa; sed, mehercules, in ea conservanda iam defatigatus non multo plus patriae faveo, quam tuae gloriae; cuius maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere; quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit.

§. 3. *contexes extr. cum pr.* bellum a consulibus et Octavio magna iam ex parte profligatum ipso penitus oppresso Antonio conficies. *Manut.*

[*Ulixem* ob astutiam, qua Ilium cepit; quo indicavit, in consilio plus praesidii esse ad vincendum, quam in fortitudine.]

[Ep. CLXXX. §. 1. *oculis cernuntur.* pro Mil. 29, 79. *cogitationes nostrae, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus.* Tusc. I, 20, 46. *nos ne nunc quidem oculis cernimus, quae videmus.* Nimirum *cernere* est animo attento et cum iudicio aspicere, *videre,* quae in oculos incurrunt.]

§. 2. **rebus ipsis,* certiorem enim fecerat senatum, se copias suas cum Bruti exercitu coniunxisse. — *gravitate sententiarum atque verborum,* cf. ep. CLXXVII, 2.

[§. 4. *dedere,* ut *debuere* Cael. II, 36. *potuere* ib. 15, 54. Vid. Cic. Or. 47, 157.]

EPISTOLA CLXXXI. (Ad Div. XI. 12.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

M. CICERO S. D. D. BRUTO, IMP. COS. DES.

Tres uno die a te accepi epistolas: unam brevem, quam Flacco 1
Volumnio dederas; duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis litteris et ex Graeceii 2
oratione non modo non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem, pro tua singulari prudentia quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia tua illa praeclara in rem publicam merita ad nihilum esse ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut, 3
quemadmodum audiebam de Graeceio, confligi cum eo sine periculo non possit, non ille mihi fugisse a Mutina videtur, sed locum belli gerendi mutasse. Itaque homines alii facti sunt; nonnulli etiam que- 4
runtur, quod persecuti non sitis; opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omnino est hoc populi, maximeque nostri, in 5
eo potissimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit. Sed tamen providendum est, ne quae iusta querela esse possit. Res se sic 6
habet: is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. Hoc quam vim habeat, te existimare malo, quam me apertius scribere.

EPISTOLA CLXXXII. (Ad Div. XII. 10.)

Scr. Romae initio Quintilis A. U. C. 710.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quinctiles 1
sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est ceterique, qui una cum illo a re publica defecerunt; quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Septemb. potestas facta est. Fortis sane senatus, sed maxime 2
spe subsidii tui. Bellum quidem, quum haec scribebam, sane magnum

Ep. CLXXXI. **D. Bruto*, quem senatus post consulum obitum exercitui eorum praefecerat, neglecto Octaviano.

§. 1. **Flacco Volumnio*, legato, ut videtur, Bruti, cf. ad Div. XI, 18. init. — *T. Vibius* quoque et *Graeceius* (ad Div. XI, 7. ad Att. XV, 8.) in exercitu Bruti legati aut tribuni militum fuisse videntur. P. Rutilius *Lupus*, praetor C. Marcello et Lentulo coss., bello civili Achaiam iussu Pompeii obtinuerat, tum ad Mutinam fuit in Bruti exercitu.

§. 3. **audiebam de Graeceio*, cf. ad ep. CLIX, 18.

§. 4. **alii facti sunt*, non ut antea faciebant, te laudant.

Ep. CLXXXII. §. 1. **Lepidus, tuus affinis*, cf. ad ep. CLXI, 7.

3 erat scelere et levitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quae volumus, audimus; sed adhuc capite, sine auctore, rumore nuntio. Quod quum ita esset, tamen litteris tuis, quas Nonis Maiis ex castris dabas acceperamus, ita persuasum erat civitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut, si haec ea 4 sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua; sin quid forte titubatum, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum quibuscunque potuero rebus ornabo; cuius rei tum tempus erit, quum, quid opis rei publicae laturus is exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse coeperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem et praeclarissimi, sed gesta res exspectatur: quam 5 quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute et magnitudine animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quam primum te in Italia videamus. Rem publicam nos habere arbitrabimur, si vos habebimus. Praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fu- 6 gientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta re publica, hic ex pace et victoria bellum excitavit. Huic oppositos consules designatos habemus; in quibus est magna illa quidem spes, sed 7 anceps cura, propter incertos exitus proeliorum. Persuade tibi igitur, in te et in Bruto tuo esse omnia; vos exspectari, Brutum quidem iam iamque. Quodsi, ut spero, victis hostibus nostris veneritis, tamen auctoritate vestra res publica exsurget et in aliquo statu tolerabili consistet. Sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiamsi res publica satis esse videbitur sceleribus hostium liberata. Vale.

§. 3. **quae volumus, audimus*, eum a te victum esse. P. Cornelius Dolabella (cf. ep. CXLIX.) proconsul Syriae Trebonium crudelissime interfecerat. Quo facto a senatu hostis iudicatus, bellum vero contra eum gerendum Cassio mandatum est. Is eum Laodiceae inclusum eo adegit, ut ipse sibi mortem inferret.

**sine capite*, cf. Cic. pr. Planc. 23. *si quid sine capite manabit, aut quid erit eiusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit.* — *haec*, quae hic, in Italia, gerantur.

[§. 5. *viceramus, nisi — recepisset.* Vid. ad or. pro l. Man. §. 50. Stallbaum. ad Ruddim. p. 378. Ramshorn. gramm. lat. p. 585 sq.]

§. 6. **consules designatos*, D. Brutum et L. Plancum.

§. 7. **in Bruto tuo*, M. Bruto, qui Achaiam, Macedoniam et Illyricum cum legionibus obtinebat.

[§. 7. *tamen.* etsi bello civili (quod inest in *victis hostibus nostris*) afflicta.]

EXCURSUS ad ep. XCVI, 3. p. 208.

De formula *haud scio an* nuper in utramque partem disputatum est, aliis contendentibus in enuntiationibus negantibus post *an* et negandi particulas sequi *(haud scio an nemo, an nullus)* et pronomina illa, quae medium quendam inter aientes et negantes locum obtinent, ut *quisquam, ullus* etc., aliis prius tantum sententiae conformandae genus legitimum esse demonstrare conantibus. Priorem sententiam defendebat Gernhardus, Vir S. R., primum in programmate anno 1822 edito, tum in Seebodii Sylloge diss. philol. et paedag. (*Archiv für Philol. und Paedag.)* I. p. 104 sqq. denique in Excursu quem editioni Laelii Ciceroniani subiecit, ita ut quam rationem formulae primum attulerat, eam deinde desereret et novam proponeret. Alteram sententiam ego defendebam, primum in Misc. crit. I. p. 679 sq. deinde in Seebodii Sylloge T. II. p. 26 sqq. Quam ob rem quum satis aspere vituperatus essem a Car. Beiero in *Diario schol. (Schulzeitung)* anni 1826 in parte ea, quae censuras librorum philologicorum complectitur *(Literaturblatt)* II, 9. p. 80. ita tamen postea mitigatus est Vir egregius, ut quum ab eo petiissem, ut hanc quaestionem litteris ultro citroque datis accuratius inter nos disceptaremus, facilem se praeberet, et ad litteras meas accurate ac diligenter responderet. Ita factum est, ut et ego multis in locis meliora ab eo docerer, et ipse paulatim in sententiam meam concederet; quod ipse testatus est in diario litter. Lips. anni 1827 n. 90. (huius autem censurae se auctorem esse, ipse mihi significavit litteris datis die 7. m. Iun. a. 1827) scripturam Laelii *haud scio an quidquam melius sit* improbando, pro qua in diario schol. acriter propugnaverat; alteram etiam scripturam *haud scio an nihil* in editionem Laelii paucis ante praematurum obitum mensibus factam recepit. Itaque, quum sententiam olim a me propositam hic illic mutandam esse videam, hac occasione oblata quaestionem illam denuo ita explicabo, ut ab eo, quod negari non potest, nec a quoquam negatum est, profectus, ad illa, quae dubia adhuc sunt et controversa, accuratius diiudicanda aliquid conferam.

Atque illud quidem ab omnibus conceditur, ubi post *haud scio an* sententia aiens sequatur, apud Ciceronem, Iul. Caesarem, Cornel. Nep., Livium nunquam dubitationem aliquam significari, sed in forma inesse modestam affirmationem, ut *haud scio an Caesar maximus fuerit belli dux* nihil aliud sit, si a modestia affirmandi recesseris, nisi *Caesar fuit max. b. dux.* Vid. Gernhardi Exc. in. Quum autem dubitationem aliquam significare volunt, non dicunt *haud scio an maximus* etc. sed *haud scio, nescio maximusne fuerit* etc. Cic. epp. Fam. II, 5 extr. *Sed haec ipsa nescio rectene sint litteris commissa; quare cetera cognosces ex aliis.* Caes. b. Gall. V, 54. *idque adeo haud*

scio mirandumne sit. Sic etiam Cic. ad Att. XV, 9. *dubitabam, ut has ipsas litteras essesne acceptarus: erat enim incertum visurusne esset tabellarius.* Cf. Fin. IV, 24, 67. Unde patet causam, cur in modeste affirmando illam formulam usurparint *aetatis aureae,* quam vocant, scriptores, positam esse in vi ac potestate particulae *an,* quam egregie explicavit Gernhard. (vid. Archiv. I. p. 106 sqq. Excurs. p. 250 sqq.) Ter. Andr. III, 2, 44. *Non impulit me, haec nunc omnia ut crederem: Atque haud scio an quae dixit sint vera omnia* minus recte Ruhnken. dubitandi significatione dici annotat: ita enim bis idem diceretur. Imo se proniorem ad credendum esse significat, de qua priore versu se incertum esse dixerat. Phorm. V, 2, 9. *haud scio an mutet animum* est vereor ne mutet animum.

Hoc igitur posito ac concesso consentaneum est, ubi negans sententia sequatur, ibi negantem particulam addi ab iis certe, qui, ut Cicero, certam et dicendi et scribendi rationem sequuntur et sibi constare volunt. Qui igitur dicere volet, *hoc nemini contigit ut popularis esset,* ei, si hac formula uti libebit, dicendum erit, *haud scio an nemini contigerit,* ut Cicero loquitur epp. Fam. IX, 14. (epp. 149, 13). Sic Or. I, 14, 61. *Haud scio an minus hoc vobis sim probaturus* i. e. puto me hoc minus vobis probaturum esse. Brut. 33, 126. *eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem.* Cf. ad Quint. fr. I, 1. (epp. 13, 64.) Acad. qu. II, 25. extr. 44, 130. Div. I, 38, in. Offic. III, 2, 6. Lael. 14, 51. quos locos adscripsit etiam Gernhard. p. 262. Adde in Pis. 17, 39. *Atque haud scio an malim te videri* nullo *pudore fuisse* — — Exemplis enim utendum est, ne quis obiiciat, argumentum allatum esse ex eo genere, quae *a priori* vocant dialectici, quibus saepe veritas repugnet.

Hactenus igitur constant sibi classici scriptores; sed conturbant quaerentem alii loci, in quibus in sententiis negantibus post *an* non sequitur particula negans, sed voces illae indefinitae *ullus, unquam, usquam,* ut Cic. orat. 11, 4. extr. *Omnium autem ineptiarum haud scio an ulla sit maior, quam* — — orat. 2, 7. *quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an unquam, in aliqua autem parte elucet aliquando.* epp. fam. IX, 9. (epp. 96, 3.) *quod nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori.* ad Att. IV, 3. (epp. 34, 2.) *gemitu non dico bonorum, qui nescio an ulli sint.* Cat. mai. 16, 56. *haud scio an ulla* (senectus) *laetior esse possit.* Leg. I, 21 extr. *hoc diiudicari nescio an unquam, sed hoc sermone certe non potest.* Lael. 6, 20. amicitia *haud scio an excepta sapientia quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum.* Corn. Nep. Timol. I, 1. *Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli.* Praeter hos locos ne Gernhardus quidem vel Ramshorn. Gramm. lat. p. 499 sq. alium ullum attulerunt e scriptoribus aetatis aureae, ut nullos alios esse non multum absit quin confidam. Itaque de duobus alterutrum factum esse necesse est, ut vel sibi non constarent optimi

scriptores, quosque certam in scribendo rationem secutos esse omnes confitentur, et modo hanc modo illam formulam temere et promiscue usurpasse, vel ut cum delectu et discrimine aliquo servato certis locis utramque ponerent. Et promiscue quidem illas usurpari credidisse videtur Gernhard. in programmate a. 1822. (Archiv. I, 108) ita tamen ut ibid. p. 104. vim negandi ex illo *haud* in sequens membrum et ad vv. *ullus, unquam* transire diceret; quod commentum ita mirum est et adeo nullo simili latini sermonis usu munitum, ut in eo refutando diutius morari taedeat. Vide tamen Archiv. II, p. 27. Sed ipse postea illud abiecit Vir praestantissimus, et in Excurs. p. 258. illud inter utramque formulam interesse statuit, quod prior illa, *haud scio an nihil melius sit,* ita neget, ut non simplicius possit nec vehementius et arrogantius negari, altera vero, *haud scio an quidquam melius sit,* illam negantis asperitatem molliat, et accommodatior sit illi verecundiae et iudicandi modestiae, quam prae se fert formula *haud scio an.* Hic admirari licet insignem latinae linguae facilitatem, qua una littera vel addita vel detracta diversa declarare possit, ut, quum formula *haud scio an* per se modestiae et verecundiae significationem habeat, particula negante post *an* posita non modeste et verecunde, sed aspere et arroganter neget, una autem n littera extrita ad pristinam modestiam redeat? Nam qui fit tandem, ut *haud scio an* per se modeste affirmet, accedente autem particula *non* aspere neget? Nonne magis consentaneum est, quum formula *haud scio an* modestiam prae se ferat, eandem per se hanc vim habere, ut negationis sequentis asperitatem molliat, ut qui dicat *omnium ineptiarum nulla est maior* inurbane loqui videatur, qui sic *haud scio an nulla maior sit,* leniter et verecunde negare? Et quae causa tandem excogitari potest, cur Cicero in locis iis, quos Gernhard. p. 262 adscripsit inverecunde et aspere negare maluerit, in aliis qui ibid. p. 260 allati sint, leniter, modeste, verecunde? Neque vero hac solum ex parte laborat Gernhardi coniectura, sed pugnat etiam cum iis, quae antea, et verissime quidem, dicta sunt: formulam enim illam, ubi in sententiis aientibus usurpatur, ita explicavit, ut diceret, omissum esse prius interrogationis membrum, cui, addita particula *an,* opponi alterum, ad quod animus magis inclinet, tanquam quod verius sit, (vid. Exc. p. 247. 251 sq. Archiv. I, p. 106 sqq.) et *nescio an ignoscendum sit huic* contractius dictum esse pro *nescio opusne sit castigatione, an ignoscendum* (p. 248). Hoc ita demonstrato, quid fiet iis locutionibus, in quibus particula ex indefinitis illis *ullus* etc. post *an* sequitur? dicemusne *Omnium ineptiarum haud scio an ulla sit maior* contractius dictum esse pro *haud scio nullane sit maior an ulla?* Qui potest? Nam quum illa pronomina vel adverbia mediam inter affirmationem et negationem vim habeant, et per se nec ad affirmandum nec ad negandum valeant (Exc. p. 259) quomodo illae opponi possunt pronomini vel adverbio per se et aperte neganti, qualia sunt *nullus,*

nunquam etc? Equidem crediderim, si quis latine doctus utrumque interrogationis membrum ponere velit, eum dicturum esse, *haud scio nullane sit maior an aliqua,* non *an ulla.* An dicemus, illam duorum interrogationis membrorum oppositionem in sententiis aientibus requiri, in negantibus non requiri? Hoc ne ipsum quidem huius sententiae auctorem contendere existimo, qui si constare sibi voluisset, vel omnibus locis iis, quos protulit p. 260 sq. scribere debebat *haud scio an nulla, an nulli unquam, an nulli sint, an nunquam, an nihil,* vel explicationem illam formulae *haud scio an* abiicere. Cf. Seebodii Syllogen II, p. 27 sq.

Aliam viam ingressus est Ramshornius in Gramm. lat. huius formulae explicationem cum altera *dubito an* rectissime coniungens. Cui viro doctissimo pro necessitudine, quae mihi cum eo intercedit, non libenter obloquor; sed quum in hac disputatione eius sententiam praetermittere nefas ducerem, et ipse nuper se veritatis unice studiosum esse professus sit, quid de eius explicatione ipse sentiam, ingenue proferam. Is igitur p. 498 sqq. ex accentu controversiam dirimere studet, et, ubi *nescio* vel *haud scio an* accentu notetur, sententiam negantem esse censet v. c. néscio *an hoc verum sit* significare *hoc non verum esse puto, ich denke, dieses ist nicht wahr,* *) at ubi accentus sit in voce primaria post *an* sequente, aientem esse sententiam, et verba *nescio an hoc* vérum *sit* idem valere quod *hoc verum esse puto, ich denke, dieses ist wohl wahr,* aboleri tamen hanc vim, si vel verbum aliud gravius accentum postulet, vel sententia opposita eius vim imminuat. Probarem hoc, si mihi aliunde constaret, accentus in lingua latina eam vim esse, ut non tantum ordinem definiret, quo singula sententiae verba vel ipsae enunciationes ponendae essent, sed ipsam verborum et sententiarum vim et potestatem immutaret; quae enim aliis Grammaticae locis e vi accentus explicavit idem vir doctissimus, ea equidem aliter explicanda censeo. Immutat autem vim et potestatem sententiarum accentus, quum iisdem verbis *nescio an hoc verum sit* alias affirmandi, alias negandi vim impertit. Illa vero accentus vis in lingua quidem ea, quae in ore adhuc et sermone populi viget, pronuntiatione designatur, in iis vero, quarum non nisi scripta monumenta exstant, vel ea, quae auctores ipsi ad legendum proposita voluerunt, ut libri rhetorici, philosophici, epistolae, qua tandem nota locus accentus indicari et demonstrari potest? In his accentus non per se nobis sese offert, sed e consilio demum scriptoris, vel e totius sententiae conformatione vel e comparatione eorum, quae praecesserunt vel sequuntur, quae vox accentu notanda sit, colligimus. Ita si accentu sententiarum vim metiemur ac iudicabimus, nunquam, utrum scribendum sit *haud scio an nulla res,* an *haud scio an ulla*

*) Rectius vertas: *hoc verum esse non puto, ich denke nicht, dass dieses wahr ist,* ob accentum in voce nescio positum.

res, distinguere poterimus, nisi alia nota accedat, ex qua, ubi accentus ponendus sit, intelligamus; quae tota res incertior redditur eo, quod additum est, nisi vel verbum aliud gravius accentum postulet, vel sententia opposita eius vim imminuat. Quodsi exempla p. 500 allata respicimus, docemur, apud Ciceronem Or. II, 4, extr. dicendum fuisse *haud scio an ulla sit máior*, non *an nulla*, quia accentus sit in voce *maior*, non in *ulla*, ut Cat. mai. 16, 56. epp. famil. IX, 9. *quod nescio an* ulli *unquam* nóstro *accidere potuerit imperatori*. de Leg. autem I, 21, extr. *nescio an unquam*, quia accentus vis infirmetur oppositione *sed hoc tempore*. Mihi quidem sive *an ulla, an ulli, an unquam* scribatur, sive *an nulla, an nulli, an nunquam*, accentu ea vox notanda videtur, quae particulam *an* proxime sequitur, et sic Beiero videbatur, qui *an ulli* tum demum defendi posse dicebat, quum *ulli* cum vi aliqua pronuntiaretur. Negari hoc potest, contrarium argumentis probari non potest. Ad oppositionem quidem designandam minime omnium accommodata sunt pronomina illa vel adverbia mediae potestatis, quas cum enuntiationibus *infinitis* seu *limitantibus*, quas Logici vocant, non male comparaveris, quia illa per se neque negant, neque affirmant. Hinc Off. III, 2, 6. legitur: *Quod quum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an* nemini *potius quam* tibi. ad Qu. fr. I, 1. *Etenim si in promerendo, ut* tibi *tanti honores tribuerentur, quanti haud scio an* nemini, *fuisti omnium diligentissimus*, quibus locis tantum abest, ut oppositio, quae addita est, vim accentus in vocabulo *nemini* positi frangat, ut eam etiam erigat, ut apud Cornel. Nep. etiam Timol. I. *Timoleonti* uni *contigit quod nescio an* ulli, oppositio in verbo *uni* posita melius etiam designaretur, si subiectum esset *quod nescio an nulli*. In loco autem, qui est de Leg. I, 21, extr. levius etiam esse quod sequitur *hoc sermone certe non potest*, gravius illud, quod praecessit, *an unquam*, ex adverbio *certe* perspicitur. In illo autem loco Orat. II, 4, extr. quod *haud scio an ullâ* rectius esse quam *haud scio an nulla* dicitur, quia accentus sit in compar. *maior*, qui factum esse dicamus, ut Cic. de orat. I, 14, 61. diceret *haud scio an minus hoc vobis sim probaturus; equidem non dubitabo, quod sentio dicere*, quum ibi vim esse in *vobis*, ex opposito *equidem* pateat, eaque vi vim accentus in *minus* positam frangi par sit. Itaque haec quoque coniectura vacillat, quum neque certam normam habeat, ex qua, utrum antiqui *nulla* scripserint post *an* an *ulla*, diiudicari possit, quippe in qua accentui sedes sua magis ex arbitrio quodam, quam e certa ratione assignetur, nec loci ipsi cum coniectura illa conspirent.

Omnino in tota hac quaestione explicanda accidisse videtur doctissimis Grammaticis, quod F. A. Wolfius in Anal. litt. I. p. 428. paulo asperius, ut solebat, inprimis cavendum monet. Ibi explicationem Grammaticorum, *γελᾶν* scribendum esse docentium, non *γελᾷν*, quia ab imperfecto *ἐγέλα* infinitivus ductus sit, *ex eo genere esse* dicit *quo*

nihil explicetur: quum allatam causam pateat ita demum esse aliquid, si ipsius rei, cui causa quaeratur, veritas aliunde sit cognita. Itaque ante omnia in veritatem locorum, quibus nititur formula *nescio an ullus* etc., inquiri oportebat, et, ita iactis solidis fundamentis, quaenam eius explicandi ratio esset, considerandum. Nunc illos locos pro integris nec ulli dubitationi obnoxiis ponunt, et causam formulae aliquam excogitare laborant, quam ubi, ut sibi quidem videntur, invenerunt, eadem utuntur, ut locos illos integros esse et incorruptos demonstrent; quod genus logici *petitionem principii*, quum ponitur quod nondum exploratum est, vel *circulum in probando* vocant. *) Iam vero plerique eorum locorum, in quibus *ullus* post *an* legitur, incertam scripturam habent, ut Or. II, 4 extr. in Ms. Erlang. apud Ernest. legitur *an nulla sit maior*, epp. famil. IX, 9. MSS. apud Benedict. *an nulli*, Cat. mai. 16, 56 Cod. C. et duo Aldi *an nulla* de Legg. I, 21 extr. Med. apud Davis. Brux. et Dresd. uterque *an nunquam*. Lael. 6, 20. octo libri Manut. duo Ox. C. Dresd. Goth. uterque, Erf. b. *haud scio an — nihil melius*, ut Lambin. et nuper Beierus ediderunt. **) Ita e sex illis locis Ciceronis, ubi *an ulli* legitur, restant duo, in quibus MSS. a vulgata scriptura non aberrant, Or. II, 7. (quamquam ibi quoque Iunt. 2. habet *an nunquam*) ad Att. IV, 3. Hic mihi obstrepentes audio pronominum infinitorum patronos, et clamantes, in paucioribus tantum Codd. nonnunquam in uno tantum, ut de Or. II, 4, negantem voculam legi, in pluribus infinitam. Quod ut verum sit, non multum tamen valere debet apud eos, qui in critica factitanda *ponderari* lectiones Codd. non *numerari* oportere sciunt et eam ubique scripturam praeferendam esse, quae et consuetudini scriptoris et rationi accommodatior sit, etsi a paucis tantum vel uno Cod. suppeditatam, vel eam, quam minus verisimile sit a librario ortam esse. Quae praecepta qui nescit, vel Porsoni notas in Euripidem scriptas paulo diligentius tractet. Quodsi in eo se iactant, quod pauciores Codd. esse, qui *an nullus* habeant, quam qui *an ullus*, dicunt, ego quoque meo iure pauciores esse apud Cicer. locos, quibus *an ullus*, quam ubi *an nullus* legatur, respondeo. Nondum dico, veriorem in iis esse negantem particulam, quam infinitam; hoc tantum dico, iis locis, quibus discrepantia sit scripturae, non tuto confidi posse. Utra verisimilior sit (nam ultra

*) Hinc natae sunt nonnunquam regulae Grammaticorum, ut quum praecipiunt particulam causalem *quum* indicativum etiam assumere, idque locis nonnullis epistol. Cic. familiarium demonstrant; quibus locis omnibus in opt. Codd. *quoniam* vel *quando* legitur, ut nuper docuit Wunder. in Var. Lectt. ex Cod. Erfurt. Praef. p. XCVI sqq. Adde quae ipse monui in Praef. hui. edit.

**) Hoc loco miror Gernhard. iudicium, Lambini lectioni Mss. et rationem et recte loquentium consuetudinem adversari. Num igitur Cicero in recte loquentium consuetudinem peccavit, quum dixit *nescio an habuisset parem neminem*?

verisimilitudinem aliquam ne in his quidem litteris perveniri potest) ex aliis argumentis cognosci potest.

Nam hactenus de Ciceronis tantum, eorumque qui eadem aetate floruerunt, consuetudine disputavi. Sed ut in omnibus iis, quae ad antiquitatem pertinent, sic in rebus grammaticis et singulorum scriptorum consuetudo et aetates distinguendae sunt, ne, quum Cicero semper dicat *non dubito quin, inesse in re, semet ipsum occidit* etc. peccasse credamus Marcum fil. Corn. Nep. Livium, qui dicunt *non dubito hoc ita esse, inesse rei, semet ipse occidit*, neve Ciceroni obtrudamus, quae apud posteriores scriptores leguntur. Itaque postea illa vis et particulae *an*, qua ad id, quod potius esset, designandum valeret, et formulae *haud scio* vel *dubito an*, quae modestam affirmationem haberet, ideoque quum negandum aliquid esset, negantem etiam particulam post *an* posceret, paulatim oblitterata esse videtur. Eius enim aetatis, quae a morte Augusti ad Antoninorum tempora ducitur — *argenteam* vocant — scriptores, quod perspecte monuit Heusinger. ad Corn. Nep. Timol. I, formulis *haud scio an* et *dubito an* non tantum modestam aliquam affirmationem declarabant, sed etiam dubitationem ut Plin. epist. VI, 21. *Nescio an noris hominem, quamquam nosse debes.* Quint. II, 17, 38. *Rhetorice ars est bene dicendi, bene autem dicere scit orator. Sed nescit an verum sit quod dicit* pro verumne sit, et paulo post: *Sed an causa vera sit, nescit.* Cf. VI, 3, 6. Id. VIII, 6, 22. *Id nescio an oratori conveniat, nisi in argumentando,* quamquam apud hunc quidem saepius in affirmando ponitur, ut II, 18, 4. IV, 1, 18. V, 13, 55. VIII, 4, 8. 5, 21. IX, 2, 101. Sic idem *dubitare an* dicit in negando, II, 17, 3. IV, 2, 97 etc. quum I, 5, 46. in affirmando hac formula usus esset. Valerii Max. hos locos mihi indicavit Beier. I, 1, 44. II, 1, 6. 7, 15 ad fin. 9, 2. IV, 6, 5. V, 2. extern. 4. c. 4. n. 6. c. 7. n. 3. VII, 2 ext. 16. VIII, 14 ext. 4. pr. 15, 11. IX, 9, 3. Eodem modo dicunt *haud scio an ullus* negandi vi, ut Quint. XII, 10, 2. *atque ideo non est perfectus orator, ac nescio an ars ulla,* qui locus ideo notabilis, quod *ulla* ab *an* diremtum est. Vid. ibid. Buttmann. *haud scio an quisquam* unus Valerius M. V, 2, 9. Nonnunquam, raro tamen, negationem etiam subiiciunt post *an*, ut Quint. III, 1, 2. Senec. de clem. I, 6. plane e more Ciceronis. Ex his igitur patet, a scriptoribus Cicerone et Livio posterioribus formulam *haud scio an hoc ita sit* promiscue et pro puto hoc ita esse, et pro puto hoc non ita esse usurpatam esse, nec satis sibi constitisse, ut in aliis etiam modo Ciceronis consuetudinem, modo suae aetatis morem secuti sunt. *) Nec mirer, si postea omnino desitum esse significatione aiente scribi *haud*

*) Hinc id quod legitur in or. de harusp. resp. c. 11, 22. *quod si tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis, atque his de rebus iam queri liceret,* Beiero indicium satis manifestum serioris aetatis habere videbatur.

scio an hoc verum sit e scriptoribus etiam serioribus demonstretur. Cuius defectionis quae causa fuerit, non minus difficile est dicere, quam cur posteriores *adhuc* post compar. usurparint pro *etiam*, vel *quamquam* cum Coniunct., *quamvis* cum indicativo iunxerint contra quam ab antiquis factum erat. Fortasse iam ex antiquis nonnulli illa formula ad dubitationem significandam abusi sunt, et ducere eo poterant loci, ut ille Livii VII, 6, 3. *Tum M. Curtium, iuvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque, esset:* ubi si scriptum esset *an nullum*, castigati esse dicerentur ii, qui putarent, arma virtutemque esse summum Rom. bonum. Idcirco locum epist. 96, 3 nunc mutare nolui, quia fieri potuit, ut Dolabella a magistro Cicerone imprudens aliquando discederet. Fortasse etiam consuetudinem Graecorum sequi maluerunt posteriores scriptores, ut erant ad ea, quae Graecae linguae propria sunt, imitanda iusto proniores; apud Graecos autem *οὐκ οἶδα εἴ τι διαφέρει* dubitationem significat et latine vertendum est e consuetudine Ciceronis *haud scio an nulla in re praestet;* ut mirer Gernhardum in Exc. p. 260 scripturam loci Cicer. Cat. m. 16, 56. *haud scio an ulla* defendere voluisse exemplo Theod. Gazae, qui vertit *οὐκ οἶδα εἴ τις βιὸς εἴη τούτου μακαριώτερος*. At is ne poterat quidem aliter. Sed maxime probabile est, quum confusae essent particulae interrogantes *an* et *ne*, [vid. Zumptii Gramm. c. 67. not. §. 353 sq. p. 306. ed. V] sua sponte confusas esse formulas *nescio an hoc verum sit* et *nescio verumne sit*. Quidquid sit quum antiqua illa consuetudo paulatim obsoleverit, non mirum est, librarios ex suae aetatis more pro negantibus pronominibus scripsisse infinitas, *ullus* pro *nullus*, inprimis quum apud Ciceronem et alios pronomina nunquam a particula *an* divellantur, ita ut etiam qui rectam consuetudinem teneret pro *an nullus, an nunquam* etc. facillime scribere posset *an ullus, an unquam*, etiam in Codd. scribatur nllus, ut difficile sit, prima littera utrum *n* valeat, an u, iudicare. Nec desunt talis librariorum ignorantiae exempla: in Ciceronis quidem Off. II, 2, 6. in Cod. Lips. Beierus scriptum invenit *haud scio an nemini ulli*, haud dubie e correctione eius, qui ad negantem voculam offenderet, et rectius sibi videri *an ulli* significantis. In Cicer. Lael. MS Erfurt. apud Wunder. p. 153 *an nihil*, sed supersc. *l' quicquid*. Apud Livium 37, 54, 16, *quae parare et quaerere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit*, librarius cod. Harl. pro *difficilius* scripsit *facilius*, ignorans videlicet haud protritum, ut ait Drakenborch. loquendi genus *nescio an*, quod affirmative pro fortasse usurpatur. Hinc, quoties e Codd. nonnulli *haud scio an nemo, an nullus, an nunquam* exhibent, alii *an quisquam, an ullus, an unquam*, si quaeras, utram scripturam probabilius sit a librario profectam esse, vix puto quemquam futurum esse, qui eam, quae voculas illas infinitas habet, librariorum suae aetatis morem sequentium vel errori et oscitantiae, si

quae littera duplicanda erant, semel scribebant, vel ignorantiae et quae inde oriri solet arrogantiae, si se antiquos scripto corrigere posse confidebant, tribuere dubitet. Vocabula autem negantia a librariis contra morem saeculi sui invecta esse, quis sibi unquam persuadeat? Equidem magis miror, quod Aemilius Probus locum Cornelii Nep. Thrasyb. I. *dubito, an hunc primum omnium ponam* intactum praetermiserit, quam quod Timol. I. scripserit *quod nescio an ulli* pro *an nulli*. Codicum autem rationem numerumque habere, quum alia etiam argumenta scripturam plurimorum Codd. suspectam reddant, a gravitate et severitate Critici plane alienum puto, inprimis quum Codices Ciceronis nondum ea, qua par erat, diligentia, iique ne omnes quidem, excussi sint. *)

Quum igitur altera formula, *haud scio an nemo, nullus, nunquam* ita certa sit, ut de ea dubitari non queat, altera autem *haud scio an ullus* apud Ciceronem certe et eiusdem aetatis scriptores incerta, quippe in qua Codd. plerumque inter se dissideant, atque adeo maxime suspecta, quum formula ei respondens, *haud scio an quisquam* apud Ciceronem non nisi uno loco Lael. 6, 20. eoque ipso in Codd. varie scripto — si quis Codices numerandos putet, eos a Gernhardo ad I. diligenter enumeratos inveniet — inveniatur, quumque dubitari vix queat, utram lectionem credibilius sit a librariis invectam esse, siquidem post Ciceronem altera locutio *haud scio an ullus* invaluit, his igitur causis adductus equidem priorem *haud scio an nemo* etc. apud Ciceronem unice veram ac genuinam habeo, et ubique restituendam, inprimis ubi a libris scriptis offertur, apud posteriores autem, Senecam, Quintilianum, Plinium, ceteros scripturam *haud scio an ullus* contra Codd. auctoritatem non mutandam esse.

*) Saepe aegre tuli editores in notis criticis nihil nisi *multi* Codd., *alii plurimi* annotantes, non nominatis Codd. qui hanc vel illam scripturam haberent: hac enim socordia fit, ut nec, quod pretium statuendum sit Codicibus, nec utrum recepta lectio bonis an vitiosis libris nitatur, iudicari possit. Ab hoc crimine ne Porsonus quidem liberandus est, ut nec Orellius, qui raro Codd. nominatim commemoravit. Ceterum *χρηστήριον* illius quo usus sum, praeter Porsonum, gravem auctorem appellare possum, Garatonium qui ad Milon. c. 2. pag. 62. ed. Bonon. *immutandi et obtrectandi illa cupiditate,* inquit, *non teneor, qui MSis optimis primas deferre soleo. Numerum tamen non reformido: nam errata descriptionibus propagantur, vera pendent a capite, ab antiquioribus scilicet ac praestantioribus* etc.

VITA CICERONIS PER ANNOS DIGESTA.

Anni urbis conditae.	Anni ante Christum natum.		Anni Ciceronis.
647	103	Coss. *Q. Servilius Caepio, C. Atilius Serranus.* M. T. Cicero natus Arpini III. Nonas Ianuarias, patre M. T. Cicerone, matre Helvia. Marius in Numidia bellum gerit contra Iugurtham. — Cn. Pompeius Magnus natus prid. Kal. Oct.	1
648	102	Coss. *P. Rutilius Rufus, Gn. Manlius.* Iugurtha L. Cornelio Sullae, Marii quaestori, vinctus traditur, ab eoque ad Marium deducitur.	2
649	101	Coss. *C. Marius II., C. Flavius Fimbria.* C. Marius Kal. Ianuariis de Iugurtha triumphat. Bellum adversus Cimbros et Teutonas decernitur.	3
650	100	Coss. *C. Marius III., L. Aurelius Orestes.* Hunc annum Marius in apparando bello Cimbrico consumit. Eodem aut superiore natus esse videtur Q. Cicero Marci frater.	4
651	99	Coss. *C. Marius IV., Q. Lutatius Catulus.* C. Marius Teutonas et Ambronas ad aquas Sextias prope Massiliam vincit. — Antonius orator maritimos praedones persequitur. — Archias poëta Romam venit.	5
652	9	Coss. *C. Marius V., M. Aquillius.* Aquillius cos. adversus fugitivos in Siciliam missus, bello servili, Athenione duce interfecto, finem imponit. Propter huius belli memoriam idem, quum a L. Fusio de repetundis accusatus esset, defendente Antonio, absolutus est. — C. Marius cos. cum Q. Lutatio Catulo procos. Cimbros ad Athesin fluvium proelio vincit.	6
653	97	Coss. *C. Marius VI., L. Valerius Flaccus.* L. Apuleii Saturnini trib. pl. et C. Servilii Glauciae praet. seditio; uterque interficitur. Is Q. Metello Numidico, quod in eius legem agrariam iurare nollet, diem dixit, qui urbe maluit, quam sententia, decedere.	7

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
654	96	Coss. *M. Antonius (orator), A. Postumius Albinus.* Q. Metellus Numidicus rogatione Q. Calidii trib. pl. in civitatem restituitur. C. Iulius Caesar natus est his consulibus.	8
655	95	Coss. *Q. Caecilius Metellus Nepos, T. Didius.* Lex Caecilia Didia, qua iubentur leges trinundino promulgari, et cavetur de duabus aut pluribus rebus non una lege coniungendis.	9
656	94	Coss. *Cn. Cornelius Lentulus, P. Licinius Crassus.* Censores L. Valerius Flaccus, et M. Antonius orator, lustrum condunt.	10
657	93	Coss. *Cn. Domitius Ahenobarbus, C. Cassius Longinus.* Ptolemaeus Apion rex Cyrenarum testamento populum Romanum heredem facit.	11
658	92	Coss. *L. Licinius Crassus, Q. Mucius Scaevola.* Lex Licinia Mucia, lata de civitate, ne quis sit pro cive, qui non sit civis, praecipua belli Marsici causa.	12
659	91	Coss. *C. Coelius Caldus, L. Domitius Ahenobarbus.*	13
660	90	Coss. *C. Valerius Flaccus, M. Herennius.* L. Sulla praetor.	14
661	89	Coss. *C. Claudius Pulcher, M. Perperna.*	15
662	88	Coss. *L. Marcius Philippus, Sex. Iulius Caesar.* Ciceroni puero toga virilis datur. Poëma Pontium Glaucum condit. M. Livius Drusus trib. iudicia ab equitibus ad senatum (trecentis equitibus auctum) transferre cupit. Idem socios et Italicos populos ad spem civitatis Romanae sollicitat; mox autem a Q. Vadio e foro redieus in atrio domus suae cultello vulneratus moritur. Leges Liviae post Drusi mortem statim abrogantur. Eodem anno moritur L. Crassus orator.	16
663	87	Coss. *L. Iulius Caesar, P. Rutilius Lupus.* Bellum oritur sociale s. Marsicum. Deficientibus ob negatam civitatem sociis Italis Q. Varius legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Rom. arma sumpsissent; sed senatus decrevit, ne, dum tumultus Italicus esset, iudicia exercerentur. Cicero Arati phaenomena latinis versibus reddit.	17
664	86	Coss. *Gn. Pompeius Strabo, L. Porcius Cato.* Cicero in bello Marsico tiro est in Cn. Pompeii cos. exercitu. Hoc anno lege Plotia, lata a M. Plautio Silvano	18

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		trib. pl., iudicia cum senatoribus et equitibus communicata sunt. Idem trib. pl. legem tulit de vi armatis hominibus, ut de eius capite quaereretur, qui vim fecisset.	
665	85	Coss. *L. Cornelius Sulla, Q. Pompeius Rufus.*	19
		P. Sulpicius trib. pl. auctore Mario perniciosas leges promulgat; Q. Pompeii cos. filium, Sullae generum, occidit. Sulla cum exercitu venit ad urbem. P. Sulpicius occiditur. Marius primum Minturnas, deinde in Africam fugit. Sulla, rebus in urbe compositis, ad bellum Mithridaticum proficiscitur. Q. Pompeius cos. in castra adversus Marsos profectus Cn. Pompeii procos. hortatu, cui succedere in imperio debebat, a militibus occiditur.	
		Cicero Romae operam dat Phaedro Epicureo, deinde Philoni Academiae principi. Ius civile cognoscit auctore et duce Scaevola augure, quo mortuo se confert ad Q. Scaevolam Pontificem.	
666	84	Coss. *Gn. Octavius, L. Cornelius Cinna.*	20
		Cinna consul perniciosis legibus per vim latis a collega Gn. Octavio urbe expellitur eique senatus magistratum abrogat, L. Cornelium Merulam suffícit. Ille autem Italicas civitates sollicitat, App. Claudii exercitum in potestatem suam accipit, Marium cum reliquis exsulibus revocat. Quo facto hic ad urbem cum exercitu accedit, eamque captam caedibus et rapinis vastat. Multi senatores, in iisque clarissimi viri Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Caesares fratres trucidantur. Cornelius Merula se consulatu abdicat, sibique venas incidit.	
		Cicero Romae Apollonio Moloni Rhodio, clarissimo Rhetori, operam dat.	
667	83	Coss. *C. Marius VII., L. Cornelius Cinna II.*	21
		Marius cos. Idibus Ianuariis moritur. Ei suffectus L. Valerius Flaccus, a Cinna missus, ut Sullae ad bellum Mithridaticum succederet, in Asiam traiicit.	
		Hoc tempore Cicero scripsit libros Rhetoricorum, quorum duo supersunt *de Inventione.*	
668 et 669	82 et 81	Coss. *L. Cornelius Cinna III., Gn. Papirius Carbo.*	22 et 23
		Sulla bellum cum Mithridate feliciter gerit. T. Pomponius Atticus Athenas se confert.	
		Cicero Romae apud Stoicum Diodotum quum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercetur, praeterea pergit Latine et Graece declamitare. Eodem tempore Xenophontis Oeconomicum et ali-	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni U. C.
		quot Platonis dialogos e Graeco in Latinum sermonem convertit.	
670	80	Coss. *L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. Norbanus Flaccus.*	24
		Sulla pace cum Mithridate facta in Italiam redit, C. Norbanum cos. proelio vincit. Scipio alter consul ad Teanum cum exercitu profectus, cum Sulla de pacis et rei publ. ordinandae conditionibus agit, de quibus quum inter eos haud convenisset, exercitus Scipionis signa ad Sullam transfert; ipse cum filio solus in castris relictus a Sulla dimittitur et Massiliam abit exsulatum. Capitolium de coelo tactum conflagrat.	
671	79	Coss. *Gn. Papirius Carbo III., C. Marius C. F.*	25
		L. Damasippus praetor auctore Mario cos. omnem nobilitatem trucidat. Sulla, fuso ad Sacriportum exercitu, in urbem venit, inimicos fuga elapsos proscribit, eorumque bona publicat. Deinde praesidio urbi imposito Gn. Carbonem alterum consulem aliquot proeliis vincit, quem mox, in Siciliam elapsum, Cn. Pompeius captum interfecit. Postremo reliquos Marianae factionis duces Carinatem, Damasippum et C. Marcium Censorinum cum sociis ingenti pugna superat. Quo facto in urbem redit, et magna civium multitudine crudelissime trucidata *dictator perpetuus* ab interrege L. Valerio Flacco lege ad populum lata creatur; quam dictaturam per aliquot annos tenet, consules tamen creari passus.	
672	78	Coss. *M. Tullius Decula, Gn. Cornelius Dolabella.*	26
		Sulla rem publicam novis legibus constituit. Cn. Pompeius, bello in Africa cum Domitio et Hiarba rege Numidiae confecto, XXVI annos natus eques triumphat.	
		Cicero orationem habet pro *Quintio.*	
673	77	Coss. *L. Cornelius Sulla II., Q. Caecilius Metellus Pius.*	27
		Cicero defendit Sex. Roscium Amerinum parricidii reum.	
674	76	Coss. *P. Servilius Vatia Isauricus, Ap. Claudius Pulcher.*	28
		Sulla se dictatura abdicat.	
		Cicero Arretinae mulieris libertatem contra Cottam defendit. Deinde proficiscitur in Graeciam. Athenis Antiocho Ascalonitae, nobilissimo Academiae philosopho, operam dat; Phaedrum et Zenonem Epicureos audit.	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
675	75	Coss. *M. Aemilius Lepidus*, *Q. Lutatius Catulus.* L. Cornelius Sulla moritur. M. Lepidus cos. in Galliam provinciam sibi decretam, profectus, acta Sullae rescindere et proscriptos revocare conatur, exercitu ad urbem admoto: unde a Catulo cos. et Cn. Pompeio repulsus exul in Sardinia moritur. Cicero Athenis apud Demetrium Syrum dicendi magistrum exercetur. Deinde Asiam peragrat, operamque dat Menippo Stratonicensi, Xenocli Adramytteno, Aeschylo Cnidio, Dionysio Magneti Rhetoribus. Rhodi apud Apollonium Molonem graece declamitat, et Posidonium philosophum Stoicum audit.	29
676	74	Coss. *D. Iunius Brutus*, *Mam. Aemilius Lepidus Livianus.* Cn. Pompeius mittitur contra Sertorium. Cicero ex itinere in Graeciam et Asiam Romam revertitur et Terentiam uxorem ducit.	30
677	73	Coss. *Cn. Octavius*, *C. Scribonius Curio.* In Hispania adversus Sertorium acerrime pugnatur. Cicero causas complures in foro agit, in primis orationem habet pro *Roscio Comoedo.* Deinde quaesturam petens, in comitiis tributis cunctis suffragiis quaestor fit.	31
678	72	Coss. *L. Octavius*, *C. Aurelius Cotta.* Cicero quaestor in Sicilia Lilybaetanus praetore Sex. Peducaeo.	32
679	71	Coss. *L. Licinius Lucullus*, *M. Aurelius Cotta.* M. Antonius M. triumviri pater curationem orae maritimae nactus, Siciliam aliasque provincias depopulatur, deinde Cretensibus bello illato, re male gesta moritur. Cicero ex quaestura Siciliensi ad urbem redit. Orationem habet pro Scamandro, praetore Verre.	33
680	70	Coss. *M. Terentius Varro Lucullus*, *C. Cassius Varus.* In Italia bellum a gladiatoribus excitatur duce Spartaco. L. Lucullus bellum contra Mithridatem gerit, Cyzicum urbem obsidione liberat. Verres post praeturam Siciliae praeficitur.	34
681	69	Coss. *L. Gellius Poplicola*, *Gn. Cornelius Lentulus*, *Clodianus.* Lucullus Mithridatem in Pontum persequitur. Spartacus utrumque consulem proelio vincit.	35

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
682	68	Coss. *C. Aufidius Orestes, P. Cornelius Lentulus Sura.*	36
		Mithridates ad generum Tigranem in Armeniam fugit. Spartacus a M. Licinio Crasso praetore proelio victus perit. Extremo anno Pompeius Magnus bello Sertoriano confecto ex Hispania redux, deletis reliquiis gladiatorum, triumphat.	
683	67	Coss. *M. Licinius Crassus, Cn. Pompeius Magnus.*	37
		Cicero aedilis designatus, Siculorum patrocinio suscepto, C. Verrem, qui Siciliam provinciam per triennium rapinis et crudelitate vexaverat, repetundarum postulatum in iudicium vocat. Ad istam causam pertinet divinatio in Caecilium et Actio Cic. prima in Verrem. Actionis secundae libri quinque a Cic. postea, Verre iam exsulante, conscripti sunt.	
		Hoc anno L. Aurelius Cotta praetor tulit legem iudiciariam ad populum, qua iudicia, quae lege Cornelia penes senatores fuerant, communicata sunt cum equitibus et tribunis aerariis. Consules tribuniciam potestatem, lege Cornelia Sullae imminutam, restituunt.	
684	66	Coss. *Q. Hortensius, Q. Caecilius Metellus Creticus.*	38
		Cicero *aedilis* trinos ludos facit modico sumptu. *M. Fonteium* ex Gallia provincia, quam pro praetore per triennium rexerat, repetundarum reum, oratione defendit. Ad eundem annum referenda videtur oratio *pro Caecina.*	
685	65	Coss. *L. Caecilius Metellus, Q. Marcius Rex.*	39
		Hoc anno incipiunt Cic. epistolae ad Atticum. Lucius Cicero M. frater patruelis moritur.	
686	64	Coss. *C. Calpurnius Piso, M' Acilius Glabrio.*	40
		Cicero praeturam petit, et inter octo praetores primus designatur. Anno exeunte filiam Tulliam C. Pisoni L. F. Frugi despondet, nondum scilicet nubilem, nuptiis in annum abhinc tertium dilatis. (Epist. I. II.)	
		Cn. Pompeio M. bellum adversus piratas defertur lege Gabinia. L. Roscius Otho trib. pl. legem tulit, ut equites in XIV. ordinibus spectarent.	
687	63	Coss. *M. Aemilius Lepidus, L. Volcatius Tullus.*	41
		Cicero *praeturam* gerit; eius frater Q. aedilitatem petit. Ipse orationem *pro lege Manilia* a trib. pl. C. Manilio promulgata habuit, ut bellum cum Mi-	

Anni U. C.	Ante C. N.		Ann Cic.
		thridate hucusque a Lucullo gestum Cn. Pompeio Magno committeretur. Eodem hoc anno dixit pro *A. Cluentio* et pro *M. Fundanio*.	
688	62	Coss. *L. Aurelius Cotta*, *L. Manlius Torquatus*.	42
		Cicero C. Cornelium Gallum de maiestate accusatum ap. Q. Gallium praetorem defendit.	
		Atticus Athenis Romam redit.	
689	61	Coss. *L. Iulius Caesar*, *C. Marcius Figulus*.	43
		Cicero consulatum petit. Habet *orationem in toga candida* contra Catilinae et Antonii coitionem. Consul designatur cum C. Antonio. Ei filius nascitur.	
		C. Iul. Caesar praetor quaesturam inter sicarios exercet, Catilinam caedis reum absolvit.	
690	60	Coss. *M. Tullius Cicero*, *C. Antonius*.	44
		P. Servilius Rullus trib. pl. quum legem promulgasset agrariam, contra eam Cic. tres orationes habuit, primam in senatu, secundam et tertiam in contione ad populum. Hanc secutae sunt orationes pro *L. Roscio Othone*, (vid. ad a. 686.) pro *Rabirio Postumo; de proscriptorum filiis*, quos Sulla paternis opibus et petendorum honorum iure excluserat; quam legem etiamsi duram Cic. tamen rei publicae causa servandam esse defendit. Sequitur oratio habita, *quum provinciam in contione deponeret*. Deinde quum Catilinae furores in coniurationem adversus rem publ. erupissent, Cic. habuit orationes Catilinarias; tum L. Murenam, cos. design. de ambitu accusatum defendit.	
691	59	Coss. *D. Iunius Silanus*, *L. Licinius Murena*.	45
		Catilina, adversus quem Antonius procos. cum exercitu missus erat, victus ab eius legato M. Petreio perit. Antonius in Macedoniam, quae provincia ei obtigerat, proficiscitur. Pompeius confecto Mithridatico bello redit.	
		Metellus Nepos trib. pl. in contione in Ciceronem et senatum invehitur, negans cives coniurationis Catilinae socios indicta causa necandos fuisse. (Ep. IV. V.) Ei opponit Cicero *Orationem Metellinam*. Idem h. a. emit domum in Palatio. Extremo anno Clodius Pompeiae Caesaris uxoris amore captus, quum in eius domo Bonae deae pro populo fieret, clam veste muliebri ingressus et agnitus foras eiicitur. — Hoc	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		anno Cic. habuit orationem pro P. Cornelio *Sulla*, a L. Torquato coniurationis accusato. Eodem Q. Cicero M. frater praeturam gessit.	
692	58	Coss. *M. Pupius Piso, M. Valerius Messala.* Clodius incesti crimine accusatus id amoliri studet, quum diceret, se illa nocte non Romae, sed Interamnae fuisse. Cicero testis productus dicit illum eodem die ad se domum venisse; Clodius tamen absolvitur. (Ep. IX.) Q. Ciceroni M. fratri ex praetura Asia provincia obtingit. Cicero Clodium in senatu tum oratione perpetua, tum altercatione frangit. Hoc anno idem orationem pro *Archia poëta* habuit. Equitum causam in senatu defendit. (Ep. X.)	46
		Pompeius III. et prid. Kal. Octobr. de Mithridate, Tigrane aliisque regibus victis triumphum agit. Caesar ex praetura Hispaniam obtinet.	
693	57	Coss. *Q. Caecilius Metellus Celer, L. Afranius.* Initio anni Cicero effecit, ne Q. fratri in Asia succederetur. P. Clodius Ciceronis ulciscendi causa tribunatus cupidus transitionem ad plebem molitur. Cicero *commentarium consulatus* sui scribit; de eodem librum graece scriptum edit; denique poema de consulatu tribus libris conscribit. (Ep. XII, 18.) Item Arati prognostica versibus latinis interpretatur.	47
		Hoc anno ad finem vergente Pompeius cum C. Iulio Caesare et M. Licinio Crasso coitionem facit.	
694	56	Coss. *C. Iulius Caesar, L. Calpurnius Bibulus.* Cicero legationem sibi a Caesare oblatam aspernatur, (Ep. XVI, 12.) idemque locum in XX Viris agro Campano dividundo recusat. Quod Caesar aegre ferens Clodium, qui se P. Fonteio plebeio homini in adoptionem dederat, ad plebem traducit. Hoc anno C. Antonius, post reditum e provincia accusatus, a Cicerone defenditur. Condemnatus tamen exsul abit in Cephaleniam. Postea Cicero Aulum Thermum bis defendit, effecitque, ut absolveretur. Deinde orationem habuit pro *L. Valerio Flacco* a D. Laelio repetundarum accusato, eumque de manifestissimis criminibus ioci opportunitate exemit.	48
		Caesari consuli, rogatione P. Vatinii trib. pl., invito senatu, Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium decernitur, quo facto	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		Senatus ei Galliam ulteriorem cum alia legione addit. P. Clodius comitiis tribunitiis trib. pl. designatur eumque tribunatum adit mense Decembri.	
695	55	Coss. *L. Calpurnius Piso Caesoninus, A. Gabinius.* Clodius trib. pl. leges tulit 1. ut frumentum populo gratis daretur, 2. ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo servaret, 3. de collegiis restituendis novisque instituendis, 4. ne quem Censores in Senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset. Praeterea legem tulit, ut, qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. Quo facto Cicero vestem mutat, et sordidatus populo supplicat. Multi senatores et XX millia hominum aliorum, inprimis equites fere omnes, vestitum mutant. Cicero mense Martio extremo urbe cedit. Post eius discessum Clodius de eius exsilio ad populum fert, edictumque proponit, ut illi aqua et igni interdiceretur, et ne intra quadringenta millia passuum ei liceret esse. Deinde Ciceronis domum in Palatio, item villam Tusculanam et Formianam incendit, bona diripit. Cicero Vibonem, Thurium, Tarentum, Brundisium, petit, (Ep. XXII.) et X. Kal. Iun. Thessalonicam venit. (Ep. XXIII.) Inde quum ei spes reditus facta esset, Dyrrhachium redit circa VI. Kal. Dec. (Ep. XXIX.) Q. frater ante Kal. Maias Asia provincia decessit, quam per triennium obtinuerat. (Ep. XXIV.) **Cicerone expulso, Clodius legem tulit de Ptolemaeo, rege Cypri, ut bona eius publicarentur, et regnum in provinciae formam redigeretur; quod negotium M. Catoni mandatum est.**	49
696	54	Coss. *P. Cornelius Lentulus Spinther, Q. Caecilius Metellus Nepos.* Kalendis Ianuariis Lentulus Spinther cos. de revocando Cic. in senatu agere coepit, adiuvantibus fere omnibus tribunis plebis, in primis P. Sextio et T. Annio Milone. His studiis effectum est, ut primum SCtum fieret de eius salute, deinde lex de eo revocando ad populum lata prid. Non. Sextil. omnium centuriarum consensu perlata est. Eodem die Cic. Dyrrhachio profectus Nonis Sextil. Tulliae	50

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		natali Brundisium venit. (Ep. XXXI.) Inde per Italiam omnium municipiorum, praefecturarum, coloniarum summa gratulatione et plausu exceptus Romam venit prid. Non. Sept. Postridie senatui, deinde populo, contione a consulibus data gratias egit. Prid. Kal. Oct. Cic. apud pontifices pro domo dicit. Domus in Palatio, Tusculana et Formiana villa, pecunia publica, aestimatione facta, aedificanda locatur. (Ep. XXXIII.)	
		Hoc anno statim post Ciceronis reditum in eiusque sententiam fit SCtum, ex eoque lex promulgatur, ut Pompeio per quinquennium potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur. In quindecim legatis, quos huius rei causa Pompeius sibi legavit, fuit Q. Cicero, isque in eo negotio in Sardiniam profectus est.	
697	53	Coss. *Gn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus.*	51
		Initio anni Cic. in senatu agit, ut P. Lentulo Ciliciae procos. negotium daretur Ptolemaei regis in regnum reducendi. (Ep. XXXVI.) P. *Sestius* a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus defenditur a Cicerone oratione quae exstat, et absolvitur. In eum Vatinius testimonium dixerat. Itaque Cicero perpetua *interrogatione* eius vitam et tribunatum reprehendit. III. Id. Febr. Bestiam defendit de ambitu accusatum. Prid. Non. Apr. Tulliam filiam Furio Crassipedi despondet. Quum anno superiore prodigia in agro Latiniensi facta essent et haruspices cum alias causas, tum hanc attulissent, quod loca sacra pro profanis haberentur; Clodius aedilis in contione dixit, domum Ciceronis etiam inter ea loca esse, quae consecrata profana haberentur; quo tempore oratio a Cicerone de haruspicum responsis habita esse fingitur. Deinde defendit *L. Cornelium Balbum* Gaditanum, quem accusator negaverat iure civitate donatum. Paulo post in Senatu habuit orationem de *provinciis consularibus*. Eodem anno defendit *M. Coelium* de auro, quod a Clodia sumpsisse, et de veneno, quod ei parasse dicebatur, accusatum.	
		C. Iulius Caesar, exercitu in hibernis collocato, discedens in Italiam Lucae hiemat. Eo Pompeium et Crassum vocat, cum iisque pacisci tur, ut ambo	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		consulatum alterum petant, et hac ratione L. Domitium consulatu detrudant, qui minatus erat, se, si consul factus esset, Caesari exercitus adempturum.	
698	52	Coss. *Cn. Pompeius Magnus II.*, *M. Licinius Crassus II.*	52
		Consules ex interregno magistratum ineunt. Provinciae iis in quinquennium decernuntur, Pompeio Hispaniae cum Africa, Crasso Syria, Galliae Caesari in alterum quinquennium prorogantur. Pompeius provincias suas per legatos Afranium et Petreium administrari iubet, ipse in Italia manet. M. Crassus ad bellum Parthis inferendum antequam paludatus in provinciam exiret, apud Ciceronem in Crassipedis generi hortis coenat.	
		Hoc anno Cicero orationem habuit in *Pisonem*, scripsitque libros tres *de Oratore*.	
699	51	Coss. *L. Domitius Ahenobarbus*, *Ap. Claudius Pulcher*.	53
		Cicero *Crassi* causam in senatu defendit; orationes habet pro *Vatinio*, (Ep. XLI.) pro *Messio* et *Druso*, pro *M. Aemilio Scauro* a C. Triario repetundarum postulato, pro *Gn. Plancio*, pro *A. Gabinio* repetundarum accusato, (quem rogatu Pompeii defendit;) pro *C. Rabirio Postumo* maiestatis reo. Otium impendit libris *de re publica* scribendis. Q. Cicero legatus Caesaris in Galliam proficiscitur. (Ep. XXXIX.)	
		Iulia Caesaris filia Cn. Pompeii Magni uxor moritur.	
700	50	Coss. *Gn. Domitius Calvinus*, *M. Valerius Messala*.	54
		Hi consules non Kal. Ianuariis magistratum inierunt, sed post plura interregna mense Aprili demum creati sunt.	
		Cicero, postquam M. Crassus exercitu a Parthis deleto perierat, in eius locum *augur* factus est.	
701	49	Coss. *Cn. Pompeius Magnus III.*	55
		Hoc anno Milo, P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio consulatum, Clodius praeturam petebat. Ambitus non more maiorum, sed largitione aperta agebatur: denique res ad vim et caedem spectabat. XIII. Kal. Febr. quum Milo Lanuvium ad flaminem ibi prodendum profîcîsceretur, obviam ei fit Clodius Aricia rediens, et pugna coorta interficitur. Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martias cos. creatus paullatim coepit se a Caesare avertere.	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		Uxorem duxit Corneliam Q. Metelli Scipionis filiam, socerumque sibi in quinque extremos h. a. menses collegam in consulatu subrogavit. Cicero Milonem de vi accusatum defendit, sed ita, ut fori adspectu, iussu Pompeii militibus circumdati, et acclamationibus Clodianorum perturbatus parum constanter diceret. Eam quae exstat pro *Milone* orationem postea scripsit, quum Milo condemnatus Massiliam exsulatum abiisset. Deinde defendit M. *Saufeium*, qui absolutus est. Mense Decembri T. Munatius Plancus Bursa, tribunatu plebis deposito, accusatus a Cicerone et condemnatus est. Hoc anno post Milonianum iudicium scripsit Cic. *libros de legibus.*	
702	48	Coss. *Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus.* Quum superiore anno SCto cautum esset, ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam iret, coacti sunt ii provincias administrare, qui in eas e consulatu et praetura nondum iverant. Itaque Ciceroni obtigit Cilicia pro consule regenda, cum exercitu peditum XII m., equitum MMDC. Successit in provincia Ap. Claudio. (Ep. XLVI ss.) Laodiceam in provinciam venit prid. Kal. Sext. (Ep. L.)	56
703	47	Coss. *L. Aemilius Paullus, C. Claudius Marcellus.* Ciceroni Romae pro re bene gesta (Ep. LXI.) supplicationes decernuntur. Ipse III. Kal. Sextil. de provincia decedens C. Coelium quaestorem ei praefecit. Epheso profectus Kal. Oct. Athenas venit prid. Id. Patris Tironem aegrum reliquit. (Ep. LXXIII.) Brundisium venit VII. Kal. Dec.	57
704	46	Coss. *C. Claudius Marcellus, L. Cornelius Lentulus Crus.* Cicero prid. Non. Ian. ad urbem accedens in ipsam incidit flammam civilis discordiae inter Caesarem et Pompeium. Kal. Ian. factum est SCtum, ut ante Kal. Mart. Caesar exercitum dimitteret; si non faceret, eum adversus rem publ. facturum videri. Ei SCto intercedunt tribuni pleb. M. Antonius et Q. Cassius. Senatus consulibus, praetoribus, tribunis pl. iisque qui pro consulibus ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid res publica	58

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		detrimenti caperet. Cicero, quum frustra omnia esset expertus, quae ad concordiam pertinerent, postquam Caesar, Rubicone traiecto, complura oppida occupaverat, una cum consulibus aliisque optimatibus, qui Pompeium sequebantur, ab urbe discessit, et Capuam oramque maritimam a Formiis tuendam suscepit. Pompeius VIII. Kal. Mart. Brundisium venit. VII. Id. Mart. Caesar ad murum castra ponit. XVI. Kal. April. Pompeius Brundisio cum omnibus copiis, navibus in Graeciam traiicit. Caesar postero die oppidum ingressus et contionatus, Romam proficiscitur, quo in itinere Cic. eum convenit. VII. Id. Iun. postquam Arpini filio togam puram dederat, Pompeium in Graeciam secuturus, navem conscendit. (Ep. XCV.) Caesar Hispania potitur, superatis Pompeii legatis, et a M. Lepido praetore dictator dictus Romae comitia habet, quibus ipse cum P. Servilio cos. creatur.	
705	45	Coss. *C. Iulius Caesar II., P. Servilius Vatia Isauricus.*	59
		Caesar prid. Non. Ian. Brundisio in Epirum traiicit, Pompeium Dyrrhachii obsidet, qui inde elapsus bellum in Thessaliam transtulit, ubi proelio ad Pharsalum prid. Kal. Oct. a Caesare victus in Aegyptum fugit ad Ptolemaeum puerum, ibique interficitur. Caesar bellum Alexandrinum gerit.	
		Cicero ab armis discedens Brundisium venit. (Ep. XCVII.)	
706	44	*C. Iul. Caesar II. Dictator, M. Antonius Magister Equitum.*	60
		Caesar, bello Alexandrino confecto, mense Septembri in Italiam rediit, eique Cicero obviam processit. Caesar ut eum sibi occurrere vidit, descendit, eumque salutavit, cum eoque colloquens multa stadia processit. Paullo post Cicero, qui hucusque Brundisii commoratus erat, in urbem venit.	
		Tribus extremis h. a. mensibus coss. fuerunt Q. Fufius Calenus et P. Vatinius. Caesar VI. Kal. Ian. Lilybaeo in Africam traiecit, bellum adversus Pompeianos, Scipionem et Catonem et Iubam Mauritaniae regem gesturus.	
707	43	Coss. *C. Iulius Caesar III., M. Aemilius Lepidus.*	61
		Caesar initio mensis Aprilis Scipionem et Iubam vincit. Paucis diebus post M. Cato Uticae sibi	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		mortem conscivit. Caesar, Africano bello confecto, Idib. Iun. classem conscendit, et die tertio in Sardiniam venit. Inde III. Kal. Quint. profectus Romam venit a. d. VII. Kal. Sext. Ibi quatuor triumphis actis rem publ., summam potestatem nactus, constituit. Extremo anno ad bellum Hispaniense adversus Pompeii liberos profectus est, et post XXVII dies in Hispaniam venit. Eodem anno Caesar fastos correxit, et, ut in posterum ex Kal. Ian. temporum ratio magis congrueret, inter Novembr. et Decembrem menses duos alios interiecit, ita ut hic annus, servato vetere mense intercalario, XV mensium esset.	
		Cicero h. a. *partitiones oratorias*, deinde *laudem Catonis* scripsit, cui Caesar *Anti-Catonem* opposuit. Deinde scripsit *Oratorem* ad M. Brutum, qui tum Galliae Cisalpinae praeerat. Prid. Kal. intercalar. priores apud Caesarem habuit orationem pro *Q. Ligario*, quem Q. Aelius Tubero accusaverat. Extremo anno cum Terentia uxore divortium fecit.	
708	42	*C. Iulius Caesar III. Dictator, M. Aemilius Lepidus Mag. Equitum.*	62
		Caesar simul IV. Consul sine collega fuit.	
		Caesar, victis in Hispania Pompeii filiis, Sexto et Cnaeo, mense Octobri Romam reversus consulatu se abdicat, et Q. Fabium Maximum et Trebonium sibi sufficit. Ultimo autem Decembris die quum Fabius decessisset, Trebonius autem abesset, C. Caninius Rebilus cos. renuntiatur, qui, ut Cicero iocabatur, adeo vigilans consul fuit, ut toto consulatu somnum non viderit.	
		Cicero initio h. a. vel superiore exeunte dimissa Terentia, Publiliam uxorem duxit, cuius bona heres a patre fideicommissarius relictus custodiebat. (Ep. CXXV.) Tullia eius filia, post divortium cum Dolabella factum, Romae filiolum peperit (Ep. CXXVII.), et paullo post diem obiit supremum. (Ep. CXXXIII ss.) Cicero vehementer eius morte afflictus, Publilia dimissa, Asturae se abdit, doloremque suum partim fani Tulliae erigendi consilio, partim libris scribendis lenire studet. Scripsit igitur h. a. *Consolationem* s. librum de luctu minuendo, libros de *finibus bonorum et malorum*, *Academicas quaestiones*. Animum etiam adiecit libro ad Caesarem de re publ. ordinanda scribendo. Mense Aprili filium suum studiorum causa Athenas mittit; et	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		paullo post Astura discedit, reliquosque menses partim in Tusculano, partim in Arpinati aliisque villis transigit, mense Octobri Romam se confert; mense autem Decembri in Puteolanum, ubi XII. Kal. Ian. Caesarem eiusque comites hospitio accepit. (Ep. CXLVI.)	
709	41	Coss. *C. Iulius Caesar V., M. Antonius.*	63
		Primis anni mensibus Cicero absolvit *Tusculanas disputationes.*	
		Caesar Idibus Martiis in curia a coniuratis M. Bruto, C. Cassio aliisque interficitur. Coniurati se recipiunt in Capitolium. Dolabella in Caesaris locum cos. sufficitur.	
		Cicero XVI. Kal. Apr. in aede Telluris pacem suádet, et discordiarum memoriam oblivione delendam censet. Antonio idem se velle simulante, Caesaris interfectores Capitolio descendunt; Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior decernitur. Caesar autem quum funere elatus et ab Antonio laudatus esset, Brutus et Cassius a plebis ira sibi metuentes urbem relinquunt, et Antii et Lanuvii commorantur. Antonius Italiam percursat. Cicero villas suas lustrat; scribitque libros *de Natura deorum, de divinatione, de senectute et de gloria.* Dolabella columnam in foro a plebe Caesari statutam evertit, hominesque seditiosos ultimis suppliciis affligit. (Ep. CXLIX.) C. Octavius, heres Caesaris, Apollonia Neapolim venit XIV. Kal. Maias. Kalendis Iuniis senatores quum in senatu, ut Antonius edixerat, adesse vellent, armorum eius metu perterriti diffugiunt. Cicero villas obit, et libros *de officiis* scribere aggreditur, et quum haberet ius legationis liberae, consilium cepit in Graeciam proficiscendi. (Ep. CLVI.) Itaque XII. Kal. Sextil. Velia proficiscens, (ubi in ipsa navigatione *Topica* ad Trebatium scripsit) Rhegium et Kal. Sext. Syracusas venit. Inde postero die nave conscensa ventis reiectus ad Leucopetram promontorium agri Rhegini, quum Rhegini quidam Roma venientes ea narrassent, quae spem facerent fore, ut Antonius cederet, et Caesaris interfectores Romam redirent, Ciceronem vero desiderari, et, quod urbe abesset, accusari	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		dixissent, profectionis consilio abiecto Romam properat, et prid. Kal. Sept. in urbem venit. (Ep. CLIX.) Antonius Kal. Sept. senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis. Cicero in senatum non venit, fortasse metuens ab Antonio insidias, misit tamen ad Antonium, qui ei diceret se ex via languere. Antonius in senatu dixit, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum. Postridie Antonio absente Cicero in senatum venit, habuitque Orationem, quae dicitur *Philippica prima.* Ob quam Antonius ira incensus inimicitias ei denuntiat, eumque a. d. XIII. Kal. Oct. in senatu adesse iubet. Ipse interea per XVII dies in Tiburtino Scipionis declamitans meditatus est orationem, quam XIII. Kal. Oct. in aede Concordiae contra Ciceronem habuit. (Ep. CLXI.) Cicero in senatu non affuit, metu insidiarum ab amicis prohibitus. Antonii vero orationi opposuit *Philippicam secundam,* non habitam quidem, sed ita conscriptam, quasi eam XIII. Kal. Oct. in praesentem Antonium habuisset. Extremis Octobris diebus et mense Novembri Cicero Puteolanum suum ceterasque villas obit, librosque *de Officiis* perficit. Interim Antonius VII. Id. Oct. obviam ivit legionibus quatuor e Macedonia redeuntibus, easque sibi conciliare studuit. (Ep. CLXIII.) Brundisium venit VII. Id. Oct. Octavius autem, s., ut Caesaris hereditate adita nominabatur, *Caesar Octavianus* veteranos Caesaris excivit, multisque aliis accedentibus iustum exercitum contraxit. Paullo post legiones Martia et Quarta Antonium reliquerunt, et ad Octavianum transierunt. Quo nuntio allato Antonius quum senatum in Capitolium a. d. IV. Kal. Nov. vocasset, valde perculsus confestim senatum dimisit et paludatus in Galliam citeriorem discessit. Dec. Brutus autem edictum proposuit, quo se provinciam Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturum pollicebatur. (Ep. CLXIV.) Cicero V. Id. Dec. ad urbem rediit, et quum novi tribuni XIII. Kal. Ian. senatum convocassent, ipse sententiam rogatus ea dixit, quae complexus est *Philippica tertia.* Censuit autem, res eas, quas Caesar adolescens egisset, publica auctoritate confirmandas, legiones, quae Antonium	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		deseruissent, laudandas, Dec. Brutum, qui se Antonio in Gallia obiecisset, ornandum. (Ep. CLXV.) SCto in hanc sententiam facto Cicero in contionem productus, populo, quae acta et decreta essent, exposuit *Philippica quarta.*	
710	40	Coss. *C. Vibius Pansa, A. Hirtius.* Kal. Ianuariis consules retulerunt de Antonio, qui Brutum Mutinae circumsedebat. Quumque Piso aliique legatos ad Antonium mittendos censuissent, habuit Cicero *Philippicam quintam*, in qua legationem istam ut senatus et populi Romani maiestate indignam dissuasit, et, ut hostis iudicaretur Antonius, incubuit. Pridie tamen Non. Ian. factum est SCtum, ut Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur, eique denuntiarent, ne D. Brutum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne delectus haberet; et ut esset in S. P. Q. R. potestate. De eo SCto Cicero, in contionem productus ab Apuleio trib. pl., ad populum retulit *Philippica sexta.* Paullo post quum Pansa consul senatum de Appia via et de Moneta, unus autem trib. pl. de Lupercis consuluisset, Cicero in sententia dicenda egressus est relationem, et *(Philippica septima)* pacem cum Antonio dissuasit, quia turpis esset, quia periculosa, quia esse non posset. Legati ab Antonio (praeter Servium, qui in legatione obierat) initio Febr. Romam reversi intolerabilia Antonii postulata retulerunt. Senatus tumultum decernendum censuit, quum belli nomen nonnullis haud placuisset, quod Cicero Idib. Mart. *Philippica octava* reprehendit, Fufiumque Calenum de pace agentem aliosque Antonio faventes obiurgavit. Postridie quum de ornando Servio Sulpicio in senatu ageretur, Cicero statuam pedestrem aeneam in Rostris ei ponendam censuit *Philippica nona.* Postea quum Pansa cos. M. Bruti (s. Q. Caepionis Bruti) litteras publice missas de rebus in Macedonia feliciter gestis recitasset, cumque Q. Fufius Calenus oppugnasset, Cicero *Philippica decima* Calenum refutavit, et Q. Hortensio Macedoniae procos., qui Brutum in comparando exercitu adiuverat, huius provinciae ad-	64

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni U. C.
		ministrationem confirmandam esse censuit. Et quum ante Kal. April. Romam allatum esset de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnae crudelissime verberibus ac tormentis cruciatum interfecerat, isque hostis iudicatus esset, Cicero postridie, quum de imperatore adversus Dolabellam ageretur, *Philippicam* habuit *undecimam*, qua C. Cassium deligendum esse, qui Dolabellam terra marique persequeretur, demonstravit. Eandem rem, productus a M. Servilio trib. pl. in contionem, magna contentione summoque clamore et consensu populi egit. Deinde quum Pansa cos. de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis retulisset, iique, qui primi sententiam dixerant, hanc legationem P. Servilio et Ciceroni mandandam esse censuissent, Cicero *Philippica duodecima* negavit pacem cum Antonio fieri posse, illamque legationem deprecatus est. Paullo post, Pansa consule ad bellum profecto, quum de litteris M. Aemilii Lepidi ad senatum missis ageretur, quibus eum ad pacem cum Antonio faciendam hortabatur, Cicero *Philippica decima tertia* iterum istam pacem dissuasit, litterasque ab Antonio ad Hirtium et Octavianum missas recitavit, ita ut singulas eius sententias confutaret. XVII. Kal. Maias Antonius proelio ad Mutinam superatus est, in quo alter cos. Hirtius cecidit, alter Pansa vulneratus est et paucis post diebus Bononiae mortuus. Laeto autem nuntio de victoria Mutinensi Romam allato, Cicero ab ingenti multitudine, maximo plausu, in Capitolium ductus, in rostris collocatus, inde domum reductus est. Prid. Vinalia X. Kal. Maias Cicero habuit *Philippicam decimam quartam*, qua trium ducum Hirtii, Pansae, Caesaris Octaviani nomine quinquaginta dierum supplicationem decernendam, militibusque, qui pro re publ. interierint, monumentum faciendum censuit. IV. Kal. Iun. M. Lepidus se cum Antonio, post proelium Mutinense Alpes transgresso, coniunxit, et prid. Kal. Quint. hostis iudicatus est. Paullo post Caesar Octavianus causam optimatium deseruit, Antoniumque et Lepidum in Italiam arcessivit; et cum Pedio consul creatus X. Kal. Oct. consulatum adiit. Deinde pace	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		facta inter Caesarem Octavianum, Antonium et Lepidum, apud confluentes inter Perusiam et Bononiam congressos, convenit, ut ipsi triumviri rei publ. constituendae per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberet. Itaque Antonius in Ciceronem, qui urbe relicta Asturam confugerat, percussores immisit Herennium centurionem et M. Popillium Laenatem, a quibus VII. Id. Decembres interfectus est.	

INDEX

VERBORUM ET LOCUTIONUM, QUAE IN NOTIS ILLUSTRANTUR.

A.

Ab eo pro *in gratiam eius*, ep. XCII, 7. *a quibus se conflictatum putat*, ep. CXI, 4.

Ablativus comparativ. in *—i*, ep. XXXVI, 14.

ablativus gerundii pro *quum*, ep. XXXII, 10.

absque, ep. XII, 1.

abuti, ep. CIV, 10.

ac non, ep. IX, 9. XLVI, 5. *ac potius*, ep. XXVII, 7. *ac* pro *sed potius*, ep. XXXV, 5.

Accusativ. subiecti omissus, ep. II, 5., cf. ep. XXVII, 18. XVIII, 4. LI, 2. LXV, 4. LXXXI, 2. CIX, 11.

acta Caesaris, ep. CLV, 8. *acta publica*, ep. CLX, 4.

ad me mittum, ep. LVI, 23. *ad scribendum esse*, ep. XII, 17. cf. LXXI, 6.

adhuc pro *eatenus*, ep. LXXVI, 5.

admurmurare, ep. II, 4.

Adverbia cum verbo *esse* iuncta, ep. CXXXI, 2. CXLVI, 1. CLIX, 2.

aerati, ep. IX, 8.

aes; in aere alicuius esse, ep. LXII, 1.

aestimatio, ep. CV, 13.

age, ep. LXXII, 4.

agrarii, ep. XII, 7. et ep. CLV, 3.

aliptae, ep. XLI, 40.

aliquando pro *tandem aliq.*, ep. XXXVII, 13. CLXVI, 1. CLXXII, 4.

aliquis in sententia negante, ep. XI, 8. *aliquam alicuius aliquando*, ep. XXII, 2. *aliquem esse*, ep. XXVII, 19. *aliquo rei publicae statu*, ep. CXXXV, 3.

allegatio, ep. II, 3.

amare, cum voluptate agnoscere, ep. CV, 1. *amare* et *diligere* diff., ep. CXLIX, 11. cf. CV, 3. *amabo te*, formula amice rogantis, ep. XXVI, 1. LVII, 4.

ambitio, ep. XIII, 23. *ambitiosus*, ep. XLVIII, 11. LXIII, 5. CXV, 15. CXVIII, 4. CXXIV, 5.

an in interrogatione, obiectionem occupante, ep. LXXXV, 6. XCII, 14. *an* pro *aut*, ep. CI, 7.

Anacolutha, ep. IX, 25. XIII, 35. 51. LXXV, 2. CVIII, 11. CXXXIII, 5. CXLIX, 2.

animus — ingenium, ep. CLXVIII, 4.

antiquissimum, ep. XIII, 52.

apposite, ep. LXXXIII, 3.

aptus, ep. XLVI, 1.

apud, ep. XCVI, 1.

arca, ep. I, 3.

artes, virtutes ep. XIII, 90.

at, sententiam occupat adversarii, ep. CXIII, 4.

Attractio, qua verb. impersonal. ad subiectum refertur, ep. XXXVI, 6.

atque pro *sed*, ep. XIII, 54. *atque adeo*, ep. X, 19. *atque etiam*, ep. C, 2.

auctoritates praescriptae, ep. XII, 17. cf. LXXI, 6. *auctoritas ordinis*, ep. XXXIII, 11. XXXVI, 7.

B.

Bima sententia, ep. LVI, 21.
boni viri, optimates, ep. VII, 9. *bonus vir*, ep. XLI, 22. XLV, 9. LXXXIX, 4.
brevi, ep. CXXXIII, 2.

C.

Caput, voc. iuris, ep. IV, 1. *quod caput est*, ep. X, 9. LXIII, 5. *rumores sine capite*, ep. CLXXXII, 3.
causa et *res* differ., ep. XXXVI, 13. *causa causam non habet*, ep. LXXIV, 10. LXXXII, 5. *causa*, necessitudo, ep. CXX, 1.
cavillator, ep. VII, 7.
cernere hereditatem, ep. CXLIX, 7. *cernere* et *videre*, ep. CLXXX, 1.
certi homines, ep. XLI, 23. cf. IX, 15. LXXVI, 4. XC, 3. CXIII, 5. CXV, 9.
clavum anni movere, ep. L, 1.
cogere, *ut*, ep. XXVIII, 4.
cogitata mentis, ep. CLXXIV, 1.
cohors praetoris, ep. XIII, 23.
collegia, sodalitates plebis, ep. XXVII, 7.
colligere se, ep. XLI, 22. LXVII, 1.
comissatores coniurationis, ep. IX, 26.
commemorare, memoria repetere, ep. CXL, 1.
commentarii, ep. XXXV, 22.
communis, oppos. *proprio*, ep. CVIII, 1.
Comparativorum ablativ. in *—i*, ep. XXXVI, 14.
comperire, ep. VI, 3. VIII, 15.
compromissum, ep. CLXXVIII, 8.
conferri in aliquem, ep. XXIV, 21.
Coniunctiv. *diceret* pro indicativo *dicebat*, ep. CXXI, 1. CXXXVII, 9.
conqueri cum aliquo, ep. V, 13.
consilium, ep. IX, 9.
continere se ipsum, ep. XIII, 15.
credo interpositum orationi, ep. CXXXIII, 5. *crede mihi*, ep. CXXXIII, 10.
cura — studium, ep. CXX, 5.
currentem incitare, ep. XIII, 96. XL, 4.

D.

Dare alicui, ep. XLVIII, 2. CXXXIII, 13. CXLIV, 9.
de aliquo, i. e. narrante aliquo, *audire*, ep. II, 6. CLIX, 18. CLXXXI, 3. *de nocte*, ep. XL, 5.
deberi, ep. XXXIII, 4
declamare, ep. CXLVII, 6.
deinde repetitum, ep. LXIII, 5. *deinde* in re mira, ep. CLII, 6.
deliciae, ep. X, 19.
denique bis positum, ep. CXXXIII, 14.
dicis causa, ep. XI, 12.
dies, temporum decursus, ep. CXI, 2. CXVII, 8.
digerere, ep. XXXIX, 6.
diligere et *amare* diff., ep. CXLIX, 11. cf. CV, 3.
disputare, ep. LVI, 7. cf. V, 1.
divisores, ep. IX, 29.
dodrans, ep. VIII, 18.
dolere ex aliquo, ep. CLXVI, 6.
dubitare, deliberare, ep. XCIV, 7. *non dubito*, sq. accus. c. infinit., ep. CLXVI, 3. *sine ulla dubitatione*, ep. CLVII, 4.
ducere cum accus. et infinit., ep. X, 11. XXXVII, 1. XLIV, 4. *ducere bellum*, CVI, 3. *ducere spiritum*, CLX, 2.
dum cum praes., ep. XIII, 5.

E.

Ego vero, ep. CXXXVI, 1.
eiurare bonam copiam, ep. CV, 13.
eleganter, ep. LVI, 4.
etiam, ep. VII, 15. XIV, 7. LXXIV, 20. *etiam* et *quoque*, ep. CXII, 2. *et etiam*, ep. CLVII, 4.
ex, ep. IX, 10.
exemplum, ep. X, 1. LXXXV, 12. LXXXVI, 5. CV, 1. CXIV, 1. CLXXI, 1.
expostulare cum aliquo, ep. V, 22.

F.

Facile pati, ep. III, 3. *facile*, libenter, ep. XCII, 7.
familiam ducit, ep. XXXVIII, 6.

fieri c. ablat., ep. XXIII, 6.
finire, finem constituere, ep. LXXXII, 4.
formosus et *pulcher* differ., ep. CXLIX, 9.
frigus, ep. CLXX, 5.
Futurum exactum duplex, ep. LIX, 4. LXXIV, 19. futurum exactum pro simplici, ep. CXLIII, 8. CLXVIII, 9.

G.

Genitivus designans speciem, ep. XXXV, 21. duplex diversa vi, ep. CXLI, 6. CLXVII, 7.
genus, ep. IX, 4. X, 13. XIII, 37. 85.
Gerundium vi passiva, ep. CXLIX, 10.
gladiatoribus, quum ludi gladiat. fierent, ep. XVI, 6. cf. XX, 6.
gratum et *iucundum* diff., ep. X, 13. CXXXVI, 2.

H.

Habes, audivisti, ep. XLI, 57. LXXXV, 9. CV, 2. percussus es, ep. CLXVI, 15.
haud scio an, ep. XIII, 64 et Excurs.
hic, ep. CXXXIX, 6.
homines visi sumus, ep. CXLVI, 4.
honestas, ep. CXXXIII, 3.
hortari de aliqua re, ep. CXIII, 2.
humile et *ieiunum*, ep. LXVII, 17.

I.

Iacere, ep. XIV, 7.
ieiunus — humilis, ep. LXVII, 17.
ignotus transitiv., ep. XXXV, 14.
Imperfectum coniunct. ubi nos plusquamperf. utimur, ep. XIII, 48. XCVII, 6. cum *si* post plusquamperfect. coni., ep. LXXXVIII, 6. CXXXI, 1. imperfect. indicat. de re inchoata, non facta, ep. LXXX, 4. LXXXIV, 1. LXXXVI, 10. CLIX, 1.
impotens, ep. CLX, 3.
in clarissimis meis rebus, ep. V, 4. XIII, 35. LV, 12. cf. CXV, 19. CXXX, 10.
incommodum, ep. CXXXIII, 4.
Indicativus sequente *si* cum imperf. aut plusquamperf. coniunct., ep. CI, 12.
inducere, anrechnen, ep. LXVII, 15.
infectum, ep. VII, 8.
Infinitivus perf. syncop. *decesse*, ep. XXXVII, 4. infinit. substantive, *ipsum vinci*, ep. XCVII, 5. infin. praesentis de re praeterita, ep. CX, 2. infin. praes. et perf., ep. CXIII, 10.
ingenium — animus, ep. CLXVIII, 4.
ingratus, ep. VI, 7.
iniqui mei, ep. CLII, 16.
insinuare, omiss. *se*, ep. CIX, 11.
integrum, ep. V, 17. XLI, 22. 50. CXLIII, 5.
interiores litterae, ep. LXVII, 21.
intermortuus, ep. VIII, 9.
Interrogandi vocabula duo iuncta, ep. II, 6.
intestinus dolor, ep. CXXXIII, 2.
intra, ep. CXIV, 10.
invadere alicui, ep. LXXIX, 2.
involatus alitis, ep. CXV, 13.
is post nomen ipsum, ep. LIV, 2. *non eam, ut*, ep. XCII, 2. *eum* pro *se*, ep. CLXXV, 9.
ita vivam, ut, ep. L, 2. CIII, 1. cf. CLXXV, 1.
iucundus et *gratus* diff., ep. X, 13. CXXXVI, 2.
iudicium de re, qua iudicium nostrum declaramus, ep. XLI, 38. CLX, 7.
iustus, ep. LXI, 31. LXXI, 4.

L.

Lanista, ep. IX, 7.
laudare reos, ep. XLI, 9.
lautum — magnificum, ep. CV, 14.
legatio libera, ep. CXLVIII, 6.
licuerit, ep. CXLIII, 8.
litterae, scripta, ep. VIII, 7.
loco, ep. CV, 8.
longius mihi nihil est, ep. CLII, 2.
loqui secum, ep. CLXII, 5.
lucrum; vivere de lucro, ep. CVII, 2.
lux; in luce Asiae, ep. XIII, 18.

M.

Maculosus, ep. IX, 8.
magister vectigalium, ep. LIX, 1. *auctionum*, ep. CLXXVIII, 8.
magnificum — lautum, ep. CV, 14.

manus tollere, ep. XXXVIII, 4. *de manu in manum tradere*, ep. XXXVIII, 8.
me omiss., ep. CIX, 11.
mentionem facere, ep. VII, 8.
mittere sanguinem invidiae, ep. IX, 25.
monumenta, ep. XXXV, 2. CV, 11. CXV, 4.
more Romano, ep. XXXVIII, 6.
mutuus, ep. III, 3. V, 5.

N.

Nec repetit negationem, quae inest in praecedenti verbo negante, ep. CLXXVIII, 3.
neque — que, ep. CXXXIII, 1.
nescio quomodo et *nescio quonam modo* diff., ep. XIII, 57. *nescio quid*, ep. LXI, 23. 27.
neve — neve post *ut*, ep. XLI, 54.
Neutrum adiectivi cum substant. alius generis, ep. CXL, 3.
nisi forte, ep. XCIV, 18.
nomen, nihil praeter nomen, oppos. rei, ep. LXXXII, 3.
Nomina propria pro pronomin. cum gravitate quadam, ep. XLIII, 3. LXI, 33. LXIII, 6. CXXXIII, 12. CXXXII, 7.
nomenclator, ep. XXXII, 7.
non modo pro *non modo non*, ep. XXXIII, 1.
noscere, ep. CXIV, 2.
noster, ep. XXXIX, 5. XLI, 73. XCI, 2. (cf. XXIV, 23.)
nullus, ep. XXXVII, 12. CVI, 7.
nummarii iudices, ep. IX, 21.
nuntium remittere, ep. VII, 8.

O.

Odium Vatinianum, ep. XLI, 9.
offendere, ep. LXVI, 6.
offerre mortem, ep. CXXXVII, 6.
operae Clodii, ep. VII, 9. VIII, 11. *operas dare in scriptura*, ep. LIX, 1.
opus est et *necesse est* diff., ep. XLI, 74. CXXXIII, 11.
oratio, ep. XLIX, 2. CXXIV, 14. oppos. *rei*, ep. CLIII, 14.
os, impudentia, ep. CXLI, 2.
oscines, ep. CXV, 13.

P.

Pars, genus, ep. CIX, 1.
Participia neutra constructionem substant. sequuntur, ep. CLXXIV, 1.
peccare, ep. CIX, 3.
pedarii, ep. XII, 17.
Perfectum de re nondum perfecta, ep. XXII, 9. perfecti tertia pers. plur. — *ere*, ep. CLXXX, 4.
permutatio pecuniae, ep. XXIV, 18. XLIX, 8.
persona, ep. CXXXIII, 11.
piscinarii, ep. XII, 11. XI, 13.
Pleonasmus, ep. LIV, 7.
Pluralis numer. nominum abstractorum, ep. CXLII, 3.
Plusquamperfectum indicat. cum *nisi* et plusquamperf. coniunct., ep. CLXXXII, 5.
poena odii, ep. CXLVII, 1.
ponere pecuniam, ep. VII, 4. *diem in aliqua re*, ep. CIII, 3.
pontes, ep. VIII, 11.
populares, ep. CLIV, 6.
postulationes, ep. IX, 9.
poteram, *potui*, sequent. *si* cum imperf. vel plusquamp. coni., ep. CI, 12. *pōtuero*, ep. CXLIII, 8.
potestas, *in alicuius potest. esse*, ep. II, 4. XXXI, 4.
praecipere, ep. CXVII, 7.
praescriptio, ep. V, 10.
Praepositio pronomini relat. non addita, ep. XXVI, 5. XXVIII, 3.
praesens, ep. V, 19. IX, 26.
praestare, ep. XIII, 19. XLIV, 4. CV, 4. CXXVI, 11. CXLI, 6.
primum, non seq. *deinde*, ep. LVI, 6. *primus lictor*, ep. XIII, 47.
pro civili parte, ep. CLIII, 13.
probare alicui, ep. CLIX, 13.
producere, ep. XXXIX, 5.
proinde ac, ep. CLIII, 4.
prolatio rerum, ep. LXXVII, 3.
promittere, ep. CXXVI, 15.
Pronomen personale omissum, ep. XL, 2. CXLVII, 7. pronominis accus. pro praepositione, ep. CIX, 5.
proprium oppos. *communi*, ep. CVIII, 1.
provinciales, ep. XIII, 32.
proximus, simillimus, ep. XIV, 5. *prox. superior*, ep. XLI, 57. XCIII, 2. *proxime*, ep. CVI, 1.

pueri, ep. LXIII, 1.
pulcher et *formosus* diff., ep. CXLIX, 9.
punire dolorem, ep. CXLVII, 1.

Q.

Quam; *mire quam*, ep. II, 6. post *inferior*, *superior*, ep. XIII, 40. *putidiusculi*, *quam*, ep. XXXVIII, 8. *quam brevem*, i. e. *perquam brevem*, ep. LXXXVI, 19.
quantum, ep. XXIII, 4. LXVII, 2.
quasi, ep. CXXXIX, 3.
que pro *sed*, ep. LXXXVI, 2. *neque — que*, ep. CXXXIII, 1.
quid interpretor, *quid vocatur* pro *quomodo*, ep. CLXII, 4.
quiescere, ep. XIII, 47.
quin c. coniunct. pro infinit. post *non dubium est*, ep. LXXXVI, 7. post *quin* idem tempus sequitur, quod praecessit, ep. LXVII, 20.
quisquam adiectivi loco posit., ep. LXVII, 13.
quisquis indefinit., ep. CXXVI, 2.
quod scribis, ep. V, 13. *quod* ad praecedentia relatum, sed explicatum in seq., ep. XIII, 62.
quoque etiam, ep. CXII, 2.
quum cum coniunct., seq. *tum*, ep. XXX, 3. *quum* cum indic., ep. CXLIX, 5.

R.

Recipere, ep. CXXXV, 2.
reclamare, ep. XX, 4.
redimere, compensare, ep. CLXXIV, 1.
reditus et *reversio*, ep. CLIX, 12.
reiectio, ep. IX, 7.
relevare, ep. VII, 2.
reliquum, ep. LXV, 9. *reliqua pecunia*, ep. CLIV, 3.
res et *causa* differ., ep. XXXVI, 13. *res* oppos. *orationi*, ep. CLIII, 14. *quod res est*, ep. CXLIV, 3. *rem facere*, ep. LXXIV, 20.
residere, ep. X, 7.
retexere, ep. CLIII, 15.
rhetorum epistolae, ep. VII, 1.

S.

Satisfacere, ep. XIII, 47.
scilicet, ep. CIV, 1.
scribendo adesse, ep. LXXI, 6.
sedens assensi, ep. V, 24.
sequi, ep. LXVII, 20.
serperastra, ep. LXXIV, 15.
sic, ep. XCVIII, 3.
si forte, ep. CXLVIII, 4.
simul pro *simul ac*, ep. CXXVII, 1. cf. LXXXV, 13.
socii, ep. XIII, 4. *s. scripturae*, ep. LXI, 1.
solvere legibus, ep. IX, 29. *solutus*, ep. VII, 6.
sortitio, ep. V, 8.
sperare cum infinit. perfecti, ep. XVII, 3.
stomachus, ep. XIV, 6. XLI, 24.
studium — cura, ep. CXX, 5.
successa pro *successisse*, ep. CLXVI, 5.
sustinere, ep. VI, 7. CXV, 16. CXI, 4.

T.

Tacita, quae tacentur, ep. LVI, 2.
talaria, ep. CL, 5.
tamen, ep. IX, 6. non praecedente *quamquam*, ep. LXXVI, 8. CV, 4. CLXXXII, 7.
tametsi, *tamen*, ep. II, 3. CX, 8.
tantus pro *tantillus*, ep. XXXVI, 7.
tralaticium, ep. XXIX, 5. LVI, 8.
tributum, ep. LVI, 11. LXI, 2.
tripudium solistimum, ep. CXV, 13.

U.

Ut duplex, ep. XIII, 84. XLVII, 3. *ut in malis*, ep. XIII, 85. cf. XXXII, 13.

V.

Vacationes, ep. XII, 3.
vanitas, ep. LVII, 3.
vectigal aedilicium, ep. XIII, 53.
velle alicuius causa, ep. XXVI, 6. CXXXVIII, 5.
venditare, ep. IX, 34.

ventis, remis, ep. CLXXVI, 6.
Verbum bis cogitandum, ep. CLXVII, 8.
vereor an, ep. XVI, 5.
versura, ep. L, 2.
vetustas, vetus notitia, ep. CXXXIX, 3.
victimis caesis, ep. VII, 3.
videre et *cernere*, ep. CLXXX
videre pro parare, ep. CL, 5.
dero, ep. CI, 11.
voluero, ep. CXLIII, 8.
voluntate, sponte, ep. XVI, 5.
vomere, ep. CLXI, 5.

Lectori.

In prima plagula menda aliquot typographica relicta sunt, edi potissimum culpa, tunc primum in eiusmodi negotio versantis. Co ex his, nam cetera neminem morabuntur:

p. 7. l. 32. *si acerbe, si crudeliter*, pro *si cr., si ac.*

p. 10. l. 17. *ipse*, pro *ipso.*

TYPIS GUIL. VOGELII FILII.

2 383


JUN 1970
WILSBY

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Lc 37.455
M. Tulli Ciceronis Epistolae select
Widener Library 004439853
3 2044 085 189 975